PARS TERTIA
TOMI PRIMI
DEMONSTRATIONIS
HISTORIAE ECCLESIASTICAE
QUADRIPARTITAE.

DEMONSTRATIO

HISTORIAE ECCLESIASTICAE

QUADRIPARTITAE

COMPROBATAE MONUMENTIS

PERTINENTIBUS

AD FIDEM TEMPORUM ET GESTORUM.



Sanctes Manelli del. et Inc. Romae

ROMAE CIↃIↃCCLIV.

EX TYPOGRAPHIA APOLLINEA.

SUPERIORUM FACULTATE.

INDICULUS RERUM

QUAE CONTINENTUR IN TRIBUS TABULIS

SECUNDI SAECULI

HUJUS DEMONSTRATIONIS

HISTORIAE ECCLESIASTICAE QUADRIPARTITAE

COMPROBATAE MONUMENTIS PERTINENTIBUS


AD FIDEM TEMPORUM ET GESTORUM.

INDICULUS

TABULAE PRIMAE SAECULI SECUNDI

SIGNATAE B. 1. B. 2.

1. INSCRIPTIO SEPULCRALIS SANCTI MARII MILITIS, *qui passus est sub Hadriano Imperatore, & in Coemeterio Callisti sepultus*, edita in *Roma Subterranea* a Bosio libro 3. cap. 23. pagina 217, & ab Aringhio Tomo I. pagina 525. Canonicus Boldettus *Osservazioni sopra i Cimiterj &c.* pagina 233, & P. Mamachius *Originum & Antiquitatum Christianarum* Tomo I. libro 2. cap. 8. pag. 430. eandem illustrarunt. Lucius Caecilius in Lib. *de Mortibus Persecutorum* cap. 3. pag. 187. Tomi 2. Edit. an. 1748. videtur statuere, Hadrianum nihil esse in Christianos molitum, nullamque in eos Persecutionem commovisse: scribit enim, *rescissis Actis Tyranni* (videlicet *Domitiani*), *non tantum in statum pristinum Ecclesia restituta est; sed etiam multo clarius ac floridius enituit: sequutisque temporibus, quibus multi ac boni Principes Imperii clavum regimenque tenuerunt, nullos inimicorum impetus passa, manus suas in Orientem, Occidentemque porrexit; ut jam nullus esset Terrarum angulus tam remotus, quo non Religio Dei penetrasset; nulla denique Natio tam feris moribus vivens, ut non, suscepto Dei cultu, ad Justitiae opera mitesceret*. At negari nullo modo potest, Hadrianum, etsi Edicta nulla vulgarit, quibus quaerendos ad necem esse Christianos praeciperet, tamen eos in jus vocasse, excruciarique fecisse omni genere suppliciorum. Etenim Doctissimus Ruinartius ostendit *in Praefat. in Acta Martyrum* p. xxxiii, plures sub eodem ad supplicium eductos fuisse Martyres: & Sulpicius Severus Scriptor quarti Saeculi lib. 2. *Historiae* cap. 31. *Quarta* (inquit) *sub Hadriano Persecutio numeratur: quam tamen* POST *exerceri prohibuit; injustum esse pronuncians, ut quisquam sine crimine reus constitueretur*. Quare Caecilius, de quo supra, ita est intelligendus, quod, post Domitianum, & ante Decium (etsi aliqui Imperatores in Christianos saevierunt), nulli fuerint, (excepto tamen Septimio Severo), qui, Edictis vulgatis, praeceperint delendum esse nomen Christianorum: vel dictum id ita a Caecilio fuit, quod de Caesaribus ageret, qui misere perierunt, posteaquam in Christianos omnia saevitiae crudelitatisque exempla edenda Decretis Publicis statuissent; cujusmodi a Domitiano ad Decium nulli fuerunt. Alioqui Caecilius manifesto errore lapsus evinceretur. Consulatur Eusebius lib. 4. *Historiae* c. 8: consulantur Acta SS. Martyrum Symphorosae viduae, & Filiorum ejus (apud Bollandianos ad diem xviii. Julii, & apud Ruinartium *Act. Sincer. SS. Martyrum* pag. 20. & seq. Edit. Veron.), quos idem Hadrianus, cum in agro Tiburtino ageret, quod Christiani essent, diverso mortis genere interfici jussit. Itaque, cum Imperatoris exemplo, qui capti ex nostris erant, adduci ad supplicium solerent; id in causa fuit, cur Christiani sub eodem Hadriano esse sibi, rebusque suis metuendum arbitrarentur, ut no-



INDICULUS TAB. I. SAEC. II.

ster asserit lapis, quem, praeter memoratos Auctores, laudat etiam Cl. Mabillonius *in Itinere Italico* To. I. pag. 136. Guillelmus Fleetvvoodus tamen in Praef. ad Part. II. *Sylloges Inscript. Veter.* dubitare se scribit, num genuina, an spuria sit haec Inscriptio *Marii Militum Ducis*, de qua loquimur. In eadem quoque sententia est Gisbertus Cuperus in Notis ad cap. 4. L. Caecilii *de Mortibus Persecutorum* Tom. II. Operum Lactantii p. 432. edit. Paris. an. 1748. Sed cur ipsi dubitent, non indicant, ut scite animadvertit P. Mamachius. Dubitare autem velle sine ulla ratione de monumentis antiquis, quae inventa in cryptis Romae sunt, hominum est, non veritatis amore agentium, sed ea, quae ad veritatem Christianae Religionis demonstrandam conducunt, evertere cupientium. Nos ergo Romanis potius Cœmeteriis fidem, quam hominibus praejudicata opinione ductis assensionem adhibere volumus. At enim Cuperus, etsi vera, *inquit*, haec esset Inscriptio, tamen non sequitur, plures Martyres fuisse Romae Hadriani tempore. Verum, si saevire Ethnicis in nostrus licebat, cum Imperator Athenis praesertim versaretur; si *Marium Ducem Militum*, in Coemeterio Callisti repertum, Hadrianus interfeci jussit causa religionis; si denique in maguo tunc erant Christiani metu; conjiciendum ex eadem Inscriptione est, alios quoque fuisse cruciatos: alioqui, cur sibi, unius *Marii Ducis* exemplu, ceteri ab Ethnicis meruissent. Rursum Cuperus, non esse inde consequens, ait, Hadriani potius, quam Praesidum jussu necatum fuisse Marium. Non nego: sed Praesidem audere simile quidpiam Romae potuisse, non permittente Imperatore, quis umquam credat? Deinde, si Imperator Symphorosam, ejusque filios plecti jussit; non video, cur suspicari nefas sit, idipsum de Mario Duce Militum fuisse pronunciatum. Sed, utcumque sit, illud saltem constat, fuisse saepe in Oriente, & Occidente animadversionem in nostros HADRIANI TEMPORE constitutam. Sertorius Ursatus *de Notis Romanorum* apud Graevium Tom. xi. p. 606 Notam nostri marmoris C͞HO (*Christo*) allegat, & illustrat.

2. Elenchus rerum gestarum ab Imperatoribus Trajano, Hadriano, et Antonino Pio, ab anno Aerae Christi Vulg. 101, usque ad 150, ex Nummis, Lapidibus, Scriptoribusque coaevis, aut fere coaevis excerptus, ad conciliandam fidem nostrae Demonstrationi Historiae Ecclesiasticae Quadripartitae, comprobatae monumentis pertinentibus ad fidem Temporum & Gestorum. Quinquaginta numeri Arabici in margine hujus laterculi positi, ordinant & complectuntur totidem Gesta patrata primo Quinquagenario Saeculi Secundi Aerae Jesu Christi Vulgaris; non autem semper numerare possunt dividua tempora dicti Quinquagenarii, & adamussim respondere singulos singulis annis ejusdem Saeculi Secundi exactis ad Aeram Christi Vulgarem. Vide infra in Indiculo hujus Tabulae numero 55.

3. INSCRIPTIO SEPVLCRALIS S. ALEXANDRI MARTYRIS, *qui passus est sub Antonino Pio*, Reperta fuit in Coemeterio Callisti, atque edita *in Roma Subterranea* a Bosio pag. 216. & ab Aringhio Tom. I. pag. 524: item ab Olao Borrichio *de antiqua facie Urbis Romanae* apud Graevium To. IV. p. 1548, & seqq., a Mabillonio *in Itinere Italico* To. I. p. 135. (qui eam vocat monumentum *indubitatae antiquitatis*), a Boldetto *Osservazioni sopra i Cimiterj* lib. I. cap. 3. pag. 11, a Muratorio in libro *de Paradiso* cap. 10. pag. 79, & a P. Mamachio Tom. I. *Originum & Antiquitatum Christianarum* lib. 2. pag. 433. Hic S. Alexander dicitur *vivere super astra*: quod mire comprobat nostræ Fidei dogma de Paradiso, Regnique Caelestis gloria, non expectata Corporum Resurrectione justis a Deo collata, adversus Haereticos, Thomaeque Burneti lib. *de Statu Mortuorum*. Verba autem, *o tempora infausta, quibus, inter sacra, & vota, ne in cavernis quidem salvari possimus*, ostendunt, Antoninum Pium ita in nostros homines animatum fuisse, ut ii ne in locis quidem horroris, atque tenebrarum plenis, necem declinare posse arbitrarentur. De qua re Justinus Martyr Ethnicos vehementer expostulat in celeberrima, quam ad eundem Imperatorem scripsit, Apologia, circa annum Chr. 150. Ex aliis quoque Auctoribus illius aetatis plane intelligitur, ob vim, & crudelitatem Antonini, nostros ita fuisse perterrefactos, ut ipsis ne in Coemeteriis quidem consistere tuto liceret. Scilicet Christianis adimere potestatem frequentandi arenarias cryptasque volebat; quod furente persecutione ad easdem ipsi confugere solerent. In Proconsularibus Actis Martyrii S. Cypriani Episcopi Carthaginiensis legitur: *Paternus Proconsul dixit: a me invenientur Presbyteri &c. Et adjecit: Praeceperunt etiam, ne in aliquibus locis Conciliabula fiant, nec Coemeteria ingrediantur*: Praeterea Aemilianus Praefectus Aegypti, apud

apud Eusebium libro vii. *Historiae* cap. xi. Edit. Cantabrig. pag. 335, sic alloquitur Dionysium Episcopum Alexandrinum: *nullatenus autem licebit vobis, nec quibuscumque aliis, conventus agere, aut in iis, quae vocantur Coemeteria, esse*. Vide etiam eundem Eusebium lib. ix. *Histor.* cap. 2. pag. 441, & Boldettum in Opere supra laudato lib. I. c. 3. p. 9. Miror ergo hanc pariter Inscriptionem Alexandri Martyris, de qua loquimur, non Fleetvvoodum modo, & Gisbertum Cuperum, sed etiam nonnullos e nostris in dubium revocasse; propterea quod, & lusus verborum, & stilus repugnent, quo minus antiqua haberi possit. Immo aliquibus est persuasum, eorum, qui vel leviter versati in Antiquitatis genere sint, pro sincera eandem habiturum esse neminem. Atqui (ut inquit laudatus P. Mamachius Tom. III. *Originum & Antiquitatum Christianarum* pag. 162.) Bosius, Aringhius, Fabrettus, Mabillonius, Ruinartius, Bonarrotius, Georgius, Bottarius, aliique, qui pro genuina eam Inscriptionem habuerunt, non leviter ipsi quidem Antiquitates Ethnicas, Christianasque attigerunt; sed diu, sed diligenter, sed summa cum laude easdem coluerunt. Quod si vetera Epitaphia nulla adhuc extarent, quae ejusmodi stilum praeseferrent, paterer equidem haec non dici solum, sed etiam pervulgari. Veruntamen quis non videat, multa apud Gruterum, Bosium, Fabrettum, Muratorium reperiri, quae, cum similia horum sint, tum a nemine in dubium revocantur? Neque vero rejiciendae continuo Inscriptiones sunt, in quibus est aliquid singulare. Alioquin plures, & genuinas, & vetustas, rejiceremus. Accedit summa, quae Romae semper adhibita fuit adhibeturque diligentia in cognoscendis veteribus monumentis; ut fraus in hisce rebus habere locum nullo modo possit. Id cum serio cogitasset P. Franciscus Antonius Zacharias Societatis Jesu lib. II. To. II. *Histor. Litterar. Italie.* cap. 7. pag. 407, Inscriptionem quidem nostram genuinam esse confessus est; at, diu post, additum illi Monogramma putavit. Verum Monogramma Antonini Pii aetate jam insculptum Christianis lapidibus fuisse, ostendi in Indiculo Tabulae I. Saeculi I. num. 40.

4. Tabula Consularis ab anno Aerae Christi Vulgaris 101, usque ad annum ejusdem Aerae 150, ex Inscriptionibus autographis Romae servatis, & editis a Grutero, Donio, Panvinio, Sponio, Reinesio, Pighio, Cuspiniano, Almelovenio, Echardo, Relando, Fabretto, Norisio, Stampa, Georgio, Muratorio, Maffejo, & Blanchino Patruo meo amantissimo, contexta: de qua lege, ad singula paria Consulum, allata authentica testimonia in nostra Chronologia.

INDICULUS TAB. I. SAEC. II.

5. IMAGO S. PASTORIS, de quo Martyrologium Romanum ad diem xxvi. Julii habet: *Item Romae S. Pastoris Presbyteri, cujus nomine Titulus extat in Viminali apud Sanctam Pudentianam.* Venerab. Card. Baronius in Adnotationibus ad idem Martyrologium scribit: *non tantum in Veteri Romano Martyrologio, sed & in antiquis Manuscriptis de eo agitur hac die.* Altum tamen de eodem est silentium in Exemplaribus Hieronymianis etiam auctis; tacentque Beda, Florus, Wandelbertus, Rabanus, Usuardus, & Notkerus. Habemus in nostra Bibliotheca Vallicellana res gestas S. Pastoris, seu potius Panegyrim sequiori aetate in die Natali ejus alicubi in Ecclesia legi solitam, quae dividitur in Lectiones novem. Earum duae priores vagum Prologum continent: tertia hortatur ad imitanda B. Pastoris exempla, docetque hunc fuisse nobili Romae prosapia oriundum; deinde Apostoli Pauli discipulum, una cum Timotheo; tum ab eodem Apostolo consecratum Presbyterum; eruditum; & animarum Pastorem sedulum; multa denique passum sub Antonino Imperatore. In nona demum Lectione dicitur, S. Paulum in Titulum PASTORIS domum consecrasse, quod item falsum est. Hoc enim S. Pio Papae, non Paulo Apostolo adscribitur, etiam in Actis SS. Pudentianae, & Praxedis. Conditum vero fuisse S. Pastorem in Ecclesia Tituli sui, nescio an ex eodem Codice affirmaverit noster Aringhius in *Roma Subterranea* Tom. II. lib. 4. cap. 43. num. 1. Videtur tamen aliud esse Sancti cujusdam Pastoris, & quidem Martyris, corpus, quod cum aliis inventum cum Inscriptione nominis, Roma Bononiam ad Bollandianos Patres translatum fuit anno 1614. die 20. Aprilis. Ad asserendum vero publicum nostri S. Pastoris cultum, facit in primis signum illud expressum in valvis antiquissimae Ecclesiae S. Pudentianae, cum hisce versiculis,

Sancte, precor, Pastor, pro nobis esto rogator,
Hic cunctis vitae Pastor dat dogmata sacrae.

Eodem facit Inscriptio marmorea, quam exhibet laudatus Aringhius loco cit. n. 3, in qua fit mentio Sacelli hujus *S. Pastoris*, quem

Ado

INDICULUS TAB.I.SAEC.II.

Ado cum Herma confudit; ut prodit Libellus de Festivitatibus Apostolorum, Martyrologio ejus praefixus, pag. 36, ubi ad diem 9. Maji, (quem ipse S. Hermae Natalitium statuit) *Titulus*, inquit, *nomine ipsius, juxta quod Baptisterium ex facultatibus Sanctae Praxedis est extructum, & B. Pio discipulo Apostolorum, operante studio consecratum, venerabiliter ei statutus est*. Eadem haec est Ecclesia, sive Titulus, quem paullo ante *B. Pastoris* nuncupaverat. *Beatum* ergo *Pastorem* cum S. Herma eundem facit, eundemque adeo diem utriusque Natalem. Quis vero sibi persuadeat, S. Hermam, qui jam utique maturae erat aetatis, cum eum Apostolus per Epistolam ad Romanos jussit salutari, solido post Pauli obitum Saeculo adhuc superfuisse? Fuit certe quidam Hermes S. Pii Papae I. (ut est in Catalogo Pontificium Bucheriano) frater, & forte S. Pastoris aequalis; sed ille est distinguendus a S. Herma Apostoli discipulo, & Libelli, qui PASTOR appellatur, auctore. Vide Tillemontium Tom. 2. *Monument. Ecclesiast.* pagina 521, Nicolaum le Nourry *in Apparatu ad Bibliothecam Maximam Veterum Patrum* Dissertat. 4. art. 2, Ambrosium Gardeboïç *in Historiae Ecclesiasticae Synopsi* Tom. I. part. 5. lib. 3. Dissert. I. quaest. 1, & Patres Bollandianos ad diem XIX. Maji Tom. IV. pag. 297. num. 4 *in Commentario praevio de SS. Virginibus Romanis Pudentiana, & Praxede, ac Pudente Senatore illarum Patre*. Utriusque confusio, ab Anastasio, & Adone profecta est. Pastor item, non dictus Hermas, sed Hermæ liber, cujus Auctori Angelus, sub habitu Pastoris apparens, revelationes enarravit. Quod vero ad Acta pertinet S. Pastoris, nihil hodie certi superest etiam in illis SS. Pudentianae, & Praxedis; quamvis ipsius Pastoris nomine scripta dicantur, ac etiam lecta fuerint Saeculo nono ab Adone; sicut in ejus Martyrologio videre licet diebus 19. Maji, 20. Junii, & 21. Julii in elogiis Sanctae Pudentianae, Sancti Novati, & S. Praxedis; ut ostendit laudatus Tillemontius Tom. 2. nota 5. in S. Pium Papam. In Pseudo-Epistola II. ejusdem S. Pontificis, data ad Justum Episcopum Viennensem, & edita a Doctissimo Patre Coustantio in Appendice ad *Epistolas Romanorum Pontificum* pagina 20, legitur: *Presbyter Pastor Titulum condidit, & digne in Domino obiit*. Onuphrius Panvinius in Opere *de praecipuis Urbis Ecclesiis*, agens de S. Pudentianae Ecclesia (in cujus antiqua Janua extant illi orbiculi, positi in hac Tabula I. Saeculi Secundi numeris 5. 23. 24. & 35, quos heic suscepimus illustrare), asserit, quod *omnium Urbis Ecclesiarum, quae modo supersunt, vetustissima est*: atque hoc ei, ceterisque id asserentibus, Bollandiani Patres ad diem 19. Maji, titulo & pagina superius allegatis, facile concedunt; non item absque restrictione, quod *haec Ecclesia antiquitus Titulus Pastoris diceretur, de S. Pastoris Presbyteri nomine, qui primitus eum Titulum tenuit*. Nam (sunt fere eorum verba pag. 298.) si de prima Tituli institutione agatur, ipse (*pseudo-*) *Pastor* de Pudente sic loquitur: *Domum suam Ecclesiam Christi consecrari cupiens, per nos peccatores ad effectum perduxit; ubi & Titulum nomini nostro constituit in Urbe Romana, in loco scilicet, qui appellatur Vicus Patricii*. Postea agit *Pastor* de Thermis Novati, similiter in Ecclesiam conversis; illiusque verba prae oculis habuisse videtur Anastasius Bibliothecarius, quando scripsit de Pio, quod *rogatu B. Praxedis dedicavit Ecclesiam Thermas Novati in Vico Patricii, in honorem S. Potentianae sororis suae*. Igitur, ajunt PP. Bollandiani, in eodem quidem Vico, sed diversas, fuisse Ecclesias PASTORIS, & PUDENTIANAE: cumque prior illa vel corruisset, vel desolata esset, *Titulum Pastoris* (ut saepe alias factum ostendi potest) alteri esse unitum: incertum tamen quando, & quo auctore: nisi quod, Onuphrio teste, *Leopardus, & Maximus Presbyteri, sub Innocentio Papa*, idest initio Saeculi V, *in sepulcro ante Ecclesiam S. Pudentianae sunt conditi*; quodque in ejus *parte dextera vetustissimum est sacellum, masivo opere decoratum, a quodam Maximo Viro Illustri conditum, in quo vulgo S. Petrum primam Missam celebrasse traditur*. Quae, si de uno eodemque Maximo possunt intelligi, ut videtur Bollandianis; consequens (inquiunt) haud inverisimile erit, translationem Tituli factam tempore praedicti Innocentii Papae; ejusque Translationis monumentum mansisse in Sacello ad eum finem sub nomine *Pastoris* erecto (sic enim etiam hodie vocatur), novis marmoribus, picturisque ab Ecclesiae restauratore Cardin. Cajetano exornatum. Vulgari autem traditioni ignoscendum, quod more suo tempora, personas, locaque confundens, ex superstite nomine, credat ipsum fuisse veterem *S. Pastoris* Titulum; quodque eum Pudentem, in cujus Aedibus primum est erectus, non distinguat a S. Petri hospite seu

ſeu diſcipulo. Eadem S. Pudentianae Eccleſia aliam poſtea reſtaurationem accepit, quam ante Saeculum nonnm factam deberemus exiſtimare, ſi crederemus Floravanti Martinellio, memoratos orbiculos ſupra Portam majorem ſcalptos (& a nobis exhibitos in hac Tabula dictis numeris 5. 23. 24. & 35) referenti ad aetatem Hadriani primi. Sed ſubjecta ſingulis orbiculis Leonini rythmi carmina, Martinellii conjecturam refellunt. Nam Leoninorum verſuum initium nemo eruditus fecerit Saeculo XII. antiquius, quando floruit Innocentius II. ſimilibuſque exornata eſt Abſis Baſilicae S. Mariæ Tranſtyberim. Ne credas tamen, ſub Innocentio II. Papa vixiſſe illum *Maximum* Presbyterum, qui Eccleſiam S. Pudentianae primum reſtauravit; quoniam *Leopardi* ejus compresbyteri extat adhuc inſigne fragmentum Inſcriptionis, in eadem Eccleſia S. Pudentianae poſitae SALVO PAPA SIRICIO, ut oſtendi in Hiſtoria Manuſcripta Eccleſiae SS. Marcellini & Petri, quam BENEDICTO Papae XIV. munificentiſſimo ejuſdem Tituli Conditori laetus obtuli, ad comprobandum, S. Siricium fuiſſe dicti Tituli SS. Marcellini & Petri primarium Fundatorem. Duodecimo itaque Chriſti Saeculo neſcio quis Eccleſiam S. Pudentianae, Paſtoris Titulo uniendam, inſtaurandamque curavit, effictis in Janua ad hoc ipſum ſignificandum prædictis orbiculis, quorum hanc excipe deſcriptionem a memorato Floravante Martinellio ſumptam, & Innocentii Secundi aevo reſpondentem. Omiſit tamen Floravantes quintum (ut & nos in Tabula, quam illuſtramus) orbiculum, inter quatuor medium, in quo Agnus exprimitur, cum nonnulla ad Titulum *Paſtoris* alluſione, per hujuſmodi verſus in orbem circumſcriptos,

Mortuus, & vivus, idem ſum Paſtor & Agnus:
Hic Agnus Mundum reſtaurat ſanguine lapſum.

Ad dextrum *Agni* latus proxima Virgo Pundentiana ſic compellatur:

Protege praeclara nos Virgo Pudenquetiana:
Virgo Pudenquetiana coram ſtat lampade plena.

Ad ſiniſtram, ejuſdem ſoror ſimiliter invocatur:

Nos, pia Praxedes, prece ſanctas confer ad Aedes:
Occurrit Sponſo Praxedes lumine claro.

Rurſum ad dextram, S. Paſtor in habitu Sacerdotali, cum verſibus,

Sancte, precor, PASTOR, *pro nobis eſto rogator:*
Hic cunctis vitae Paſtor dat dogmata ſanctae.

Ac denique ad ſiniſtram *S. Pudens*, in habitu, ut vult Floravantes, Lectoris ſacri, vel, ut mihi potius videtur, Senatorio, cum metrica Inſcriptione,

Te rogo, Sancte Pudens, nos purga, crimina trudens:
Almus & iſte docet Pudens ad ſidera calles.

Cl. Ciampinius *Veterum Monumentorum* Tom. I. p. 26. loquens de nonnullis antiquis ornamentis, ſive hieroglyphicis, Eccleſiarum Januis apponi ſolitis, eandem protumen S. Paſtoris, de qua hoc numero loquimur, affert, atque ita deſcribit: *Haec Virum refert pretioſa veſte decorum, & diademato capite; qui, veluti actu benedicat, elevat dexteram, velatamque ſiniſtram habet, qua librum occluſum ſuſtinet. Quinam ſit Vir iſte, verſus in peripheria ſculpti ſat indicant:*

✠ HIC CUNCTIS VITAE PASTOR. DAT DOGMATA SANCTAE.
✠ SANCTE PRECOR PASTOR PRO NOBIS ESTO ROGATOR.

Paſtor autem, fuit Presbyter: quam ſacrum Dignitatem ipſe benedicendi actus, ac liber, quem manu tenet, Codicem Euangeliorum repruesentans, demonſtrant. Sanctae Praxedis Acta conſcripſit, ac ejuſdem Sanctae corpus ſepulturae tradidit, ut docet Baronius ad annum 164. num. 24.

6. ECCLESIA EX CIRCUMCISIONE. Cernitur in opere Muſivo Eccleſiæ S. Sabinæ a Caeleſtino Papa I. circa an. Chr. 414. conſtructae. Laudatus Joannes Ciampinius Veter. Monum. Tom. I. pag. 195. *Subſtat* (inquit) *pedibus D. Petri prope Inſcriptionem Imago Mulieris, apertum librum ſiniſtra tenentis, & medium, ac indicem dexterae manus digito elevantis: cui lemma ſubſcriptum eſt:* ECCLESIA EX CIRCUMCISIONE. *Ipſi ex adverſo, Feminae alterius figura reſpondet; quae & ipſa librum apertum ſiniſtru ſuſtinet, dexteramque cum indice extenſo pectori admotam elevat, habetque ſubſcriptum lemma:* ECCLESIA EX GENTIBUS. *Et haec utique conſultiſſime ſubditur pedibus D. Pauli; qui peculiari nomine* DOCTOR GENTIUM *auditur, & Divini Spiritus teſtimonio* VAS ELECTIONIS *eſt, ut Nomen Domini Gentibus portet. Sicut & illa prior me-*

INDICULUS TAB.I.SAEC.II.

rito pedibus D. Petri subdita est: illi enim Euangelium Circumcisionis creditum fuit, ut in Epist. ad Galat. cap. 2 Paulus loquitur; ubi mirifice utrumque, & fuse, confirmat, „ sed econtra (*inquiens*) cum vidissent, quod creditum est mihi Euangelium praeputii, sicut Petro Circumcisionis (qui enim operatus est Petro in Apostolatum Circumcisionis, operatus est & mihi inter Gentes); & cum cognovissent gratiam, quae data est mihi; Jacobus, & Cephas, & Joannes, qui videbantur columnae esse, dextras dederunt mihi, & Barnabae, societatis; ut nos in Gentes, ipsi autem in Circumcisionem „ &c. *Ex hujusmodi imaginibus declarare posse videor, quod plurimum negotii facessit Severano, & aliis, qui impensam operam collocarunt in illustrandis Coemeteriorum picturis. Tomo enim 2. lib. 4. cap. 7. refertur Tabula Cubiculi secundi Coemeterii Via Latina, ubi inter alia est Mulier, quae sic a Severano describitur*: In arcuati vero monimenti pariete, Mulieris extensis brachiis Deum exorantis imago exprimitur, ad cujus pedes vascula bina subsistunt, quae servandis quondam voluminibus apud priscos Christianae Fidei cultores usui esse consueverant. *Haec mulieris imago, judicio meo, nihil aliud repraesentat, nisi Christianam Religionem; ac illa vascula cum voluminibus, nihil aliud denotant, nisi duas Leges scriptas, Biblia nempe Sacra, & Euangeliorum volumina, in quibus Christiana Fides fundata est. In eodem libro 4. cap. 14. conspicitur alia Tabula, in qua duae Mulieres expressae sunt, quae Ecclesias utrasque significant: itidem eodem libro cap. 27. & cap. 37. In cap. autem 18. describitur Mulier media inter duos senes, quorum brachiis fulcitur; referens (ut autumo) Ecclesiam Sanctitate & Doctrina, robustis Apostolorum Petri & Pauli manibus, sustentari.*

7. Nummus Trajani, cum epigraphe in antica IMP. CAES. NER. TRAIANO OPTIMO AVG. GER. *Caput Trajani radiatum*: in postica vero legitur, DAC. PARTHICO. P. M. TR. POT. XX. COS. VI. P. P. *Corona quercea, in cujus medio* S. C. Vide Angelonum pag. 108, & 122. num. 34, Harduinum pag. 753, Mediobarbum pag. 163, Theupolum Tom. I. pag. 447, ac Museum Musellianum Tom. I. Tab. 68. num. 4, & Tom. 3. pag. 118. num. 4. Trajanus Imp. Aug. Consulatum VI. iniit una cum T. Sextio Africano anno Aerae Chr. Vulg. 112, Tribuniciam vero Potestatem XX. anno ejusdem Aerae 116. Inscriptio apud Gruterum p. 1029. num. 6. T. SEXTIVS. T. F. VOL....... &c. AFRICANI. CON... FILIVS. SALI... Vide Norisium in *Epistola Consulari* pag. 71. Laudatus Gruterus pag. 247. num. 2. lapidem exhibet cum *Trajani Tribun. Potest. XIII. Imp. VI. Cos. VI*; num. 3. cum *Tribun. Potest. XV. Cos. VI*; num. 4. cum *Tribun. Potest. XVII. Cos. VI*; num. 6. cum *Tribun. Potest. XVIIII. Cos. VI.* Vide etiam Fabrettum p. 398. n. 289, & Reinesium, in quibus jugatur TR. POT. XVIIII. cum COS. VI., &, ut in hoc Nummo quem illustramus, TR. POT. XX. pariter cum COS. VI. Numquam ergo Trajanus CONSVL VII. fuit. Quare mendum extat apud Gruterum pag. 247. num. 5, ex Nummis apud Occonem Mediobarbi, atque ex aliis lapidibus corrigendum. Trajanus, capta Ctesiphonte, PARTHICI cognomen, ab exercitu sibi iterum delatum, anno Christi 115. primum admisit. Vide Card. Norisium *de Epoch. Syromaced.* Dissertatione 3. cap. 7. §. 2. pag. 248, & Xiphilinum, qui narrans, anno Chr. 116. (quo Nummus, de quo loquimur, cusus est) res in Oriente gestas a Trajano, addit, Babylonem usque venisse, Tigrique trajecto, Ctesiphontem ingressum. *Qua Urbe capta* (sunt ejus verba Latine translata), *Imperator appellatus est, confirmata* PARTHICI *cognomine*. Trajanus huc usque IMPERATOR VIIII. appellatus fuerat. Ctesiphonte vero capta, Imperator X. nuncupatus est. Onuphrius Panvinius in Fastis producit Trajani Nummum, nostro fere persimilem in epigraphe, in quo legitur, IMP. CAES. NERVAE. TRAIANO. OPT. AVG. GERM. DAC. PARTH. P. M. TR. P. XX. COS. VI. IMP. X. P. P. Tribuniciam Potestatem XX. quinto Kalendas Novembris dicti anni 116. Trajanus suscepit. Sed (ut inquit Pagius in Critice) [paullo] ante Imperator X. appellatus fuerat, dum Tribuniciam Potestatem XIX. adhuc gereret; licet nulli Nummi supersint, quibus id probare possimus. Nam cum Xiphilinus insinuet, Ctesiphontem ante initium hyemis expugnatam, id nobis asserendi locum praebet. Ait enim, Trajanum postea *Messanam* Insulam Tigridis *coepisse, atque iis in locis, propter vim hyemis, & rapidum Tigrim, aestumque maris, in magnum periculum venisse &c.* ubi de hyeme anni Chr. 116. sine dubio sermo est. Extat Trajani Nummus cum epigraphe, TRIVMPHVS PARTHICVS. Frequens praeterea PARTHICI appellatio in ejus Num-

Nummis. Titulum vero DACICI, quod item legitur in nostro Nummo, *ante quintum Consulatum* sumpsit. Belli Dacici Chronologiam ita Norisius, & Georgius disponunt. Bellum susceptum an. Dom. 102. In vetustis lapidibus Gruterianis pag. 177. num.2, Trajanus dicitur GERMANICVS. TRIB.POT. VI. IMP.IV.COS.IIII.: pag.vero 190.num.3. TR. POT. VII. IMP. IV. COS. IV. DESIG. V. Tribuniciam Potestatem VI Trajanus inchoavit sub initium Novembris anni Christi 102. Nummum Norisius profert ex Museo Mediceo, in cujus antica IMP.CAES.NER. VA TRAIAN.AVG.GERM.P.M.TR.P.VI, in postica vero legitur, IMP.IIII. COS.IIII, Alii ejusdem Nummi apud Occonem Mediobarbi leguntur, in quibus, ob Victoriam de Dacis, Trajanus Imperatoris titulum multiplicavit, cum VI. Tribuniciam Potestatem gereret: sed in his, GERMANICVS tantum, non DACICVS nuncupatur; quod cognomentum Romae triumphaturus de Dacis a Senatu tulit. *Victoria Dacica* contigit an. Dom. 103, quo, mense Novembri, Trajanus Tribuniciam Potestatem Septimam iniit, & tunc in Nummis dictus est Consul IIII.Des.V. Hinc in Nummo rarissimo Mediceo Trajanus exhibetur cum TR.POT.VII.IMP.IIII.COS. V. Imperator in Quadriga triumphans, dextra laurum, sinistra sceptrum tenet. Demum Nummi aurei Trajani tres in Museo Theupolo (cujus praeclara Numismata a Jo. Dominico Theupolo Patricio ac Senatore Veneto dudum collecta, demum Laurentius Theupolus Eques ac Aedis D. Marci Procurator Amplissimus, unaque Federicus Theupolus ejus frater idemque Senator Venetus, Reipublicae Litterariae bono in lucem edenda curarunt) eadem confirmant. Nam pag.160. in altero ex his legitur in antica, IMP. TRAIANO. AVG. GER. DAC.P.M. TR. P., & in postica DAC. CAP. COS. V. P.P.S.P.Q.R.OPTIMO PRINC. Visitur Dacia lugens, ac sedens super arma. Alii quoque duo Nummi, ibidem pag.158. & 159, *Dacici* cognomentum in aversa exhibent, & in postica, COS. V. P. P. S. P. Q. R. OPTIMO PRINCIPI. Extat lapis apud Sponium pag. 185. ex schedis Guichenonii, qui sic habet,

IMP. CAESARI . DIVI . NERVAE . F.
NERVAE . TRAIANO . AVG. GERM. DACICO
PONTIFICI . MAXIMO
TRIBVNIC. POTEST. XII.
IMP. VI. COS. V. P. P.
DEVICTIS . DACIS
FOROCLAVD. PVBL.

Hi populi an. Dom.109. hanc Inscriptionem Trajano ob Victoriam Dacicam dedicarunt, ut ex ejus Tribunicia Potestate XII. patet. Extat epistylium in hortis Barberinis, cum iisdem Trajani titulis. De titulo *Dacici* Trajano tributo rursus eadem repetit atque confirmat Card. Norisius *de Epochis Syro-Macedonum* Dissert. III. cap. 8. pag. 240. & sequentibus. Pausanias in *Eliae. prior*. pag. 159. de Trajano scribit: *Hic Imperio Populi Romani Getas, qui sunt supra Thraces, adjunxit*. Et Xiphilinus ex Dione pag. 247. *Decebalus, postquam Regiam, regionemque suam omnem captam esse cognovit, ac periculum imminere, ne ipse quoque caperetur, manus sibi intulit. Ejus caput Romam perlatum est, & sic Dacia in potestatem Populi Romani venit; in eamque Trajanus Colonias deduxit*. Eutropius quoque in Trajano inquit: *Daciam Decebalo victo subegit, provincia trans Danubium facta*. Demum laudatus Xiphilinus, ubi Trajani cum Dacis bellum describit, ait: *postea contendit ad editiora montium loca, indeque aliis occupatis collibus, non sine periculo ad Regiam Daecorum pervenit*. Huc pertinet quaedam Inscriptio edita apud Gruterum pag. 246. num.6. quae habet,

IMP. CAESAR . DIVI . NERVAE . F.
NERVA . TRAIANVS . AVGVSTVS
GERMANICVS . DACICVS . PONTIF. MAXIMVS
TRIB. POT. IIII. COS. IV.
VICTO. DECABALO.

At Eminentiss. Norisius in *Epistola Consulari*, Fabrettus in *Syntagmate de Columna Trajani*, & Georgius in Notis ad Criticam Pagii eam falsi coarguunt; quod Victoriam Dacicam ad IV. Trajani Tribuniciam Potestatem referat. Porro duo genuini lapides apud Gruterum pag. 198. num. 3. & 4. itemque Nummi, eandem Victoriam jungunt cum TR. POT. VI. COS. IV. nempe cum an. 103.

8. Antiquus hic lapis, post Tabulam nostram Chalcographicam jam aeri incisam, repertus est in Cubic. I. Musei Capitolini n. xxi. Quare enm, ad fidem prototypi, diligentius atque integrius edidimus in Chronico ad ann. Aerae Chr. Vulg. 100, quo Consules Ordinarii processerunt *Trajanus Aug. III. & Sex. Julius Frontinus III.* Equidem non me latet, de Trajani Collega magnam quaestionem esse, an fue-

INDICULUS TAB. I. SAEC. II.

an fuerit *Sex. Julius Frontinus III.*, vel potius *M. Cornelius Fronto*. Norisius in *Epistola Consulari* ad hunc annum, dubius haeret, uter horum fascium insignia praetulerit. Attamen in *Sextum Julium Frontinum* magis propendet; quod Consul Suffectus fuerit sub Vespasiano, itemque sub Nerva, ac demum *tertius Consulatus* a Trajano ei fuerit delatus. Illud certe ex Plinii Panegyrico constat, Trajanum in *tertio* suo *Consulatu* Collegam habuisse eum, qui, (ut Julius Frontinus) tum *Consul tertium* dicebatur. Suffecti vero fuere ex Kal. Martii ejusdem anni 100, *Sex. Pompejus Collega III.* Ex Kal. Septembris, *C. Plinius Caecilius Secundus* & *Sp. Cornelius Tertullus.* Et ex Kal. Novembris, *Julius Ferox* & *Acutius Nerva.* Vide eundem Plinium in Panegyrico cap. 60. & 61. qui Consules Suffectos eodem anno Christi 100, praeteritis tamen eorum nominibus, memorat. *Julius Ferox* tamen, *Consul designatus* dicitur ab ipso Plinio lib. 2. Epist. XI, ut & *Cornutus Tertullus*, ibidem. Denique, praeter hos, duo alii Consules Suffecti eodem anno 100, produntur ex nostro Lapide, quem heic illustramus, dedicato IIII. KAL. IAN. Extat, ut mox diximus, in Aedibus Capitolinis, habetque in fine L. ROSCIO AELIANO TI. CLAVDIO SACERDOTE COS. Hinc discimus, Coss. istos fuisse Suffectos postrema ejusdem anni parte, post bimestrem Consulatum *C. Plinii* ac *Tertulli Cornuti*, ut animadvertit, post Norisium, Praesul Georgius in Notis ad Criticam Pagii. *Lucius Roscius Aelianus*, postea *Marii Maximi* Collega, fuit e Consulari Rosciorum genere. Raphael Fabrettus de eodem lapide loquens in Syntag. *de Columna Trajani* cap. 10. pag. 272, *tertios*, inquit, Trajani *fasces* (*gestos anno Christi* 100.), *quarti immediate exceperant*, postquam Senatus, ut susciperet quartum Consulatum rogavit, & jussit: *nec dubitatur eum suscepisse, ex frequenti in Nummis commemoratione* TRIB. POT. IIII. *una cum* COS. IIII, *& ex non ambigua lapidis (quem nos illustramus in hac Tabula I. Saeculi II. num. 8.) fide, in Insula Tiberina reperti; per quem fit evidens, quartam Tribuniciam Potestatem, cujus calculus poni coeptus est sub fine Octobris cum III. Consulatu usque ad finem Decembris, exinde vero cum IV, ad quem Trajanus designatus dicitur, non interrupte conjungi*. Heic affert laudatus Fabrettus eundem lapidem, de quo loquimur, exscaptum in epistylio ex altera parte mutilo, & inventum, ut inquit, in Insula Tiberina in Vinea Dominorum Carpineorum ad Viam Aureliam: qui quantum conferat Chronologiae, idem Fabrettus ostendit *Inscriptionum cap.* 2. p. 103. lit. D. in notis ad pag. 73. Vicorum (inquit) Magistri Urbis certa habent principia, ex Dione lib. LV, *Ti. Claudio & Cn. Calpurnio Pisone Consulibus*, nempe anno Urbis 747., ut binae de iis Inscriptiones consentientes ostendunt. En tibi (ut rem exemplis confirmem) *Magistros Vici Sandaliari Regionis IIII. anni XVIII* sub Consulibus Germanico Caesare, & Cajo Fontejo Capitone, hoc est anno Urbis 765, ut in Inscriptione Gruteriana p. LXIX. 5, numerum exacte implentes. Idem comperies in ea, quam laudatus Fabrettus cap. 9 Syntagmatis de Columna Trajani p. 273, atque nos heic in nostra Tabula num. 8. exhibemus, in qua pariter annus Magisterii CVI. cum anno Urbis 853. (nempe Aerae Chr. 100.) quo Trajanus Tertium Consulatum gessit, adamussim concurrit. Discordat, ut verum fatear, hoc epistylii frustum, prostans in Viridario Patrum Theatinorum ad Quirinalem:

....VGVST. VICI. IOVIS. FAGVTAL....
.....MP. NERVA. DIVI. NERVAE. F. TRAIAN......
....ICO. PONT. MAX. TRIB. POT. XIII. IMP. VI.....
....POLLIONIS. TRIB. PLEB. AED. REG. III. VETVSTA....
......GISTRI. ANNI. CXXI. SVA. INPENSA. RESTITV......
....PHOEBVS. A. NONIVS. A. L. ONESIMVS....
....CALLISTVS . L. VALERIVS . L. L. EVTICHVS...

Sed vel in partibus abruptis aliquid latuit, per quod annus CXXI. ad decimumtertium Imperii annum, (qui ex praemissis CXVI. esse debuit), nempe ad annum Urbis Conditae 862, quo Trajanus iniit XIII. Tribuniciam Potestatem, retrodocendus non sit, ut prima facie videtur (fieri enim potuit, ut Magistri anni CXVI Opus aliquod inchoaverint, cui Magistri anni CXXI. jam perfecto se inscripserint): vel in eo marmorarios lapsos fuisse dicendum est, & decusse per medium secto, ita ut annus CXVI. resultet, epigraphe emendanda: quod Reinesio, & ei similibus nullam difficultatem facesseret, mihi exsorbere durissimum est, in marmore praesertim publica auctoritate inscripto, atque oculis omnium exposito. Idem dixerim, de hoc alio fragmento apud Janum Gruterum *Inscript. Antiquar.* pag. CVI. num. 6, quod Romae extabat in Aedibus quondam Joannis Coritii, in Foro Trajani, habetque,

LARI-

LABIRVS. AVG. ET GENIS .CASPARVM .....
DESIG.X. P. P. PERMISSV. A. ANNI. CAMARTIS. T....
AT. VIRTVTIS. MAGISTRI. ANNI. LXXXXII. A. S...
IVLIVS.C.L.ZOSIMVS.W.BIBBIVS.W.L.HIERVS.W...

per quod anno Consulatus Domitiani nono (de eo enim indubie marmor loquitur) Magisterii annus xcii. trium annorum anticipatinne jungi videtur: nisi eadem interpretatio qualitercumque succurrat, primum scilicet numerum noni Consulatus Domitiani, opus incoeptum; posterius, perfectum designare. Ita Fab. Inscrip. pag. 103.

9. Nummus Hadriani, cum epigraphe in antica IMP. CAESAR. TRAIANVS. HADRIANVS. AVG.P.M. TR.P. COS.III.P.P. In postica vero, quam heic exhibemus, legitur, ANN.DCCCLXXIIII. NAT. VRB. P. CIR. CON. S. C. *Figura humi sedens, cum rota, & tribus obeliscis*. Vide Vaillant. *Num. Imp. Rom.* Tom.I.pag.63, & Tom.2.p.138., ubi ait, ANN. DCCCLXXIIII. NAT. VRB. P. CIR. CONC. *Figura muliebris humi desidens, quae tenet dextra rotam*, in memoriam Ludorum Circensium, ab Hadriano concessorum P. Romano: illas enim notas interpretamur, *anno 874. Natalis Urbis Populo Circenses concessit*, quamquam nulla sit Circi ab Hadriano conditi mentio apud Historiae Scriptores. Mulier per rotam, cursus bigarum, & quadrigarum certamen; per metas, illud in Circo peractum denotat. Baro Bimartius in Commentario super Scientiam Nummorum veterum Tom.2. affirmat, non bene lectam a Vaillantio hanc epigraphen, veramque lectionem esse ANN. DCCCLXXIIII. NAT. VRB. P. CIR. CON. S. C. & interpretatur, *anno 874. Natali Urbis primum Circenses constituti Senatus Consulto*: Hadrianum videlicet instituisse publica Senatus auctoritate, diem Palilium (sive Parilium), Natalem Urbis, Ludis Circensibus celebrari. Sertorius Ursatus *de Notis Romanorum*, Tom. XI. apud Graevium *Thes. Antiquit. Roman.* pag. 547. ait: „ qualem Hadrianus Circum condiderit, nullum apud Auctores, quod sciam, vestigium. Scribit tamen in ejus Vita Spartianus, *Romae instauravit Pantheon, Septa, Basilicam Neptuni, sacras Aedes plurimas, Forum Augusti, Lavacrum Agrippae, eaque omnia propriis, & veterum nominibus consecravit*. Dio pariter de ipso Hist.lib.69. inquit: *Socias Urbes, atque subditas Imperio Romano, ex quibus multo plures, quam ullus unquam Imperator vidit, magnifice juvit, easque aquis, portibus, frumento, operibus publicis, pecunia, honoribus, ceterisque rebus auxit, atque ornavit*: unde, si Numisma hoc aliquam istorum Opera non innuit, utique fateor me ignorare quid indicet; nisi vera sit *Francisci Angeloni in Historia Augusta* opinio, quod ab hujusce Nummi Inscriptione indicatum sit aliquod Hadriani opus insigne, pro Circo factum; ut puta, aliqua strata via, per quam ad Circum ipsum commodior pateret aditus. Viae enim alicujus stratae, aut patefactae, indicium exhibet mulier illa in Nummo humi procumbens, cum rota; ut ex simili patet in Nummo Trajani (quem vide in nostra Tabula III. Saec.2. num.108.), Appiae Viae reparationem demonstrante. Numquid vero veritati conjectura consentanea sit, docti expendant Viri; cum hoc evenisse noteut *Angelonus, & Adolphus Occo, in Impp. Rom. a Pompejo M. ad Heraclium serie*, anno Imperii Hadriani quarto. „ Ego vero Nummi, de quo agitur, verba circumscripta sic lego, *Anno DCCCLIIII. Natale Urbis, Post Circum Conditum. Senatus Consulto*. Valesius in Notis ad Ammianum lib. 16. hanc Inscriptionem recitans, loco P., legit R., idest *Romae*, contra Nummi fidem: & verba CIR. CON. vertit *Circenses concessi*. Hadrianua anno Urbis Conditae 874, Christi vero 121, Romae Natale Urbis celebravit; quo nomine vocari eum diem jussit, qui ante *Palilia* dictus erat, & quo Urbis Templum (de quo mentio apud memoratum Ammianum lib.16. cap.10.) extruxit, ut indicat Athenaeus lib.8. cap. 16. *Auditus est*, inquit, *per universam Civitatem tibiarum strepitus, cymbalorum sonus, ac insuper tympanorum strepitus, cum multorum, qui canebant, vocibus. Celebrantur enim Palilia, dictae quondam Feriae, (nunc Romanas appellant), extructo dedicatoque Fortunae Urbis Templo ab optimo & humanissimo Imperatore Hadriano. Eum scilicet diem eam solemni celebritate quotannis festum agunt non solum Romani Cives, sed etiam quotquot externi homines tum Romae sunt*. Eum ergo diem, qui ante *Parilia* dicebatur, *Natalem Urbis* Hadrianus vocari voluit (ut ex laudatis Athenaei verbis elicio cum citato Valesio; quoniam in Palilibus Romae Urbis fundamenta jacta credebantur. Dionysius enim Alicarn. lib.I. pag.75. scribit: *Quem diem, si nullum alium, Romana Civitas nostro quoque tempore singulis annis Festum celebrat, vocatque Palilia: cum, ineunte Vere, agricolae pastoresque, pro partu quadrupedum, Diis actu-*

INDICULUS TAB.I.SAEC.II.

turi gratias, sacra faciunt. Plutarchus quoque in Rom.p.23.*Conditam Urbem in confesso est* (inquit) *XI.Kal.Maji, quem habent Festum Romani*, & Patriae Natalem appellant. Quare Propertius IV. 4. 73 cecinit,

Urbi Festus erat, dixere Palilia Patres:
Hic primus coepit moenibus esse dies.

Et Suetonius *in Caligula* cap.16.num.13. *Decretum autem* (inquit), *ut dies, quo coepisset Imperium, Palilia vocarentur, velut argumentum rursus Conditae Urbis*. Vide Demsterum in *Paralip.* ad Rosinum lib. I. cap. 1., Siccam. in *Fast. Kalend.* cap. 4, Struvium *Ant.Rom.* cap.9, Column. *in Ennii Annal.* I.p. 22, & Pitiscum in Suetonium. Circum Romae ab Hadriano, cum tribus obeliscis, conditum fuisse, hic Nummus fortassis ostendit. Nec refert (ut inquit Pagius in Critice), Spartianum, aliosque, nullam de aliquo peculiari Circo ab Hadriano condito mentionem facere; cum multa ex Nummis discamus, quorum nullum apud Auctores vestigium. Hanc conjecturam confirmat alius Nummus apud Occonem pag. 232. inscriptus IMP.CAES.HADRIANVS. AVG. COS. III. cum Circo, ut in praesenti, repraesentato. Xiphilinus in Hadriano scribit: *Praeterea spectacula die suo Natali Populo gratis dedit, ubi ita magnus numerus bestiarum caesus est, ut simul leones centum, ac totidem leaenae confectae fuerint. Dona in Theatro, & Circo, viris, atque mulieribus separatim in sphaeris missilibus dedit: & ne mulieres cum viris lavarentur, vetuit.... Post haec, Hadrianus in alias ex aliis Provincias, Regionesque, & Urbes proficiscitur, visendi causa*. Interim observandum, Hadrianum in hoc Nummo, in quo Natale Urbis exprimitur, Senatus auctoritate percusso, Patrem Patriae appellari; ideoque per ea tempora illud nomen tulisse, quemadmodum & sequentibus annis; ut ex aliis Nummis, & lapidibus satis liquet.

10. Inscriptio quantivis praetii. Extabat olim in Archivo Sacrosanctae Basilicae Vaticanae, supra, & infra deficiens: nunc vero in Aedibus Musei Capitolini jussu Clementis XII. P. M. adservatur in Cubiculo I. num. xxvi. De ea Vir Cl. Raphael Fabrettus haec habet in lib. *Inscript.* pag.495. *Quemadmodum plura erant Romae Sacerdotia, & Magistratus, in quibus superstites de Collegio novos cooptabant*, Fratres *scilicet* Arvales, Pontifices Majores, Epulones, Augures, *aliique; ita incertum est, de quibus hoc fragmentum intelligi debeat. Hoc certum erit, nequaquam cum eo, quod apud Gruterum pag. CCC. extare diximus, quid commune habere, eodem quamvis loco repertum; cum, post Consulatum* Prisci & Apollinaris Anno Urbis DCCCCXXII (*in quo utrumque convenit*), *in Gruteriano consequatur cooptatio* C. Licini Trionis Paulini, Severo Aug. III. & Antonino Coss. A. U. DCCCCLIIII., *sive uno amplius, cum Fastis Vindobonensibus; in nostro autem* Q. Clodii Marcellini Anno Urbis DCCCCLVII, Cilone & Libone Coss. *Informis tamen hic lapis ad Fastorum vulgatorum emendationem conferet, tum in laterculo* Cilonis & Libonis (*hunc enim* M. ANNIVM LIBONEM *vocat Panvinius; qui, cum nostro lapide*, FLABIVS, sive FLAVIVS LIBO *jam merito nuncupabitur*); *tum in alio duorum* ASPRORVM, *eodem praenomine ac nomine praeditorum, quorum prior*, M.POMPEIVS ASPER *dicitur a Panvinio, primumque Consul apparet; alius, nomine simul ac praenomine destituitur.* Hæc attulimus ex Fabretto, ad illustrandum titulum numeri 50. hujus Tab. I. Saec.III, nempe rationes Chronologiae. Anno Aerae Chr. Vulg. 169 Consules Ordinarii processerunt *Q. Sosius Priscus* & *P. Coelius Apollinaris*, ut ostendit Card. Norisius in Epistola Consulari ex quadam Inscriptione apud Gruterum pag. 300. num. 1, in qua C. Licinius Licinianus dicitur cooptatus Q. SOSIO. PRISCO. P. COELIO APOLLINARE. COS. P. R. C. A. DCCCCXXII. Quare annus Urbis Conditae 922, anno Christi 169. inchoatus, dilucide ostendit Fastorum ordinem recte digestum. Apud allegatum Gruterum pag. cccxxx. 2. legitur in alio marmore,

DEDIC. III. IDVS. AVG. SOSIO. PRISCO
ET. COELIO. APOLLINARE. COS.

Vide etiam apud eundem pag. MLXXXVIII. 6, & apud Ferrettum *Mus. Lapid.* pag. 209. Anno Aerae Christi Vulg. 204 Consules Ordinarii processerunt *Fabius Cilo II.* & *M. Flabius* (lege *Flavius*) *Libo*. Hi Consules componuntur cum anno Urbis Cond. DCCCCL... 956, vel post Palilia 957. Relandus nomen *Septimini* addit Ciloni: at *Septimiani* est in Doniana Inscriptione, Classe VI. num. 16. pag. 225, in qua legitur,

L. FABIO. M. F. GAL. CILONI
SEPTIMIANO. COS. PRAEF. URB.

Lucii vero praenomen Ciloni fuisse, discimus ex alio antiquo lapide (si tamen alius ab illo Doniano est) apud Gruterum pag. CCCCVI. 9.

L. FA-

L. FABIO . M. F.
GALER. SEPTIMINO
CILONI . PRAEF. URB.
C. V. COS. II.

Quaedam figlina in Aedibus Capitolinis habet ..... RO. II. ET LIBON. COS. Item alia apud Boldettum lib.I. cap.XIX. pag.83. num.21.,

XL. L. FAB. CIL. M. ANN. LIB. COS.

Quare in Gudianis legitur (ut reor) mendose,

DEDICAVIT. XV. KAL. OCTOBR. M.FABIO.CHILONE.& L.LIBONE.COS.

Vide Inscriptionem Graecam apud Gruterum pag. 406. num. 10., Censorinum de die Natali cap.17, & Spartianum in Caracalla. FABIVS CILO, cum numerali nota II, editur etiam in Fastis Theonis. Anno Aerae Chr. Vulg. 212. Consules Ordinarii fuere *C. Julius Asper* & *C. Julius Asper*. Hi Consules junguntur cum anno Urbis Conditae DCCCCLI.... (965.) post Palilia. Fabrettus *Inscript.* pag. 51,

C. IVLIO. ASPRO. COS.

Idemque Vir Doctissimus pag.494. integrum marmor exhibet, de quo agimus in hac Tabula. Ex eo vero cum ipse, tum Relandus, utriusque Consulis praenomen *Cajum* fuisse, optimo jure censent. Norisius quidem in *Epistola Consulari* pag. 127. aliquos Panvinii errores castigans (qui anno 212. Consules posuit *M. Pompejum Asprum*, & alium *Asprum* ejus collegam), nonnulla de *Aspris* ex Dionis excerptis notat, ac demum horum praenomina ignarare se scribit. At *de Epochis Syromacedonum* p.158.&seq. Edit. primae, postquam a Fabretto duas Inscriptiones accepit, in quibus horum Consulum praenomina exarata erant, monuit, se *in Epistola Consulari* praenomen *Caji* omisisse, quod una Fabrettiana Inscriptio detexit:&, cum in earum altera legeretur IVLIO CN. F. P. C. ASPRO, censuit, duos Aspros Consules, fratres fuisse, ac filios Cnei *Julii Aspri*; ideoque alterius Praenomen fuisse Cnejum: siquidem quispiam filiorum vulgo Praenomen patris ferebat. In Inscriptione tamen Capitolina, de qua agimus, utriusque *Aspri* praenomen est *Cajus*. In Corpore Gruteriano pag. 132. num. 1. legitur,

DVOBVS . ASPRIS
COS. IDIBVS . IVNIS.

Et in lapide detecto Via Latina in vinea prope Monasterium Cryptae Ferratae, quem exscripsit an.Dom.1733. ediditque Cl. Praesul Dominicus Georgius in notis ad Criticam Pagii,

ASPER BIS CONSVL(*sic*) PRAEFECTVS VRBIS. INDICULUS TAB.I. SAEC.II.

Alius quoque lapis ibidem habet,

IVLIAE IVLIANAE SORORI
ASPRI C.....

qui satis demonstrat, Aspros *in Julia* Familia recensitos fuisse. De geminato *prioris Aspri* Consulatu, in Vulgatis Fastis nihil: sed Inscriptio, quam illustramus, edita in nostra Chronologia ad an. Chr. 169, & Chronicum Alexandrinum, iterati Consulatus notam (& optimo quidem jure) habent.

11. Nummus Antonini Pii, cum epigraphe in antica, ANTONINVS. AVG. PIVS. P. P. IMP. II. *Caput laurea ornatum*: in postica vero, quam heic exhibemus, legitur, TR. POT. XX. COS. IIII. Juppiter imberbis, hastam dextra, fulmen sinistra manu gerit. Ab uno Jovis latere Ara cernitur, cui insidet Aquila; ab altero autem Atlas, genu flexo Globum humeris sustinens. Antica Nummi facies virum clava armatum repraesentat, qui alium prosternit. *An Gigantum pugna heic repraesentatur, an Hercules quempiam trucidans?*, inquit Montfauconius Tomo I. Part. I. *Antiq. expliq.* pag.38. Patruus meus amantissimus Franciscus Blanchinus Praesul (in Opusculo auro cariore, quod PII. FELICIS ET SEMPER AVGVSTI IOANNIS V. LVSITANIÆ ET ALGARBIORVM REGIS FIDELISSIMI jussu texuit, mortique proximus, eidem dedicatum reliquit, inscripsitque GLOBVS FARNESIANVS ET IN EO RVDIMENTA ASTRONOMIAE, CHRONOLOGIAE, ET HISTORIAE AETATIS HEROICAE, A GRAECIS AD NOS TRANSMISSA, quodque fuit nunc primum a me vulgatum in *Libro Antiquario* hujusce *Demonstrationis Historiae Ecclesiasticae Quadripartitae* pagina CCLXXVIII. & sequentibus) hunc Nummum maximi moduli percussum in Tribunicia Potestate XX. Imp. Antonini Pii Cos. IV. (cui respondet annus Aerae Chr. Vulg. 157. ex die V. Kal. Martii ad V. Kal. ejusdem mensis sequentis anni 158.) existimat exhibere eandem Statuam Atlantis, Caelestem Globum fulcientis, quae contemplanda proponitur in Palatio Farnesiano ad Campum Florae: aitque, in utroque Globo fuisse insculptos Sphaerae Caelestis circulos, & imagines Asterismorum, a Scriptoribus Graecis pariter ac Latinis, post Eudoxi speculum & Arataea phoenomena, celebratas. Vide laudatum ejus

INDICULUS TAB.I.SAEC.II.

ejus Opusculum, nostro *Libro Antiquario* insertum, pag. CCLXXXI. col. 1. hujusce *Demonstrationis Historiae Ecclesiasticae Quadripartitae*: ubi ipse hoc Antonini Numisma, de quo loquimur, (ceteris omnibus ejusdem Imperatoris ferme dixerim anteferendum) in Tabula ex aere incisum exhibet, ac illustrat. Antiquitatis cultoribus perlustrandum eundem Nummum antea repraesentaverat in Libro, cui fecit titulum, *De Kalend. & Cyclo Caesaris*, pag. 52. ibique, ad rem nostram, haec adnotare veritati consonum reputavit: *Praeter Zodiaci signa, aliis quoque asterismis utriusque Luminaris motum, & anni cardines Nummi antiquorum notant: praecipue vero, si quae astra fuerint stellis majoribus insignita, & proximiora signifero.* ARAM *votis Deorum celebrem apud Mythologos, quam Caeli lares etiam dixerunt, observo constitutam in ea Caeli parte, quae proxime attingit tropicum Capricorni: unde trahenda est numeratio anni Romani. Causam idcirco videre videor, cur ita frequens in Latinis Numismatibus* ARA *invenitur.* AQUILAM *Jovis assectam, eadem causa adjicere potuit anno Romano post Numae ordinationem tuendo. Nam sub Regibus, stante Republica, & florente Imperio, stellae potiores illius asterismi versabantur in ipso coluro solstitii hyberni: ubi etiamnum insculpta conspicitur Aquila in Globo Farnesiano, Romanarum antiquitatum, imo & Graecarum, & Assyriae, & Aegypti, monumento praestantissimo.* Paulus Alexander Maffejus Patricius Volaterranus in libro *delle Gemme antiche figurate* edito Romae anno Dom. 1708, pag. 200. & seq. autumat, sub Jovis Imagine colossea, Antonini Pii Imperatoris divinas virtutes symbolice repraesentari; ingentemque Imperii ejus molem, sub Globo caelesti, quem Atlas, dextero innixus genu, collo ac dorso impositum, utraque manu admota, valide sustinet. Affert ad id probandum istum locum Capitolini, ajentis in Antonino: *Provinciae sub eo cunctae floruerunt: Pacorum Regem Ladiis dedit: Parthorum Regem ab Armeniorum expugnatione solis literis repulit: Abagarum Regem ex Orientis partibus sola auctoritate deduxit: Rimethalcem in Regnum Bosphoranum, audito inter ipsum, & curatorem negocio, remisit: Olbiopolitis contra Tauroscythas in Pontum auxilia misit; & Tauroscythas usque ad dandos Olbiopolitis obsides vicit. Tantum auctoritatis apud exteras Gentes nemo habuit; cum semper amaverit pacem: solus omnium prope Principum prorsus sine civili sanguine, & hostili, quantum ad se ipsum pertinet, vixit.*

12. Observationes Astronomicae Ptolemaei, quae Hadriani, & Antonini Pii Imperatorum rationes temporum figunt, atque Caesaream Chronologiam.* Anno Aerae Chr. Vulg. 125. Ptolemaeus lib. 4. cap. 9. adnotat Eclipsim Lunarem factam ANNO VIIII. HADRIANI, Nabonassaris anno 872, nocte sequente diem 17. Mechir, ubi obscurata fuit a meridie sexta pars diametri horis 3, & 32. minutis ante mediam noctem. Ad Kalendarium Julianum accidit dicto anno 125 die v. Aprilis, Feria IV, hora octava, & minutis 48 post meridiem Alexandriae. Vide Chronicum.* Anno Aerae Chr. Vulg. 127. Ptolemaeus scribit lib. 11. cap. 5. se ANNO XI. HADRIANI, qui est Nabonassaris 854, nocte, quae sequuta est diem septimam Pachon, hora prima noctis, observasse Saturni stellam, eamque invenisse in 1. 13. Librae. Ad Kalendarium Julianum incidit haec observatio in diem 26. Martii dicti anni 127, ubi similiter ad Tabulas Prutenicas Saturni stella in dicto loco invenitur.* Anno Aerae Chr. Vulg. 130. Ptolemaeus lib. 10. cap. 7. observavit ANNO XV. HADRIANI, sive anno Nabonassaris 878, nocte, quae sequitur diem 26. Tybi, hora una post medium noctis, Alexandriae Planetam Martem, invenitque eum in 21. Geminorum. Tabulae Prutenicae ad hoc tempus, quod est dies 15. Decembris hora una post mediam noctem statuunt Martem in 20. 43. Geminorum.* Anno Aerae Chr. Vulg. 132. Ptolemaeus lib. 3. cap. 8. dicit, se observasse Aequinoctium Autumnale ANNO XVII. HADRIANI, sive anno Nabonassaris 880, die 7. mensis Athyr, horis duabus post meridiem. Ad Kalendarium Julianum observatio haec incidit in 25. Septembris, Feria 4.* Anno Aerae Chr. Vulg. 133. Ptolemaeus lib. 11. cap. 1. observavit Eclipsim Lunarem eodem ANNO XVII. HADRIANI, Nabonassaris anno 880, quae facta est nocte, quae sequuta est diem 20. Payni, cujus medium incidit Alexandriae minutis 45. ante mediam noctem, fuitque Luna obscurata tota, cum Sol esset in 13. parte Tauri, & 15. minut. Incidit haec dicto anno Epochae Chr. 133. in diem 6. Maji, feriam tertiam fere finientem.* Idem observavit eodem anno, nocte quae sequitur primum diem Epiphi, stellam Jovis, quae fuit in 23. gradu, & 11. minutis Scorpionis. Observatio facta

facta fuit hora una ante mediam noctem, & incidit eodem anno in diem 17. Maji, Feria septima, ubi invenitur stella Jovis ad Tabulas Prutenicas in gradu 23. minut. 12. Scorpii. * Observavit etiam Stellam Saturni eodem anno Chr. 133, nocte, quae sequuta est diem 18 Epiphi, quod fuerit in gradu 9. & minut. 40. Sagittarii. Incidit haec observatio in diem 3. Junii, Feria 3, ubi vesperi Saturnus ad Tabulas Prutenicas invenitur in gradu 9. & 43. minut. Sagittarii. * Anno Aerae Christi Vulgaris 134 Ptolemaeus lib. x. cap. 1. adnotat observationem Veneris, factam die tertio Pharmuthi, ineunte mane, ANNO XVIII. HADRIANI, sive anno Nabonassaris 881, quod viderit eam in 11. 51. Capricorni. Ad Kalendarium Julianum accidit die 18. Februarii, Feria quarta, ubi matutino tempore ad Tabulas Prutenicas Stella Veneris in eo loco invenitur. *Eodem anno Aerae Chr. Vulg. 134 Ptolemaeus ANNO XIX. HADRIANI, die 15. Athyr mensis, mane, anno Nabonassaris 882 observavit Mercurium, quod fuerit in gradu 20.12. Virginis. Est nobis dies 3. Octobris dicti anni 134, Feria 7, mane, ante ortum Solis, ubi Mercurius invenitur ad Tabulas Prutenicas in eodem gradu. * Item observavit, & adnotavit Eclipsim Lunarem, quae accidit eodem ANNO XIX. HADRIANI, nocte quae sequitur secundum diem Chojac mensis, anno Nabonassaris 882, hora una ante mediam noctem; fuitque novem digitorum, & paullo plus. Accidit ad Kalendarium Julianum dicto anno Aerae Chr. Vulg. 134, die 20. Octobris, hora undecima fere post meridiem. *Anno Aerae Chr. Vulg. 135. Ptolemaeus lib. 10. cap. 7. ait, Planetam Martem observatum a se eodem ANNO XIX. HADRIANI, Nabonassaris anno 882, nocte, quae sequuta est diem 6. Pharmuthi; & deprehendit eum in gradu 28. 50. Leonis, ubi similiter Planeta ille ad Tabulas Prutenicas in eodem loco invenitur. Est nobis dies 21. Februarii, Feria prima. *Eodem anno Aerae Chr. Vulg. 135 Ptolemaeus observavit lib. 5, cap. 13. cum instrumento locum Lunae ANNO XX. HADRIANI, die 13. mensis Athyr, vesperi ad occasum Solis; invenitque eam, secundum cursum medium, in gradu 25. 44. Sagittarii, sed per prosthaphaeresin in gradu 3. 10. Capricorni. Ad Kalendarium Julianum incidit haec observatio in diem 1. Octobris, Feria 6, ubi ad dictam horam cursu suo medio Luna quidem est in 26. 6 Sagittarii, & non multum abest a loco Ptolemaei; sed per prosthaphaeresin verus ejus locus tantum constituitur in primo gradu, & minutis 39. Capricorni. * Anno 136 Ptolemaeus observavit lib. 11, cap. 5. Eclipsim Lunarem ANNO XX. HADRIANI, qui est 883. Nabonassaris, nocte, quae sequuta est 19. Pharmuthi, cujus medium incidit Alexandriae in horam quartam, post mediam noctem; & obscurata fuit dimidia. Eclipsis haec accidit die 6. Martii, feria secunda, in horam 3. 21. post mediam noctem ad hasce Tabulas. *Idem observavit eodem ANNO XX. HADRIANI, nocte, quae sequuta est diem 24. Mesori, in media nocte, Saturnum, deprehenditque eum esse in gradu 14. 14. Capricorni. Ad Kalendarium Julianum accidit id 8. Julii, Feria 7. ubi Saturnus ad Tabulas Prutenicas invenitur in 14. 19. Capricorni. *Idem Ptolemaeus observavit ANNO XXI. HADRIANI, Nabonassaris 884. nocte, quae sequuta est diem 13 Paophi mensis, horis binis ante mediam noctem, Stellam Jovis in gradu 7. 54. Piscium. Observatio haec incidit in diem 31. Augusti, ubi Jupiter invenitur in gradu 8. Piscium, & paucis minutis differt ab observatione Ptolemaei. *Qui observavit quoque libro decimo, capite primo, Stellam Veneris eodem ANNO XXI. HADRIANI, anno Nabonassaris 884. die 9. Mechir, prima hora noctis; deprehenditque eam esse in gradu 19. Aquarii. Incidit nobis in diem 25. Decembris, Feria 2. ubi eodem tempore deprehenditur in gradu 18. 54. Aquarii. * Anno Aerae Chr. Vulg. 137 Ptolemaeus lib. 11. cap. 2 observavit ANNO I. ANTONINI PII (ut Canon ejus ostendit, & ipse scribit) Stellam Jovis die vicesimo primo mensis Athyr, post mediam noctem horis quinque; & invenit eam in gradu 14. 23. Arietis. Ad Kalendarium Julianum accidit observatio die 8. Octobris, hora 5. matutina, ubi ad Tabulas Prutenicas Jupiter invenitur similiter in 14.22. Arietis. *Anno Aerae Chr. Vulg. 138 Ptolemaeus lib. 10, cap. 4. observavit Stellam Veneris die tricesimo Tybi mensis, ANNO II. ANTONINI PII, qui est annus Nabonassaris 886; & deprehendit eam esse in gradu 6. & minut. 30. Scorpii. Observatio facta mane, horis 4. 30. post mediam noctem. Ad Kalendarium Julianum accidit dicto anno Chr. 138, die 16. Decembris, Feria 2, ubi Venus in Tabulis Prutenicis invenitur ad hoc tempus in gradu 6. 46. Scorpii. Idem lib. 11. cap. 6. observavit etiam

INDICULUS TAB. I. SAEC. II.

INDICULUS TAB.I.SAEC.II.

locum Saturni eodem II. ANNO ANTONINI PII die sexto Mechir mensis, vesperi, horis 8. post meridiem, in gradu 9.4. Sagittarii. Ad Kalendarium Julianum observatio hæc incidit in diem 22. Decembris, Feria I, ubi ad Tabulas Prutenicas ad hoc tempus Saturnus exacte invenitur in gradu 9.4. Sagittarii. *Item anno Aerae Chr. Vulg. 139. observavit lib. 5. cap. 3. eodem ANNO II. ANTONINI PII, Nabonassaris 886, die 25. mensis Phaemenoth, horis 5. 15. ante meridiem locum Solis instrumento, deprehenditque eum in gradu 18. 30. Aquarii. Ad Kalendarium Julianum incidit haec observatio in diem 9. Februarii, Feria I, ubi ad Tabulas Prutenicas Sol in eodem loco invenitur; sed ad nostras Tabulas, ut semper in observationibus Ptolemaei, Sol fuit in dicto gradu die praecedente. * Item lib. 9. cap. 9. & 10. dicit, se observasse Mercurium eodem ANNO II. ANTONINI PII, Nabonassaris anno 886, secundo Epiphi mensis, hora 4. 30. ante mediam noctem; & deprehendit eum in gradu 17. 30. Geminorum. Accidit haec observatio die 17. Maji, Feria VII dicti anni 139, ubi ad Tabulas Prutenicas Mercurius ad hoc tempus invenitur in gradu 17. 24. Geminorum. * Item lib. 10. cap. 7. observavit eodem anno locum Martis die 12. Epiphi mensis, horis duabus ante mediam noctem, quod fuerit in gradu 2. 33. Sagittarii. Accidit ea observatio ad Kalendarium Julianum die 27. Maji, ubi ad Tabulas Prutenicas Mars similiter invenitur in gradu 2. 33 Sagittarii exacte. * Item observavit locum Mercurii dicto ANNO II. ANTONINI PII, sive anno Nabonassaris 886, die 21. Mesori, ante Solis exortum; invenitque eum in gradu 20. 5. Geminorum. Accidit haec observatio ad Kalendarium Julianum in diem 5. Julii, Feria 7: ubi ad Tabulas Prutenicas similiter Mercurius invenitur, sed in gradu 19. 52. Geminorum; ubi differentia est 13. minutorum. * Observavit etiam lib. 11. cap. 2. Stellam Jovis eodem ANNO II. ANTONINI PII, die 27. Mesori mensis, horis 5. post mediam noctem; & Juppiter deprehensus est esse in gradu 15.45. Geminorum. Accidit haec observatio nobis in diem 11. Julii dicti anni Vulg. Aerae Christianae 139, in Feriam VI, ubi ad Tabulas Prutenicas similiter Jupiter invenitur in gradu 14.31. Geminorum. * Idem Ptolemaeus observavit etiam Aequinoctium Autumnale anno Philippi & mortis Alexandri 463, die 9. Athyr mensis, acciditque id hora fere una post Solis exortum: quod esset ad Kalendarium Julianum die 26. Septembris, Feria 6. Nostrae Tabulae id Aequinoctium integro die prius exhibent, die videlicet 24. Septembris, Feria 4, hora una, & quindecim minutis ante mediam noctem. * Anno Aerae Chr. 140. Ptolemaeus lib. 10. cap. 3. observavit ANNO III. ANTONINI PII, qui est Nabonassaris 887, nocte, quae sequitur quartum Pharmuthi mensis, Stellam Veneris in gradu 13. 45 Arietis. Observatio facta est ad Kalendarium Julianum die 18. Februarii, Feria quarta, vesperi, ubi ad Tabulas Prutenicas Venus invenitur in gradu 13.28 Arietis. * Idem etiam observavit Aequinoctium Vernum anno Philippi & mortis Alexandri 463. die 7. mensis Pachon, hora una post meridiem. Accidit haec observatio ad Kalendarium Julianum die 22. Martii, Feria II. Sed in Tabulis nostris Aequinoctium factum fuit die 21. Martii, Feria prima, horis 11. 48. post meridiem: atque ita omnes observationes Ptolemaei decepti ab instrumentis suis integro die & amplius posteriores sunt Aequinoctiis aequabilibus. Ita eodem loco meminit Solstitii æstivi observati dicto anno 463. Philippi & mortis Alexandri, die 11. Mesori mensis, horis duabus post mediam noctem. Accidit ea observatio die 25. Junii, Feria 6, ubi ad tempus datum Sol invenitur in primo gradu Cancri, sed insuper in minutis 6. 38 in Tabulis Prutenicis: in nostris Tabulis integro die prior est. * Eodem anno Aerae Chr. 140. Ptolemaeus observavit Stellam Veneris ANNO IV. ANTONINI PII, Nabonassaris anno 888, die 12. Thot, mane ante Solis exortum, ubi invenit eam in gradu 18. 30 Geminorum. Ad Kalendarium Julianum observatio facta est die 30. Julii, mane, ubi ad Tabulas Prutenicas Venus hoc tempore invenitur in gradu 19. 31. Geminorum. * Demum observavit eodem ANNO IV. ANTONINI PII, die 19 Phamenoth mensis, ante Solis exortum, Stellam Mercurii in gradu 13. 30. Capricorni. Ad Kalendarium Julianum observatio facta die 2. Februarii, Feria IV, ubi ad Tabulas Prutenicas, ad datum tempus invenitur in gradu 13. 38. Capricorni. Hucusque ex Calvisio.

13. Catalogus Romanorum Pontificum ab anno Aerae Christi Vulgaris 101. usque ad 150. cum annis Olympiadum, & Urbis Conditae juxta calculum Varronianum. Celebriores Chronologi dissentiunt inter se in statuenda Epocha Fundationis

Urbis

Urbis Romae. Nonnulli eam conditam volunt anno III. Olympiadis VI: alii ejusdem Olympiadis anno IV: alii denique Olympiadis VII. anno I. Prima sententia, est L. Tarruntii Firmani, qui fuit insignis Mathematicus, & Ciceroni familiaris. Secunda sententia, est M. Terentii Varronis L. Tarruntii aequalis, qui postquam Tribunatu, & aliis muneribus functus fuisset, & in Bello Civili Pompejanas partes strenue conatus esset tueri, tandem mature Caesari victori se permisit, & ab eo in gratiam receptus, Bibliothecisque Graecis ac Latinis comparandis ac digerendis praefectus, in literario otio delituit, totumque se tradidit scribendis libris. Romae natus anno Urbis Conditae 638., diem obiit supremum prope nonagenarius anno Urbis Conditae 727. Tertia demum sententia, est Dionis Halicarnassei, & Verrii Flacci Fastorum Capitolinorum auctoris. Primae adhaeret Onuphrius Panvinius, & quamplures alii Viri doctissimi, in eam ducti gravissimis Veterum testimoniis: Secundae, Dionysius Petavius, Bucherius, Usserius, Pagius, & Card. Norisius: Tertiae denique Cuspinianus, Sigonius, Pighius, Almelovenius, Petrus Relandus, Franciscus Blanchinus Patruus meus, & Josephus Maria Stampa in insigni *Comment. in Fastos Caroli Sigonii*, in quibus p.41. optimo jure ait, tres hujusmodi sententias in duas demum resolvi, ut valde luculenter exponit. Heic ergo cum eodem praemonebo (ut lux affulgeat huic laterculo Romanorum Pontificum, ac universis Tabulis nostrae Chronologiae) Olympiadum initium desumptum fuisse a Ludis Olympicis, quos Iphithus instauravit anno juxta Petavium 408 ab Excidio Trojano, anno autem Juliano 3938, & ante Christum natum 776. Hoc ergo, coepit annus primus Olympiadis primae. Olympiades autem singulae constabant quatuor annis integris, qui initium capiebant a Solstitio aestivo, quo Ludi Olympici celebrari consueverant. Hujusmodi enim Ludi quinto quoque anno celebrabantur, hoc est ineunte anno quinto post eorum celebrationem, quatuor integros ante annos factam. Cum igitur Olympiades initium capiant a Solstitio aestivo; hinc fit, ut communis annus, qui a Kalendis Januarii initium sumit, sicuti & annus Julianus, includat ultimos menses $5\frac{1}{2}$ anni Olympiaci, & primos menses $6\frac{1}{2}$ anni Olympiaci subsequentis: atque hinc fit, quod Franciscus Blanchinus Patruus meus in sua Chronologia a me aucta, & post *Librum Antiquarium* hujus *Demonstrationis Historiae Ecclesiasticae Quadripartitae* edita, singulis annis communibus adsignet duos annos Olympiacos, nimirum partem ultimam unius, & alterius partem primam. Petavius tamen, aliique multi Chronologi, communi cuique anno adsignant integrum annum Olympicum, perinde ac si omnis annus Olympicus initium sumat a Kalendis Januarii; quamvis exordium vere capiat ab Aestivo Solstitio ejusdem anni. Ita annus primus primae Olympiadis incipit apud Petavium cum anno communi ante Christum natum 776; licet idem primus annus primae Olympiadis initium vere sumat a Solstitio aestivo ejusdem communis anni 776. Anno autem sequenti, nempe 775 ante Christum natum, assignat Petavius annum secundum Olympiadis primae, licet usque ad Solstitium aestivum ejusdem anni 775 continuetur Olympiadis primae annus primus. Nam *post Julianum annum receptum* (ita Petavius docet *de Doctrina Temporum* Tom. 2. lib.9. cap.56.§.1.), *qui a Kalendis Januarii orditur*, (sicuti etiam Communis annus) *annorum Urbis Epocha* (sicuti & annorum Olympicorum) *ab iisdem Kalendis fere procedit*. Hoc autem Petavius, aliique Chronologi eo fine constituerunt, ut in annorum computatione confusio evitaretur: sed vereor ne major inde revera exorta sit. Quod autem in Olympiadum computatione Petavius, aliique Chronologi instituerunt, id in computatione quoque annorum ab Urbe Condita concordes observant. Quamvis enim, Urbis fuisse jacta fundamenta in Palilibus Ludis (qui quotannis die 21. Aprilis a Pastoribus celebrari consueverant), constans fama foret, ut scribunt (praeter eos, quos memoravi in Indiculo hujus Tabulae num. 10.) Ovidius Metamorphoseon lib. 14. vers. 774.,

.... *Festisque Palilibus Urbis Moenia conduntur &c.*

& Cicero lib. 2. *de Divinatione* cap. 47. *L. Tarruntius Firmanus familiaris noster, inprimis Chaldaicis rationibus eruditus, Urbis etiam nostrae Natalem diem repetebat ab iis Palilibus, quibus eam a Romulo conditam accepimus*; dicti tamen Chronologi (quibus nos hac in re nequivimus adhaerere) Conditae Urbis annos ita computare consueverunt, perinde ac si commune principium cum anno communi haberent, atque a Kalendis Januarii initium sumerent; quamvis

Indiculus Tab.I.Saec.II.

vis revera eorum initium desumendum sit a die 21. Aprilis, nempe post menses 3 $\frac{2}{3}$ ab anni Communis exordio. Hinc est, quod Franciscus Blanchinus Praesul, atque ego filius Joannis Baptistae fratris ejus, in Chronologia, quam ipse texuit, atque ego auctam edidi ante Indiculum hujus *Demonstrationis Historiae Ecclesiasticae Quadripartitae*, quemadmodum duos annos Olympicos communi cuique anno assignavimus, ita duos pariter annos ab Urbe Condita cuique communi anno decrevimus deputandos. Annus enim Communis includit menses 3 $\frac{2}{3}$ ante Palilia, & menses 8 $\frac{1}{3}$ post Palilia. Rursus cum annus Urbis Conditae exordium sumat a die 21. Aprilis, & annus Olympicus post duos menses inchoetur, nempe circa Solstitium Aestivum, sive circa 21. Junii, hinc fit, ut anni Urbis Conditae idem fere principium sortiri videantur, quod anni Olympici, cum duorum tantum inter se mensium discrepantia. En igitur quomodo tres illae superius adductae de anno primo Urbis Conditae opiniones, ad duas tantum a Cl. Stampa redigantur. Chronologi enim illi, qui Conditam Urbem volunt anno quarto Olympiadis VI., fere conveniunt cum illis, qui Conditam Urbem ajunt ineunte anno primo Olympiadis septimae (namque idem fere est dicere, *Urbs Condita fuit exeunte anno tertio Olympiadis VI.*, ac dicere, *Urbs Condita fuit ineunte anno IV. Olympiadis VI.*, vel *Urbs Condita fuit ineunte anno primo Olympiadis VII.*), quoniam nullius fere momenti habetur sola discrepantia duorum mensium inter initium anni Olympici, & Urbis Conditae exordium. Mirum ergo non fuerit, si recentiores Chronologi, & Panvinius maxime, in diversum Antiquos trahant. Cum enim M. Terrentius Varro Conditam Romam dixerit ineunte anno IV. Olympiadis VI, Panvinius eum in suam sententiam trahit, qua asserit, Romam Conditam exeunte anno tertio ejusdem sextae Olympiadis. Cum vero Fasti Capitolini Romam asserant Conditam ineunte anno primo Olympiadis VII, Panvinius eosdem Fastos in illorum sententiam trahit, qui Romam Conditam dicunt exeunte anno quarto Olympiadis VI. Petavius autem Dionysium Alicarnasseum in eorum sententiam trahit, qui Conditam Romam volunt exeunte anno quarto, cum idem Alicarnasseus conditam Romam tradat ineunte anno primo Olympiadis septimae. Duae ergo, non tres diversae opiniones celebriorum Auctorum revera dicendae sunt circa annum Conditae Urbis Romae. Alii enim Urbem conditam volunt vel exeunte anno terrio, vel ineunte anno quarto (quod idem est) Olympiadis VI, ut Lucius Tarruntius Firmanus, M. Terentius Varro, M. Tullius Cicero, Eutropius, aliique clarissimae famae Viri, atque inter recentiores Panvinius, Petavius, Bucherius, Usserius, Norisius, aliique plures celebriores Auctores: alii Conditam Urbem volunt vel exeunte anno quarto Olympiadis sextae, vel ineunte anno primo Olympiadis septimae (quod idem fere est), ut Dionysius Alicarnasseus, Verrius Flaccus auctor Fastorum Capitolinorum, C. Cornelius Nepos, Clemens Alexandrinus, atque ex recentioribus, Sigonius, Cuspinianus, Pighius, & Theodorus Jansonius ab Almeloven. Ilium captum est anno ante Christum natum 1184. ut docet Petavius *de Doctr. Temp.* Tom. II. lib. 9. cap. 30. & 31, & annus primus Olympiadis septimae incidit in annum ante Christum natum 752. juxta communem Christi Epocham: ideoque, si, nullo dempto termino, subtrahantur anni 752. ab annis 1184, remanebunt anni 432. a Trojae incendio ad Olympiadis septimae primum annum exclusive, quo plane anno juxta plerosque fuit Roma Condita. Quod si dixerimus Urbem Conditam exeunte anno primo Olympiadis VII., ut Sigonio quidem videtur, tunc Romae Natale incidet in annum post Trojae excidium 434, non in annum 433. ut idem Sigonius docet, qui Fastos Capitolinos in temporum computatione sectatur, integro anno sententiae Varronianae, ut diximus, posteriores. In Palilibus autem sive Parilibus cum jacta fuerint Urbis fundamenta XI. Kal. Majas, qui dies sacer fuit Deae Pali, Condita Urbs videtur Sigonio intra duos illos menses, qui vigesimam primam diem Aprilis, & vigesimam primam diem Junii, qua Solstitium Aestivum haberi solet, intercidunt, exeunte anno quarto Olympiadis sextae, & primo ineunte Olympiadis septimae. Singulis ergo annis Aerae Christi Vulgaris, in hoc laterculo Romanorum Pontificum II Saeculi posito in nostra Tabula quam illustramus numero 13, addidimus annos Civiles Olympicos, & Romanos ab Urbe, quoniam omitti non poterant citra dispendium luminis inde obventuri Historiae Pontificali Ecclesiae Christianae. Petrus enim mense Aprili ad finem ver-

vergente, Summus Pontifex creatus, universi gregis curam suscepit, & circa initium anni 40. Aerae Christi Vulg. in Urbem veniens, Romanam Ecclesiam fundavit. Ex Paschali vero mense, quo complebatur ejusdem Summi Pontificatus annus XII, aperitur initium Epochae Pontificatus, Romana in Sede exercendi. Epocha Paschalis, seu anni Sacri, more Orientalium, & Judaeorum, cum incideret in mensem Aprilis; & in diem Aprilis 21 incurreret Epocha annorum Urbis Conditae, Romae usurpata ex Palilibus; Romani alligarunt eidem termino initium Pontificatus Maximi, a Petro in Urbem cum Sede translati, ut luculenter ostendit Doctissimus Vir Cajetanus Cenni Presbyter Beneficiatus Sacrosanctae Basilicae Vaticanae, atque Academiarum Historiae Ecclesiasticae Pontificiae, & Romanae, (seu Romanarum Antiquitatum) Socius egregius, in Dissertatione *de Romana Cathedra S. Petri, quum ipse Romae primum sedit*, inserta Tomo IV. p. 150. & seqq. *Anastasii Biblioth. de Vitis Romanorum Pontificum*. Cum vero annorum Periodi Julianae Scaligeri sit exordium Kalendis Januarii, seu veri post Caesaris ordinationem, seu proleptici ante ordinatum a Julio Caesare Kalendarium; annorum vero ab Urbe Condita dies princeps sit, quae Festi Palilium fuerat Romanis, eaque in Kalendario Caesaris assignetur XI. Kal. Maji; consequitur, ut pars anni Periodi Julianae, ex primo die Januarii ad 21. Aprilis, spectet ad complendum annum ab Urbe Condita, & ex die 21. Aprilis ejusdem Periodi Julianae, computetur novus annus, illum completum consequens in serie temporis ab Urbe Condita. Quocirca duplex numerus annos singulos afficit hac in Columna Romanorum Pontificum num. 13. hujus Tabulae: & unus pertinet ad annum complendum ante Palilia, alter vero ad novum denominandum post Palilia, ut etiam videre licet in nostra Chronologia. Franciscus Blanchinus Patruus meus in Prolegomenis *ad Vitas Romanorum Pontificum* Tomo II. pag. CXLVIII. columna 2. *Quinquinnium* (inquit) *Temporum Caesarianorum, ante formam anni Julianam a Dictatore inductam, diversum habebat initium anni Civilis Romani, tunc incidens in Prolepticum regularem seriei Scaligerianae trimestri ferme spatio ante Solstitium Brumale; quod Solstitium proxime consequitur post dies septem caput anni Juliani Kalendis Januarii. Completo autem quinquennio per* Annum Confusionis *dictam, in quo annus Civilis Julianae formae a Dictatore datus est Civibus Romanis, intercurrentibus lineis adhibitus fuit duplex numerus, quorum prior indicaret annum Urbis Conditae complendum eodem anno Civili & Scaligeriano die 21 Aprilis in Palilibus; alter vero numeraret annum novum ab Urbe Condita eu Palilibus, seu 21 Aprilis ineuntem. Signare autem necesse fuit singulis annis duplicem hunc numerum, ut demonstratio nostrae Chronologiae non careret documentis praeservatis inter vetusta marmora Capitolina, & Fratrum Arvalium, quae eosdem Consules componunt ante Palilia cum priori numero, & post Palilia cum posteriori annorum ab Urbe Condita.*

14. Figlina, seu Laterculus Consularis, pertinens ad annum Aerae Christi Vulg. 110, quo Consules processerunt *Servius Salvidienus Orfitus* & *M. Pedacaeus Priscinus*. Vide nostrum Chronicum, & Fabrettum *Inscriptionum* pag. 508. necnon Fastos Vindobonenses, in quibus legitur, *Priscino & Orfito*. Pagius in Critice ad Baronium mendose exhibet hoc anno Consules *Crispinum Priscianum, & Soleaum Orfitum*.

15. Figlina pertinens ad annum Aerae Christi Vulg. 123, Consulibus *Q. Annio* (aliis *Arrio*) *Paetino & L. Venulejo* (aliis *C. Ventidio*) *Aproniano*. In Donianis Inscriptionibus Classe II. num. 115. pagina 9. C. CALPETANI. HERMET. D. EX FIG. CAEM. PAETIN. ET APRONIANO COS. num. 130. PAET. ET. APRONIANO. COS. num. 145. PAE. ET APR. COS. Plura alia signa figlinarum in ruderibus Villae Tiburtinae Hadriani Augusti reperta sunt annis Dom. 1735. & 1736, quae habent PAETINO ET APRONIANO COS. vel, APRON. ET PAETINO COS. Fasti quoque Vindobonenses, *Paetino & Aproniano*: Idatiani vero, *Aproniano & Paupino* (pro *Paetino*) mendose. Vide nostrum Chronicum.

16. Figlina Consularis pertinens ad annum Christi 124. quo Consules fuerunt Manius Acilius Glabrio & C. Bellicius Torquatus. Leguntur isti Coss. in detrito lapide Gruteriano pag. XVIII. num. 5. C. BELLICIO TORQ... M'. ACIL... COS., atque in Idatio, Anonymo Norisiano, & Fastis Siculis. Vide nostrum Chronicum ad hunc annum, & Inscriptionem editam a Panvinio in Fastis suis.

17. Laterculus Consularis, in quo M. Annius Verus III. & L. Varius Ambibulus Con-

INDICULUS TAB. I, SAEC. II.

fules adnotantur. Creati funt anno Aerae Chrifti Vulgaris 126. Extant plura figlinarum figna his Confulibus obfignata in Capitolio. Capitolinus *in Pertinace* cap. ultimo: *Natus autem* (inquit) Pertinax *Col. Auguftis, Vero & Bibulo.* Nomen Ambibuli, nonnullis *Eggius* eft, ex quodam lapide antiquo, a nobis relato in Chronico, Fafti Vindobonenfes legunt, *Vero III. & Ambibulo.* Bene igitur fcribit Norifius de Aunio Vero III. Cos. in Epiftola Confulari pag. 940 ad hunc annum. Profperi Chronicon habet, *Vero & Ambiguo*, mendofe. Vide duas Infcriptiones editas a Reinefio, quas laudatus Norifius producit loco citato pag. 941. edit. Veronenfis.

18. Laterculus Confularis cufus anno Aerae Chrifti Vulg. 130, quo Confules Ordinarii proceffere Q. Fabius Catullinus, & M. Flavius Aper. In lapide Ligoriano nuper vulgato a fel. rec. Viro Cl. Vulpio in Opere *Veteris Latii* Tom. VII. pag. 105. legitur,

DED. III. NON. IVN. Q. FABIO CATVLLINO ET M. FABIO. (lege FLAVIO) APRO. COSS.

Fafti Vindobonenfes *Catullino & Apro*: & ita Profperi Chronicon. Petavius Confules fuperioris anni, cum his confudit, forte fequutus corruptam Idatii, & Caffiodorii lectionem.

19. Figlina Confularis fignata Confulibus Sex (aliis *Ser.*) Octavio Laenate Pontiano & Marco Antonio Rufino, nempe anno Aerae Chr. 131. Laterculus erutus Romae ex Hortis Matthejis an. Domini 1725, & exfcriptus a Viro Cl. Dominico Georgio Praefule, habet,

PONT. ET RVFIN. COS.
EX FIG. AVITIAN.
T. F. P.

Quare hujus figuli nomen, & figlas, mendofe exarari apud Fabrettum putamus *Infcriptionum* pag. 509. num. 140, ubi legitur,

PONT. ET RVFIN. COS.
EX. FIG. AVITIAERI
T F P R I.

Alius quoque Laterculus Capitolinus habet, PONTIAN. ET RVFINO COS., uti Fafti Vindobonenfes, & Profperi Chronicon. Idatius, Caffiodorius, & Fafti Siculi habent, *Pontiano & Rufo*: quod fphalma effe, teftantur mox citati laterculi, & aliae Infcriptiones allatae in noftro Chronico.

20. Figlina pertinens ad annum Chr. 134, quo Confules proceſſerunt C. Julius Servianus III, & C. Vibius Varus, Norifius quidem in Epiftola Confulari Gruterianam Infcriptionem profert ex pag. cxv, num. 1, in qua legitur,

DED. XIIII. K. MART. SER. SERVIANO. III. ET C. IVVENTIO. VERO COS.

Sponius quoque in Mifcellan. pag. 263. habet ex fchedis Barberinis,

DED. XIIII. KAL. MAR. SER. SERVIANO. III. ET. IVVENTIO VERO. COS. At perperam VERI cognomen, pro Vari exfcriptum effe, jam cum eodem Norifio animadvertimus in Chronico. Auctor Adnotationum ad Criticam Pagii fcribit, in vetuftis monumentis horum Cofs. praenomina ac nomina nondum tuto fuiffe inventa. *Serviano*, fi fides habenda eft figlinis Donjanis a nobis relatis in Chronico ad hunc annum, praenomen *Lucii* erat, ac infuper nomen aliud *Aelii*. Idcirco apud Panvinium in Faftis, annis Dom. 107. & 111, quibus Servianus Conful Suffectus fuit, mendofe *C. Servilius Urfus Servianus & C. Julius Urfus Servianus* appellatur. Nos ergo (fubdit laudatus Auctor Adnotationum) ex allatis monumentis hos Confules ita exhibemus: *L. Servilius Aelius Servianus III. & C. Vibius Juventius Varus*. Fafti Idatiani, *Severo III. & Varo*: Vindobonenfes, *Serviano & Varo*: Profperi Chronicon, *Sericano II. & Vero*. In omnibus ofcitanter, & mendofe.

21. Laterculus Confularis, fignatus Confulibus L. Aelio Vero Caefare II. & P. Coelio Balbino Vibullio Pio, nempe anno Aerae Chrifti Vulg. 137. Confentiunt Infcriptiones relatae in Chronico, & Fafti Idatiani, & Vindobonenfes, qui habent *Caefare II., & Balbino*. Profperi Chronicon mendofe, *Laelio Albino*, pro *L. Aelio & Balbino*.

22. Sarcophagus repertus Romae in Coemeterio S. Callifti Papae anno Domini 1708, in quo vifitur Noe juftus in Arca; Nabucodonofor cum tribus pueris Sidrach, Mifach, & Abdenaco recufantibus adorare ftatuam auream; & Jonas miffus in mare, captufque a ceto, itemque dormiens fub cucurbita, quam repente Deus nafci, crefcereque fecit, ut umbra aeftuantem Prophetam refrigeraret. De Noe, & Arca, confer Aringhium Tom. I. *Rom. Subter.* pag. 325. 331. 333. 619. & Tom. II. pag. 67. 71. 101. 105. 111. 187. 283. 285. 355. & 393, Bottarium Tom. I. ejufdem Operis pag. 147. 167. & 175, ac Tomo fecundo pag. 23. 34. 129. 132. 153. 163, Ciampinium in *Differtat. de duobus Emblematibus Mufei Card. Carpinei* pag. 18, Petrum Bellorium in *antiquis lucernis Petri Sanctis* Bar-

Indiculus Tab. I. Saec. II.

Bartholi ab eodem Bellorio illustratis Parte III. num. xxix, Bonarrotium *Osserv. sopra alcuni frammenti &c.* Tab. I. fig. 1, Boldettum *Osservazioni sopra i Cimiterj* pag. 22, & Museum Veronense pag. 279. Noe, typus Christi fuit; cujns propterea nomini, consolationis & quietis significatio inest. *Noe*, inquit Moses Gen. 6. vers. 9. *invenit gratiam coram Domino: Noe vir justus atque perfectus fuit in generationibus suis: cum Deo ambulavit*. Et Lucas de Jesu ait, *Jesus proficiebat sapientia, & aetate, & gratia apud Deum, & homines*. Joannes quoque inquit, *gratia, & veritas per Jesum Christum facta est*. Justum praeterea dictum fuisse Jesum, Scriptnra omnis ostendit; in aeternum vero perfectum esse, scribit Paulus ad Hebraeos. Terras inundante Diluvio, totumque humanum genus delente, ii tantum perniciem instantem effugerunt, quos Noe servavit in Arca: grassante per terras peccati lue, hominesque in certum interitum adducente, ii tantum imminenti subducti sunt exitio, qnos Jesus salvos esse voluit: *nec enim* (inquit Petrus *Actor.* 4. 12.), *aliud nomen est sub caelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri*. Uterque homines per lignum incolumes praestitit. In Arca enim Ecclesiae figuram deprehenderunt Patres universi; extra quam, qui deprehensi sunt, certissimo interitu fuerunt consumpt·. S. Irenaeus lib. 3. contra Haereses cap. xi. pag. 191 Maurinae Editionis, probans quatuor esse Euangelia, nec plura, nec pauciora, ait: *propter hoc quatuor data sunt testamenta humano generi: unum quidem ante cataclysmum sub Adam; secundum vero, post cataclysmum sub Noe; tertium vero, legislatio sub Moyse; quartum vero, quod renovat hominem, & recapitulat in se omnia, quod est per Euangelium, elevans & pennigerans homines in caeleste Regnum*. Et lib. 4. cap. 36. num. 4. *Unum* (inquit) *& idem cum sit verbum Dei &c. temporibus Noe diluvium inducens, ut extingueret pessimum genus eorum, qui tunc erant homines &c. & ut peccata eorum compesceret; servaret vero Arcae typum, Adae plasmationem*. Et S. Justinus Martyr in Dialogo cum Triphone Judaeo §. 138. pag. 242. *Nostis* (inquit) *o Viri, in Esaia dictum esse a Deo ad Jerusalem*, in Diluvio Noe servavi te. *Quod autem dixit Deus, illud est, mysterium hominum salvandorum in Diluvio fuisse. Justus enim Noe, cum aliis hominibus, idest cum uxore, & tribus filiis, & filiorum uxoribus, qui numero octo erant, signum habuerunt diei, numero quidem octavi, in quo Christus ex mortuis redivivus apparuit, potestate autem semper primi. Christus enim, cum primogenitus esset omnis creaturae, rursus etiam factus est principium alterius generis ab ipso regenerati per aquam, & fidem, & lignum, quo mysterium Crucis continetur: quemadmodum & Noe in ligno salvatus est, aquis invectus una cum suis. Cum ergo dicit Propheta* (Esaias cap. 54. ver. 9), Tempore Noe servavi te, *ut jam dixi, haec ad populum Deo pariter fidelem, eademque signa habentem, dicit &c.* S. quoque Cyrillus Hierosolymitanus Archiepiscopus, Catechesi 17. de Spiritu Sancto, pag. 269 Maur. Editionis, inquirens, cur in columbae specie Spiritus Sanctus in Christum dilapsus sit, *Hujus* (inquit) *columbae, secundum nonnullos, figuram aliqua ex parte praeferebat illa, de qua in Noemi historia, columba. Nam, sicut ejus temporibus per lignum & aquam illis hominibus facta est salus, & novae generationis initium, & columba ad ipsum sub vesperam reversa est, olivae folium gestans; sic, inquiunt, & Spiritus Sanctus descendit in verum Noe, secundae generationis auctorem; qui diversorum generum voluntates atque indoles in unum collegit*. Columbam Noe, figuram SpiritusSancti in Christum baptismi tempore advenientis fuisse, communis apud omnes Patres interpretatio est. Ita Nazianzenus Orat. 39. pag. 634, Victor Antiochenus in cap. 1. Marci versu 9, & Severus Antiochenus in Joannem cap. 19. vers. 17 in Catena Corderii. Origenes Homil. 2. in Genesim, eadem de omnibus animalibus in Arca Noe inclusis, omnium hominum in Ecclesiam Christi ingredientium figuram gestantibus, affirmat. Demum Cl. Pater Mamachius *Originum & Antiquitatum Christianarum* Tom. III. libro 3. cap. 1. §. 3. num. 4. *de Noe, & Arca* haec scribit: *Noemum in Arca aquis Diluvii innatante manentem, & columbam, quae ramum olivae deferret, pacemque indicaret, picturis, sculpturisve exprimere Christiani veteres consueverant. Cujus rei haec omnino causae fuerunt. Nempe, ut Noemus, filiique, Arcae praesidio commune periculum declinaverant, ut pacis, quam columba, allato olivae virentis ramo, significarat, indicio accepto, in terram, id quod jam diu expetiverant, salvi, incolumesque desilierunt; ita Arcae quidem Ecclesiam, extra quam nemo assequi salutem potest, aquarum vero* baptisma, *quo expiamur*; Noemi

autem,

autem, *ac* filiorum, *eos*, *qui in nostram venirent societatem*; columbae *denique* ramum olivae deferentis *figuris*, spiritum pacem nunciantem *demonstrari Christiani veteres contendebant*. Ceteras ejus rei significationes, legere quisque poterit apud allegatos Auctores, Visitur secundo loco in Sarcophago, de quo agimus, Nabucodonosor; qui,cum auream statuam confecisset in campo Dura Provinciae Babylonis adorandam, vocatis ad se Misach, Sidrach, & Abdenago, ab eis quaesivit, cur jussum statuae cultum non exhibuissent. Cui illi, nec flammas, nec ullum metuere supplicium. Quare furore aestuans Rex, vinciri eos, & cum vestibus, & calceamentis in caminum ignis projici jussit. Sed inde, propterea quod Deo confiderent, evaserunt, quin ullum salutis caperent detrimentum. Tunc Nabucodonosor vehementi admiratione captus, surgensque, dixit ad Optimates suos: nonne tres homines in ignem projecimus? Cur ergo quatuor solutos in medio ignis deambulantes inspicio, quorum quartus similis est FILIO DEI? Accedens deinde ad ostium fornacis, nominatim Hebraeos juvenes advocavit. qui statim de medio ignis incolumes prodiere. Nabucodonosor Deum Sidrach, Misach, & Abdenago admiratus,ejus potentiam,& majestatem fassus est,praecepitque,ut quicumque Hebraeorum Deum blasphemaret, bonis publicatis,morte mulctaretur:legem quoque tulit, qua magnitudinem Dei Hebraeorum extulit; & ea, quae sibi contigerant (postquam per somnium arborem illam vidit, de qua in Danielis libro, enumeravit. Ergo ut in fide, speque in Deum se. suosque primitivi fideles confirmarent, hortarenturque non oratione modo,sed etiam exemplo aliorum, ut in tormentis a suscepto consilio deterreri se non sinerent, imagines eorum Puerorum pingi in parietibus, & sarcophagis, aliisque lapidibus insculpi fecerunt, ut videre licet apud Aringhium Tom. I. pag. 295.333.379.539. 619. & Tom.2. pag.401. Vetus Auctor Carminum contra Marcionem lib.3. inter Opera Tertulliani pag. 635. sic habet:

Ex numero tanto Decretum Regis iniquum
Contempsere pii, quorum data corpora flammis,
Tradere se poenis potius, pro nomine magno,
Quam genibus nixi simulacro pandere palmas.
Jam praeclara fides, jam spes super omnia fulgens
Extinxit rabidos ignes, & vicit iniquos.

Adeundi etiam Tertullianus in libro *Scorpiace* cap. 8. pag. 493. edit. an. 1744, S.Cyprianus lib. 3. *Testimoniorum* num. 2. p. 64. edit.Oxonien., *& de Exortat. Martyrii* pag. 178,item Epist.6 ad Sergium & Rogatianum pag. 13, Epist. 58 pag. 122, & Epist. 61. pag. 144. Tertio denique loco cernitur in sarcophago, quem illustramus, Jonas a nautis actus in mare, & a pisce accurrente voratus, in cujus ventre tribus diebus, totidemque noctibus fuit illaesus: iremque visitur humi jacens sub cucurbita. De pisce, deque tribus diebus, quibus in ventre ceti Jonas fuit, consulendi SS. Patres, qui Commentarios in Matthaei cap. 12. vers. 38. & seq. scripserunt, & Natalem Alexandrum in *Historia Ecclesiastica Veteris Testamenti* Tomo II. pag. 505 Editionis Lucensis an. 1734; Item Franciscum Baringium virum e numero Protestantium, qui *de Ceto Jonae*, *de tribus diebus & tribus noctibus*, *& de corde terrae* Dissertationes tres edidit, insertas *Thesauro Theologico - Philologico*, Tomo II. pag. 217. & seqq. edit. an. 1732; & Samuelem Bochartum *in Hierozoico*. Christus Dominus (Matthaei loco citato, & Lucae cap. xi. vers. 29.) dixit Pharisaeis, quod signum e caelo poscerent, ut ad fidem ejus dictis adjungendam inducerentur, non aliud se daturum, quam signum Jonae Prophetae: quibus verbis mortem, resurrectionemque suam post triduum futuram indicavit. Fore praeterea, ut Ninivitae in judicio genus hoc pervicacium hominum condemnarent;quod illi Jonae praedicanti poenitentiam auscultassent, hi contra Filio Dei, qui multo sanctior longeque virtute excellentior Jona esset, hortanti parere detrectarent. Quare (ut scribit P.Mamachius *Originum & Antiquitatum Christianarum* lib. 2. pag. 254.) majores nostri, ut oculis utriusque mysterii symbolum subjicerent, Jonam modo dormientem sub umbra cucurbitae, modo evomitum e ventre coeti in pictis tabulis Coemeterialibus, sculptisque sarcophagis, lucernis, vitrisque expresserunt;sicut videre licet apud Aringhium *Romae Subterraneae* lib. 2. cap. 10. pag. 325. 327. 335. lib. 3. cap. 12. pag. 533. 587. 621. cap. 22. pag. 533. 551. 585. 587. 613. 615. 617. 619. 633. lib. 4. cap. 14. pag. 71. 97. 105. 109. 519. cap. 18. pag. 143. capite 25. pagina 167. cap. 27. pag. 187.

pag. 187. 201. 211. 275. cap. 37. pag. 331. & cap. 42. pag. 355. & lib. 5. cap. 22. pag. 506. Inspiciatur etiam lucerna fictilis, quam exhibet Vir Doctissimus, & insigni humanitate praeditus, Franciscus Commendator Victorius in Opere *de Septem Dormientibus* pag. 53. & 55. Jonae cap. 4. versu 6 Biblia a S. Hieronymo emendata habent *hederam*; sed antea Latina exemplaria, juxta Septuaginta Interpretum Versionem, legebant, cucurbitam: *Et praecepit Dominus Deus cucurbitae, & ascendit super caput Jonae, ut esset umbraculum super caput ejus, & protegeret eum a suis malis*. De qua re disputatum ab Hieronymo, & Augustino fuit, illo pro *hedera* pugnante, hoc vero contra pro *cucurbita*. Consule eundem Hieronymum Epist. 74. alias 89. edit. Martianei Tom. IV. pag. 628, & Augustinum Tom. 2. edit. Paris. Monachorum S. Mauri Epist. 71, alias 10. pag. 161, & Epist. 82. p. 203. Rufinus Italae Versionis tenax, qui S. Hieronymo iratus erat, *Invectiva* II. pag. 98 inter Opera S. Hieronymi Tom. IV. edit. an. 1546. sic summum Virum irridens, habet: *Scribamus etiam in sepulcris Veterum, ut sciant & ipsi, qui aliter se gerunt, quia Jonas non habuit umbram cucurbitae, sed hederae*. S. Hieronymus ubi supra, ad vocabulum *cucurbitae*, pro quo Jonae cap. 4. vers. 6. in edit. Rom. est, [illegible], ait: *Pro* cucurbita, *sive* hedera, *in Hebraeo legimus* ciceion ..... *Est autem genus virgulti, vel arbuscula lata, habens folia in modum pampini, & umbram densissimam. suo trunco se sustinens ..... Nos eodem tempore, quo interpretamur Prophetas, voluimus ipsum Hebraeae linguae nomen exprimere; quia sermo Latinus hanc speciem arboris non habebat: sed timuimus Grammaticos, ne invenirent licentiam commentandi ..... secutique sumus veteres Translatores, qui & ipsi* hederam *interpretati sunt*.

23.) Imagines SS. Pudentianae, & Praxedis

24.) expressae in janua Tituli, a S. Pio P. dedicati in Thermis Novati in Vico Patricio. Cernuntur quoque in Musivo absidis ejusdem Tituli, vetustissimo S. Siricii P. aetate constructo, & renovato per Hadrianum I. in quo Tituli historia perspicitur, inter potiora documenta rerum in eo gestarum memoranda. Licet vero in nova structura Arae principis ejusdem musivi operis pars inferior sit occultata, ea tamen superest, quae imagines & symbola ad Tituli originem pertinentia declarat. Visitur ergo prospectus Vici Patricii antiquae Urbis in eodem expressus ad radices Viminalis & Exquilini Collis; ut ostendit substructio ibidem delineata, & praegrandibus saxis quadrilateris collem praecingens: cujus praecinctionis vestigia spectari adhuc possunt a tendentibus ab hoc Titulo S. Pudentianae per latus Viminalis, ad proximum Titulum S. Laurentii *in Panisperna*, non penitus disjecta sinistrorsum in Via Sixtina. Substructioni incumbunt magnifica utrinque Aedificia, Patriciorum scilicet Aedes, unde Vico nomen derivatum est, ut multis probat Franciscus Blanchinus Patruus meus in Notis Historicis ad Anastasium Bibliothecarium Tomo II. sect. 12 Vitae S. Pii Papae pag. 122. & sequentibus. Leopardi Presbyteri nomen palmaribus literis sculptum, vivente adhuc S. Siricio Pontifice Summo, hodieque superest in marmoreis tabulis olim praecingentibus Ambones, seu pulpita duo lapidea ex antiqui Aedificii marmoribus fabrefacta, ut Panvinius memorat de VII. Urbis Ecclesiis pag. 266. Hic Leopardus ab Innocentio, post Anastasium, S. Siricii successore, fuit Mediolanum missus, ut Legatione Sedis Apostolicae fungeretur, una cum Crescente, & Maximo, ad Concilium ibidem indictum in causa Joviniani, cum literis ad Beatum Ambrosium datis, ubi fratrem & compresbyterum suum appellat *Leopardum*. Eodem ergo sive Titulari, sive Praeposito Fabricae usus est S. Siricius, in curanda reparatione & ornatu Sacrae Aedis Beatae Pudentianae; cum exemplo decessorum absidem decoraret Musivi operis additamento. In eo, sedenti Christo, & *conservatorem* se pollicenti *Ecclesiae Pudentianae*, decem Viri, tunica, & pallio amicti hinc inde assident: quorum qui proximi Redemptoris lateri adhaerent, ex subscriptis nominibus PETRUS & PAULUS esse demonstrantur. Illa enim nomina in exemplo Musivi expressa, antequam, novis ornatibus Arae maximae additis, (elapsi saeculi exordio) occultarentur, delineari diligenter curavit Eques Cassianus a Puteo ad fidem prototypi, & compegit cum ceteris sacrae antiquitatis monumentis in pretiosa illa volumina, quibus hodie nobilitatur Emorum Principum S.R.E. Cardd. Alexandri & Francisci Albanorum insignis Bibliotheca. Suberat etiam symbolum Agni nimbo coronati, & columbae de caelo in eum illabentis, descriptum a Paulo de Angelis in Manuscripto de Titulis Presbyterorum Urbis in Archivo Liberiano; ut Christo Domi-

INDICULUS TAB. I. SAEC. II.

INDICULUS TAB.I.SAEC.II.

no sanctificatum baptisma denotaret per gratiam S. Spiritus, super cum in Jordane simili specie advolantis, quam in Sacramento hic administrando largitur. Octo autem Viri Apostolico more tunicati, & palliati, quos alii ad ceteros Apostolos referunt, licet numerum exacte non impleant, retulit fortasse Musivarius (ex sententia Francisci Blanchini Patrui mei) ad octo proximos Petri successores, qui a Lino ad Telesphorum numerantur, & a Pudente in vita superstite excipiebantur domi, ad sacra Mysteria, & Fidelium Synaxes celebrandas. Petrum & Paulum coronant laurea duae Virgines velatae PRAXEDES, & PUDENTIANA, singulae singulis adstantes officioso ejusmodi honore. Mos hospites coronandi, apud Veteres pridem receptus fuit, & saepe a Christianis adhibitus erga imagines Christi Domini, ejusque Sanctorum; ut vitrei orbiculi in Martyrum Coemeteriis reperti, eorumque iconae ibidem depictae, & in cryptis Fidelium apud Bosium, Severanum, Aringhium, Boldettumque spectandae, luculenter ostendunt. Emblemata, & figuras Musivi, absidem in Titulo ornantis, complent quatuor animalia, in Apocalypsi descripta, & symbola Evangelistarum praeferentia. In janua vero, orbiculi duo (de quibus locuti sumus numero 5. hujus Tabulae I. Saeculi Secundi, quosque impraesentia illustramus sub numeris 23. & 24.) imagines exhibent SS. PUDENTIANAE, & PRAXEDIS, quas doctissimus Ciampinius Tomo I. *Veterum Monimentorum* pag. 27. ita describit: *Secundus circulus, virginis imaginem praefert, pretiosis vestibus indutae, ac turritam in capite coronam habentis: signum (ni fallor) fortitudinis, qua enituit, dum Mundi delicias, daemonis astus, ac propriae carnis illicita, stimulosque subegit, qua jejuniis, ceterisque poenitentiae rigidioribus armis, qua perpete maximaque cura illibatam virginitatem servandi; ut indicat accensa lampas, quam sinistra tenet: demonstrat enim, hanc esse unam ex illis quinque Virginibus prudentibus, quae accensis lampadibus exierunt obviam Sponso*, ut in Euang. Matth. cap. 15. *Notanda heic est forma lampadis, seu potius vasis lampadem continentis, quod fortasse antiquitus omnibus commune erat; cum ejusdem similitudinis aliud expressum sit in Musivo opere in facie Ecclesiae S. Mariae Transtyberim; ubi decem illae Virgines, quinque fatuae, & quinque prudentes, quae in praefato Euangelii capite describuntur, constructae sunt. Vult Macrus in suo Hierolexico, simile vas*, Cantharum *denominari*: *de quo vide eumdem in voce* Cantharus. *In peripheria hujus hieroglyphici sequentia carmina habentur*:

☩ VIRGO PUDENQUETIANA CORAM STAT LAMPADE PLENA.
☩ PROTEGE PRAECLARA NOS VIRGO PUDENQUETIANA.

Notandum etiam est, pretiosas vestes illas non ad libitum Sculptoris caelatas fuisse, sed ad denotandam virginis nobilitatem; cum Senatorii Generis esset, utpote filia Pudentis, cujus Aedes in hanc Ecclesiam cessere. In altero circulo, quem in ordine tertium denominamus, alia similis praecedenti figura cernitur, dextera quoque ardentem lampadem sustinens. Haec Imago Praxedem sororem ejusdem Pudentianae repraesentat: nam ambae Sanctae virgines fuere. Circa hujus circuli peripheriam, haec carmina leges:

☩ OCCURRIT SPONSO PRAXEDES LUMINE CLARO.
☩ NOS PIA PRAXEDES PRECE SANCTAS CONFER AD AEDES.

In explicando hoc emblemate diutius non haeremus, cum ea, quae diximus de Sancta Pudentiana, Sanctae Praxedi ejus sorori quoque conveniant. Huc usque laudatus Ciampinius.

25. TRANSFIGURATIO DOMINI, ex Musivo antiquissimi Tituli SS. Nerei, & Achillei, de quo egimus supra in Indiculo Saeculi I. Tabula II. num. 16. Jesus Christus Dei Filius, ad se vocatis Petro, filiisque Zebedaei Joanne atque Jacobo, secum eis in altissimum montem, qui non procul aberat, ut ascenderent, jussit. Eoque cum fuisset perventum, & Christus orandi initium fecisset, immutatus vultu, vestibusque, ejus facies Solis instar refulsit, vestesque nivis similes visae sunt. Hoc ut evenit, duo Viri repente apparuerunt, quos Apostoli a gravi somno, quo detinebantur, excitati, statim ac Mosen, atque Eliam esse cognorunt, Petrus optimam rem esse exclamavit, si tria tabernacula extruere, ibique omnibus, qui aderant, Christi voluntate consistere liceret. Quo tempore nubes lucida visa est; in quam ut Prophetae ascenderunt, audita vox fuit, quae Jesum Filium Dei esse confirmaret, praeciperetque, ut illi omnes parerent. Ea re audita, Apostoli, propter terrorem, in terram se, velut exanimes, projecerunt. Vide Ciampinium *Veterum Monimentorum* Tom. II. Tab. 38. pag. 125. Post Pe-

Petrum, in Musivo Beatissima Virgo sedet, ad cujus dexteram Angelus stat, quo proculdubio Sanctissimae Annunciationis repraesentatur mysterium: omnium autem harum Figurarum niveo vestes albescunt colore. In opposito hujus Musivi angulo, sive parte, itidem expressa est eadem Beatissima Virgo, perstringens in gremio Filium suum Unigenitum D. N. Jesum Christum; sic expressa, ad ostendendum, quod ipsa erat Deipara. Ad ejus Virginis dexteram stat Angelus: cur autem hoc loco Angelus iste expressus fuerit, puto a Musivario fuisse expressum, ad indicandum, quod omnes Angeli, & Creaturae ipsi Creatori, illius in obsequium praesto esse debent, ut innuit S. Augustinus in Psal. 56. circa medium, ubi ait: *Omnes enim Angeli, creatura serviens Christo est. Ad obsequium mitti potuerunt Angeli, ad servitium mitti potuerunt, non ad adjutorium: sicut scriptum est, quod Angeli ministrabant ei, non tanquam misericordes indigenti, sed tanquam subjecti Omnipotenti.* De hoc Musivo idem Cl. Ciampinius agit etiam in laudato Opere *Vet. Monim.* part. 1. cap. 22. Animadvertenda est pictoris solertia, qui literis initialibus trium Apostolorum dormientium nomina praenotavit: Jacobi tamen Monogramma delevit antiquitas. S. Irenaeus libro IV. contra Haereses cap. 12. pag. 241. ostendens Christum esse utriusque Legis Auctorem, quod traditiones & mores, veteri repugnantes, damnaverit, summa vero & eminentiora hujus praecepta confirmaverit, ac se Mosaicae Legis finem esse docuerit, scribit: *Esaias ait: &c.* Frusta autem colunt me, docentes doctrinas, & praecepta hominum: *non per Moysem datam Legem, dicens praecepta hominum, sed traditiones Presbyterorum ipsorum, quas finxerunt, quas vindicantes, frustrabantur Legem Dei, & propter hoc nec Verbo ejus subjecti sunt. Hoc enim est, quod & a Paulo dicitur de istis* (Rom. x. 3. 4.), ignorantes enim justitiam Dei, & suam justitiam volentes statuere, justitiae Dei non sunt subjecti. Finis enim Legis Christus, ad justitiam omni credenti. *Et quomodo finis Legis Christus, si non & initium ejus esset?* Moysis Prophetae & Hebraeorum Legislatoris imagines numerari permultae possunt, a Christianis primorum temporum delineatae, insculptaeque lapidibus, *in Roma Subterranea* Bosii, Severani, & Aringhii Virorum Clarissimorum.

26. Christus Dominus Sapientia Patris, annos duodecim natus, a Maria semper Virgine Matre, & a Josepho Viro ejus, quo ille ceu Patre utebatur, Nazaretho Hierosolymam ductus ad solemnitatem Paschae, post peractos septem dies azymorum, Parentibus domum redeuntibus, illis insciis ibi remansit: ac per triduum sollicite quaesitus, tandem in Templo cum Legis Doctoribus, qui prudentiam ejus, & responsa admirabantur, disputans inventus est. Percellebantur omnes, qui eum audiebant, super intelligentia, & responsis ejus. Mariae autem, & Josepho, captum ex ea re dolorem testautibus, dixit: *Nesciebatis, quia in his, quae Patris mei sunt, oportet me esse?* Hae primae voces fuerunt, quas protulit Christus apud Euangelistas, ut omnes tantam inesse in eo vel adolescentulo doctrinam mirarentur, quantam ne in eruditissimis quidem Legis peritis unquam agnovissent. Namque hoc ille indicium eorum esse voluit, quae post ipsi, cum constitutum a Patre tempus advenisset, agenda erant. Hebraeorum pueri, dumtaxat post annum aetatis duodecimum vocabantur *filii praecepti* (nempe diei solemnis Paschae). Vide Virum Doctissimum Augustinum Calmet in Comment. in Luc. cap. II. vers. 42. Noster Pater Aringhius *Rom. Subter.* Tom. I. pag. 529 de hac pictura, in Cubiculo I. Coemeterii S. Callisti Papae Via Appia & Ardeatina reperta, ita scribit: *In apside, qua quis dextrorsum ingreditur, Sacra Christi Domini, Doctorum in medio considentis, Imago conspicitur; quae quidem, ut nonnulli arbitrati sunt, eundem Dominum suos edocentem Apostolos repraesentat; cum praesertim aliae ibi ad numerum duodecim intuentibus imagines exhibeantur: at, cum binae earum, viros quosdam sedentes, reliquae vero, stantes nonnullos praeseferant, ejusdemque Christi Domini facies, pubescentem adhuc aetatem redolent; credendum potius est, eundem in Templo inter Doctores medium, sacris de rebus disserentem, ejusmodi habitu praemonstrari.* Aliam quoque idem exhibet Christi duodenuis imaginem ex Cubiculo Secundo Coemeterii S. Agnetis Via Nomentana, Tom. II. p. 195. Et Cl. Ciampinius *Vet. Monim.* To. I. p. 210, ut geminum hoc monumentum Disputationis Christi inter Doctores illustret, verba S. Lucae in medium profert ex ejus Euangel. cap. 2. v. 40, & sunt ea, quae sequuntur: *Puer autem crescebat, & confortabatur, plenus sapientia: & gratia Dei erat in illo. Et ibant Parentes*

INDICULUS TAB. I. SAEC. II.

INDICULUS TAB. I. SAEC. II.

tet ejus per omnes annos in Hierusalem in die solemni Paschae. Et cum factus esset annorum duodecim, ascendentibus illis Hierosolymam, secundum consuetudinem diei festi, consumatisque diebus, cum redirent, remansit puer Jesus in Hierusalem, & non cognoverunt Parentes ejus: existimantes autem illum esse in comitatu, venerunt iter diei, & requirebant eum inter Cognatos, & notos; & non invenientes, regressi sunt in Hierusalem, requirentes eum. Et factum est, post triduum invenerunt illum in Templo sedentem in medio Doctorum, audientem illos, & interrogantem eos. Stupebant autem omnes, qui eum audiebant, super prudentia, & responsis ejus; & videntes, admirati sunt: & dixit Mater ejus ad illum: Fili, quid fecisti nobis sic? Ecce pater tuus, & ego dolentes quaerebamus te: & ait ad illos, quid est quod me quaerebatis? nesciebatis, quia in his, quae Patris mei sunt, oportet me esse?

27. *Adam*, & *Eva*, ex Sarcophago Junii Bassi edito ab Aringhio *Rom. Subter.* Tom. I. p. 277. De eo egregie scalpto, & in Vaticano Cœmeterio reperto idem Aringhius sic scribit p. 276. *Eximius iste Junii Bassi Sarcophagus, cujus simulacrum heic vides, Pario quidem e marmore, opere autem Corinthio elaboratus, sacras, qua Veteris, qua Novi Testamenti historias eleganter exculptas continet &c. Protoparentes juxta lignum vetitum, cui malesuadus, ac versipellis serpens tortuosis amplexibus circumvolutus exprimitur, tristi, demissoque vultu, nuditatis suae sero conscii, & jam laboribus, aerumnisque cum tota posteritate addicti, irrevocabili illa a Deo lata sententia*, In sudore vultus tui vesceris pane tuo: *quod item Sculptor significatum voluisse videtur manipulo illo spicarum, qui prope Adamum conspicitur, & lanigera pecude, Evae adstante: illi scilicet in terra, quo vescatur, desudandum: huic vero ad lanam & linum, quo amiciatur, manum admovendam esse innuens*. Cur Adae & Aevae lapsis, Christi Nativitas adnectatur in nostra Tabula, satis omnibus palam ostendit humani generis universale naufragium, atque necessitas Christi Redemptoris. S. Justinus Martyr in Dialogo cum Triphone §. 100. pag. 206. Venetae edit. 1747. *Eva*, inquit, *cum Virgo esset, & incorrupta, sermone serpentis concepto, inobedientiam, & mortem peperit. Maria autem Virgo, cum fidem, & gaudium peperisset, nuntianti Angelo Gabrieli laetum nuntium, nempe Spiritum Domini in eam superventurum, & virtutem Altissimi ei obumbraturam, ideoque id quod nascetur ex ea sanctum, esse Filium Dei; respondit*, fiat mihi secundum Verbum tuum. *Ex hac ille genitus est, de quo tot Scripturas dictas esse demonstravimus*. Primus homo ortus e terra, in memoriam revocat secundum hominem, hoc est Christum, quem S. Paulus vocat de caelo caelestem in Epist. I. *ad Corinth.* cap. XV. vers. 45. & seqq. Passim in Coemeteriis occurrunt figurae Adami, & Evae, arboris, & serpentis, qui eosdem Protoparentes fraude circumvenit, induxitque, ut fructu ejus arboris, contra atque imperatum a Deo fuerat, vescerentur. Ex qua re infelix posteritas intelligeret, quae peccati, aerumnarum, mortisque initia fuerint, nunquam in Mundo desitura; & cujusnam tandem virtute ac meritis vindicati mortales in libertatem, erecti sint in spem, quae non confundit, fore videlicet, ut, si declinent malum, vita sempiterna, gloriaque potiantur. Vide laudatum Aringhium Tom. I. pag. 315. 325. 331. 427. 541. 581. & Tom. II. pag. 109. 117. 123. 143. 193. 199. 354. 395. 399. item Bottarium Virum Cl. Tom. I. pag. 35. 46. 119. 147. 167. cui fecit titulum *Sculture e pitture sacre estratte dai Cimiterj di Roma &c.* necnon Doctissimum Senatorem Bonarrotium in libro inscripto *Osservazioni sopra alcuni frammenti di vasi antichi di vetro &c.* Tab. I. fig. 1. in cujus parte superiore exhibentur Adamus, & Eva, qui serpentis dolis inducti, pomum contra Dei praeceptum comederunt, & peccatum mortemque suo scelere introduxerunt in orbem terrarum: in inferiore vero Christus praeseferens figuram boni Pastoris, ut judicaretur, hujus opera revocatum genus humanum ad poenitentiam, restitutamque ei fuisse salutem, perpetuamque felicitatem. Hoc monumentum singulari Dissertatione explicavit eruditissimus Ciampinius, & post ipsum Doctissimus Mamachius, *Originum & Antiquitatum Christianarum* libro III. cap. I. §. 4. Primus fuit Jesu typus omnium parens Adamus, ipso monente Apostolo, qui, ut supra innuimus, formam eum esse Adam futuri pronuntiat. Tum deinde hanc inter ipsos comparationem instituit S. Paulus Rom. V. v. 14. 18. 19. *Igitur sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic & per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitae. Sicut enim per inobedientiam unius hominis, peccatores constituti sunt multi* (videlicet *omnes*), *ita & per unius obedien-*

dientiam, justi constituuntur multi. Tum I. *Corinth.* 15. 20. & seq. *Nune autem Christus resurrexit a mortuis, primitiae dormientium: quoniam quidem per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum. Et sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur*. Deinde: *factus est primus homo Adam in animam viventem; novissimus Adam in spiritum vivificantem &c. Primus homo de terra terrenus; secundus Homo de caelo, caelestis. Qualis terrenus, tales & terreni: & qualis caelestis, tales & caelestes. Igitur sicut portavimus imaginem terreni, portemus & imaginem caelestis*. Hnc adde, ex Daniele Huetio *Demonstrationis Euangelicae* cap. 170 utrumque fuisse Filium Dei: nam stemma Christi Jesu pertexens Lucas, Adamum appellat Filium Dei; & a Jesu vero Filio Dei hanc seriem auspicatus, in Adamo Filio Dei definit. Sexto die creatur Adamus; sexto die crucem subit Christus. Ad imaginem Dei creatus est Adamus; Jesus (*Sapientiae* VII. vers. 26. Epist. *ad Colossen.* I. vers. 15. *Hebr.* I. vers. 3. & *ad Philip.* II. 6.) *est imago Dei invisibilis, & figura substantiae ejus, & speculum sine macula Dei majestatis, & imago bonitatis illius*. De terra virgine factus est Adamus; Jesus de Puella Virgine. Adamum jussit Deus dominari *piscibus maris, & volatilibus caeli, & universis animantibus, quae moventur super terram*, *Genes.* I. vers. 28; datam vero sibi omnem potestatem in caelo & in terra praedicat Christus, Matthaei cap. 28. vers. 18. Conjugium Adami, & Evae, individuum Christi Jesu, & Ecclesiae connubium referre, auctor est Sanctus Paulus in Epistola ad Ephesios cap. v. vers. 31. 32. Evae suasu admittitur peccatum; Mariae partu oritur peccati remedium. Per lignum morti nos tradit Adamus; per Lignum, vitae nos restituit Jesus. Fructum arboris, pee quem bonum & malnm noscebatnr, degustat Adamus; de Christo Jesu peaedixit Isaias cap. 7. vers. 15. *butyrum, & mel comedes, ut sciat reprobare malum, & eligere bonum*. Nudus peccavit Adamus; nudus peccatum in Cruce reparavit Christus. Post admissum peccatum terrestri Paradiso exit Adamus; post reparatum peccatum caelestem Paradisum subit Jesus. Dormiente Adamo, creatur Eva; moriente Jesu, nascitur Ecclesia. Ex Adamo, & Eva nascuntur homines; ex Christo, & Ecclesia renascuntur. Huc usque sapientissimus Huetius: quem consule etiam Propositione VII. pag. 282 Editionis Parisiensis an. 1679.

28. MAGI JESUM ADORANT, EIQUE MUNERA OFFERUNT. Vide quae scripsimus de hoc argumento in Indiculo Tabulae I. Saeculi I. num. 28. Chalcidius Platonicus Philosophus *in Comment. in Timaeum* Platonis pag. 325. Edit. Joannis Alberti Fabricii Tomo II. Operum S. Hippolyti, *est quoque* (inquit) *alia sanctior, & venerabilior Historia, quae perhibet ortu Stellae cujusdam, non morbos, mortesque denunciatas, sed descensum Dei venerabilis ad humanae conservationis, rerumque mortalium gratiam. Quam stellam, cum nocturno itinere suspexissent Chaldaeorum profecto Sapientes Viri &c, quaesisse dicuntur recentem ortum Dei, repertaque illa majestate puerili, veneratos esse, & vota Deo tanto convenientia nuncupasse*. Fabricius in ea opinione versatur, ut Chalcidium Christianum fuisse putet. At, si hoc, in Chalcidii Commentario, nihilque Ethnicum praeterea reperiretur, non equidem Fabricio resisterem (ut scite animadvertit P. Mamachius *Originum & Antiquitatum Christianarum* Tomo I. libeo 2. cap. 4. §. 2.): verum, cum tot habeat, quae Ethnica omnino sunt; non intelligo, cur in Christianis potius Chalcidius sit, quam in Gentilibus numerandus. Origenes *contra Celsum* lib. I. num. 11. pag. 367. Edit. Monachorum S. Mauri post allatum ex Capite v. Prophetiae Micheae vers. 2. locum de Messia Bethleemi nascituro, sic habet: *Hoc Vaticinium nulli fanatico, nulli impostori, nulli eorum, qui se caelitus venisse praedicant, ut ait Celsus Judaeus, accomodaveris, nisi is demonstretur in Bethleem natus, ut alius forte dixerit, & Bethleem egressus ad regendum populum. Jam si quis hoc Micheae vaticinio, Historiaque in Euangelio a Jesu Discipulis scripta, minime contentus, ultra quaesierit quidpiam aliud, quo persuadeatur, Jesum in Bethleem natum esse, is recogitet in Bethleem monstrari speluncam, in quo natus est, & in spelunca Praesepe, ubi est fasciis obvolutus: quae omnia consentanea sunt narratae in Euangelio de ortu ejus Historiae. Atque hoc in locis illis pervulgatum est, atque etiam apud fidei hostes celebratum, in illa spelunca natum esse eum, quem Christiani adorant, & admirantur Jesum*. De Magis, qui essent, & ex qua Regione venissent, consulendus Doctissimus Calmetus in Dissertatione *de Magis, qui Jesum adoraturi venerunt*, praefixa Commentario in Evangelium Matthaei. De Stella in caelo conspecta,

INDICULUS TAB. I. SAEC. II.

INDICULUS TAB. I. SAEC. II.

quam afflatu instinctuque divino cognorunt Magi indicium Regis esse, quem Prophetae venturum eo tempore praedixerunt, vide Thomam Vincentium Monelia in Pisana Academia publicum SS. Literarum Professorem in Dissertatione *de Annis Jesu Christi*. De bove, & Asino, qui cognoverunt praesepe Domini sui, inspiciatur Sarcophagus marmoreus veterum Christianorum ex Vaticano Coemeterio effossus, & aeneis Tabulis editus ab Arighio Tomo I. lib. 2. cap. x. pag. 295; itemque alius erutus ex Coemeterio S. Callisti apud eundem lib. III. cap. 22. pag. 615; necnon & tertius repertus in Romanis Arenariis prope Ecclesiam S. Sebastiani, quem idem in dicto libro pag. 617 evulgavit. Deiparam Virginem recumbentem in sella, cum Puero Jesu in ulnis suis, ad trium Magorum adventum, exhibent quatuor Sarcophagi marmorei remotissimae antiquitatis editi ab eodem Aringhio Tom. I. pag. 325. 327. 331. & Tom. II. pag. 159. itemque Vetus pictura Coemeterii S. Callisti Papae edita pag. 587. ejusdem Tomi. Ciampinius *Vet. Moniment.* Tom. II. pag. 100 aliud insigne monumentum Adorationis Magorum profert ex Musivo Ecclesiæ S. Apollinaris Ravennae, constructo an. 570, atque his verbis illustrat: *trium Magorum adorationis sequitur expressa historia*, *quam Matthaeus cap. 2. num. 1. enarrat*: „ Cum ergo natus esset Jesus in Bethlehem Juda in diebus Herodis Regis, ecce Magi ab Oriente venerunt Hierosolymam, dicentes: ubi est qui natus est Rex Judaeorum? Vidimus enim Stellam ejus in Oriente, & venimus cum muneribus adorare eum. *Et infra num.* 11. Et intrantes domum, invenerunt Puerum cum Maria Matre ejus, & procidentes adoraverunt eum: &, apertis thesauris suis, obtulerunt ei munera Aurum, Thus, & Myrrham, „ *Beatissima Virgo in gemmato sedet solio, Filiumque adultum, veste, pallioque indutum in proprio sustinet sinu. Quare Puer Jesus sic expressus, narrandi ansam mihi praebet, an Magi post paucos dies a Christi Nativitate eundem adoraverint, vel post annum, sumpta dubitandi occasione ab illo, quod laudatus Evangelista Matthaeus eodem capite scribit, Herodem jussisse*, a bimatu, & infra *omnes pueros occidi*; *subdens*, secundum tempus, quod exquisierat a Magis. *Quare ex his verbis Eusebius Pamphili, Epiphanius, ac alii in ea fuerunt sententia, quod post biennium a Christo nato Magi Bethlehem ad Christum petiissent. Quaestionem hanc inclytus Cardinalis Baronius fuse agitat; ac opinatur, post tresdecim dies Magos ad Puerum Jesum accessisse. Neotericus vero Scriptor Papebrochius in suo Apparatu ad Chronologiam Pontificiam, & in consultatoria Epistola ad R. P. Petrum Possinum num. 9. censet, Puerum Jesum anniculum fuisse, quando Magi ad eum adorandum perrexere. Huic sententiae magis correspondet praesens imago*. Ita Cl. Ciampinius. Sed vide locum, quem supra recitavi, in hoc Indiculo.

29. DANIEL IN LACU LEONUM, ex anaglypho invento in Coemeterio SS. Marcellini & Petri Via Labicana. Extensis brachiis orat Propheta Sanctissimus, qui Divino praesidio in lacu Leonum servatus incolumis, Jesum mystice designavit. Christi quoque fidelium sectatorum figura fuit, qui, sin minus reprimere bestias, quibus ab Ethnicis exponi solebant, consequi tamen certe vitam sempiternam, salvique in Regnum Caelorum pervenire sperabant, ut scribit Tertullianus libro *de Idololatria*, c. 15. p. 95 Edit. Venetae an. 1744, & Clemens Alexandrinus libro I. Stromateon paginis 329, & 405. edit. Paris. an. 1641, Horum, aliorumque insignia testimonia profert noster Aringhius lib. v. *Romae Subter.* cap. 21. pag. 202, & seqq. Aliae Danielis, in lacu Leonum consistentis, imagines, visuntur in Sarcophagis, & Picturis Coemeterialibus, editis ab eodem Aringhio Tom. I. pag. 277. 331. 333. 423. 543. 545. 547. 567. 571. 613. 622. & Tom. II. pag. 65. 101. 105. & 401. Extat quoque in Museo Vaticano inter Nummos maximi moduli lamina ærea, qua exhibetur Daniel brachiis extensis orans inter Leones duos, cui Abacucus Propheta dextera manu naviculam porrigit plenam panibus. Demum in emblemate primo Musei Carpinei, quod Ciampinius singulari Dissertatione illustravit, cernitur item Daniel, expansis manibus stans inter Leones. Vide eundem Ciampinium ibidem, pag. 18, & Tomo 2. *Veterum Moniment.* pag. 7. Tab. 3. lit. H; Bonarrotium *Osservazioni sopra alcuni frammenti di vetri &c.* Tab. I. fig. 1; Bottarium *Sculture e Pitture sacre estratte dai Cimiterj di Roma* Tom. II. pag. 26; & Mamachium *Originum & Antiquitatum Christianarum* Tom. I. pag. 185, ac Tomo III. pag. 43. & 44.

30. Antiquissima Pictura inventa in Coemeterio SS. Hermetis, Basillae, Prothi, & Hyacinthi. Exhibet Christum Dominum in throno sedentem, qui sinistra explicitum volu-

volumen tenet, dextra vero juveni manum imponit. Hinc inde adstant duo stolati viri. Aringhius *Rom. Subter.* Tom. 2. pag. 329. num. 2. de hac veneranda Christi Domini throno considentis effigie ait: *in controversiam revocari potest, an sacer potissimum ritus, quo quis Ecclesiasticis de more Ordinibus initiatur, an vero ipsemet Dominus, puero (quod plerumque consueverat) manum imponens, hac imagine designetur*. Fiebant in Martyrum Coemeteriis soliti Christianorum conventus, furentibus Persecutionibus Principum Ethnicorum. Placuit ergo Majoribus nostris, in pictura hujus Cubiculi, Sacris Ordinationibus praesertim destinati, Christum Dominum Sacerdotem in aeternum secundum ordinem Melchisedech in Throno considentem exhibere, atque una simul administros ejus, commonicato cum Apostolis ipsorumque successoribus jure Regalis Sacerdotii, dataque eis potestate imponendi manus in Sacrorum Ordinum collatione. Quo sub ritu a pacifico Salomone Apostolis eorumque Successoribus Episcopis tradito, Sacramentum Ordinis certis verborum formis expressum, Ecclesia Sancta Divinitus edocta semper constantissime administravit. Ordinationes fiebant in praesentia Cleri, & Plebis. Veteris istius disciplinae (per quam proponebantur in coetu Fidelium ordinandi ad gradus hierarchiae Sacerdotalis) extant certa vestigia ab ipso Christianae Religionis exordio; vigebatque etiam in praecedenti Lege Mosaica. Et certe servatum fuisse hunc morem inter ipsa Ecclesiae nascentis primordia, manifestum est ex Actis Apostolorum, tam in electione Mathiae ad Apostolatum, quam in constitutione prima septem Diacooorum ad ministerium. Quem ritum Geotium Doctor Paulus insinuat Discipulis suis Timotheo, ac Tito; dum memorat, hunc Episcopum a se relictum Cretae, ut constitueret Episcopos per Civitates; illi vero Ephesiorum Episcopo constituto mandat, in examine virtutum requirendarum in ordinandis ad gradus Ecclesiasticae Hierarchiae, ut testimonium bonum habeant etiam ab iis, qui foris sunt. Discimus & ex Lampridio, aetate nempe Severi Alexandri (ut in Secundi Saeculi finibus consistamus) ita notum ac probatum fuisse morem Christianae censurae, de qua loquimor, ante Ordinationem; ut Imperator ille, a Christianis mutuatus complura vitae documenta, hunc etiam morem traducere studuerit ad electionem eorum, qui praeficerentur Provinciis. Scribit enim idem Lampridius in ejus Vita: *ubi aliquos voluisset vel Rectores Provinciis facere, vel Procuratores, idest Rationales, ordinare, nomina eorum proponebat, hortans Populum, ut si quis quid haberet criminis, probaret manifestis rebus: si non probasset, subiret poenam capitis. Dicebatque, grave esse, quod Christiani, & Judaei facerent in praedicandis Sacerdotibus, qui Ordinandi sunt, id non fieri in Provinciarum Rectoribus, quibus & fortunae hominum committerentur, & capita*.

INDICULUS TAB. I. SAEC. II.

31. GLOBUS FARNESIANUS, cum emblemate, FELIX TEMPORUM REPARATIO. In eo visuntur insignia rudimenta Astronomiae, Chronologiae, & Historiae, per aetatem, quam vocant, Heroicam, a Graecis ad nos transmissa usque ad Saeculum Antonini Pii; ut luculenter ostendit Franciscus Blanchinus Patruus meus in aureo Opusculo, inserto *Libro Antiquario* hujus nostrae *Demonstrationis Historiae Ecclesiasticae Quadripartitae* p. CCLXXVIII, quod sub auspiciis JOANNIS V. PORTUGALLIAE ET ALGARBIORUM REGIS FIDELISSIMI aeternum celebrandi, edere jam decreverat anno XXVII, qui fuit postremus, aetatis suae; ut ex autographis literis didici, quamprimum evulgandis, una cum omnium rerum anecdotarum ejusdem amantissimi mei Patrui Collectione.

32. *Vetus pictura Cubiculi quinti Coemeterii Priscillae Via Salaria, exhibens Sanctum Pium Papam I. in Pontificia Sede constitutum, cui sistitur S. Praxedes, aut Pudentiana, Virginitatem Deo vovens, & sacrum velamen suscipiens, adstante Presbytero Pastore*. Aringhius *Rom. Subter.* Tom. 2. pag. 304. *Insculptae* (inquit) *heic sero imagines, quae in primario Cubiculi hujus pariete existunt: & primo quidem loco stolata quaedam Mulier, expansis consueto orantium more brachiis, precationi insistens, contemplanda proponitur. Et symbolice quidem, ipsa extentio manuum Salutare (quod tam frequens est in Coemeterialibus imaginibus) Crucis Signum intuentibus praefefert, ut Justinus Martyr in Apolog. satis erudite edocet; dum in cunctis fere Crucis Signum, ac symbolum designari affirmat: „ Considerate, inquit, omnia, quae in Mundo sunt, an sine hoc Crucis Signo gubernentur, aut possint praebere sui usum. Mare enim non scinditur, nisi malus salvus in navi maneat: Terra non aratur, sine eo signo: Humana figura a belluis differt,* quod

INDICULUS TAB.I.SAEC.II.

quod erecta sit, & manuum extensionem habeat „. *Quod idem apud Ambr. ser. 6. prolixius videre est. Imago autem haec, quae nobis contemplanda occurrit, ut quorundam haud contemnenda quidem opinio suggerit, ipsammet Sanctissimam foeminam Priscillam praesefert, cui hoc idem pariter Cubiculum dicatum fuisse, ex Scriptoribus nonnulli constanter asserunt; in quo videlicet & illa, una cum Beatis Virginibus Pudentiana, ac Praxede, condigno tumuli honore excepta fuit. Quod quidem ipsemet Bosius, vir alioqui prudens atque oculatus, vel ex hoc uno conjectari non timuit, quod nimirum haud casu, haud temere, sed Deo prorsus disponente, ipsomet Natalitio recurrente Beatae ejusdem Priscillae die, 17. nempe Kal. Febr. Cubiculum hoc inter tenebras perscrutando deprehendi, adinveniri, ac delineari contigit. Quam sane conjectandi rationem duae pariter pictae ibidem imagines valide confirmare videntur; quippe quae sacrum velandarum Virginum intuentibus ritum exhibent*. Paria habet Franciscus Blanchinus Patruus meus in Notis ad *Anastasium Bibliothecarium* in Vita S. Pii Papae I. Tom. 2. pag. 128., ubi ait: „ Locus admonet, ut (occasione Actorum, & Vitae SS. Virginum Praxedis, & Pudentianae, propositum describentis quo se in professione castitatis Deo obstrinxerant, & locum depositionis, quem obtinuerant apud parentes in Coemeterio Priscillae Via Salaria), inseramus hisce notis Picturam veterem, ab Aringhio, & Bosio repertam in eodem Coemeterio, ac descriptam, & explicatam *Romae Subterraneae* Tom. 2. pag. 395. Illustrat enim non mediocriter priorum Pontificum ritus in velandis Virginibus, quae perpetuam castitatem Deo vovissent: & eorundem Pontificum Sedem, aut Cathedram, vestesque, ac tonsurae consuetudinem exhibet, perinde conspiciendam in illorum imaginibus ad Basilicam S. Pauli, ceterisque in Musivis antiquissimis huic picturae plane conformem. Reservatis autem suo loco iis, quae pertinent ad vestes, ac tonsuram Pontificum, heic perstringam ea, quae spectant ad Virgines velandas, in amplexando instituto Deo dicatae Virginitatis. Quibus id verbis aptius exprimam, quam mutuatis ab Aringhio, in ejusdem Picturae explicatione? Sunt autem ea, quae sequuntur: *Praememorata autem imago (si quis rem probe discutiat) Praxedem, aut Pudentianam ejus sororem praesefert; quae ambae illibato animi candore, firmoque mentis proposito suam Christo virginitatem devovere. Verum, ut, altius rem expendendo, ipsum Lector veritatis tramitem assequatur, contemplanda ibidem oculis intuentium subjicitur Mulier stans, velamen quoddam manu gestans, cui Pontifex (ipse forte Beatus Pius Papa) Throno receptus manum imponit; juxta quem Presbyter quidam erecto item corpore exprimitur, Pastor videlicet, si ita nobis interpretari fas est*. Promiseram in Notis ad Clementem, me heic redditurum ea, quae dicenda erant de perpetuae virginitatis votivo instituto, Catholica in Ecclesia a piis Virginibus suscepto circa nostrae Religionis exordia; quod ab hac aetate, de qua agimus, alienum esse commenti sunt hujus consilii Euangelici non aequi aestimatores, qui proinde negabant Clementi Papae velatam fuisse virginem Domitillam. Leopardus Presbyter, cujus nomen extat incisum sub Siricio Papa in Titulo S. Pudentianae, Legatus ab eodem Pontifice missus in causa Joviniani, haeretica perfidia retrahentis Ancillas Dei ab hoc sancto proposito, & Virgini Virginum exemplari ejusque asseclis per summam injuriam infensi, eoque nomine damnati tum a Summo Pontifice, tum a Legatis in Concilio (ut Synodales literae ad Siricium testantur) auspicio suo facit, ut contranegantes honorem hujusmodi professionis Saeculo Apostolicorum virorum, hunc tueamur. Consilium Euangelicum id esse, a Christo Domino insinuatum Fidelibus perfectioris vitae studiosis, Apostolus docet aperte in Ep. I. ad Corinthios cap. 7. *De Virginibus praeceptum Domini non habeo, consilium autem do, tanquam misericordiam consequutus a Domino, ut sim fidelis*: & I. ad Tim. 1. *adolescentiores viduas devita &c. cum enim luxuriatae fuerint in Christo, nubere volunt, habentes damnationem; quia primam fidem irritam fecerunt*. Consilium Domini probant loca, a SS. Patribus, & Conciliis producta, & explicata, praesertim dictum illud Matthaei XIX, *Sunt eunuchi, qui se castraverunt propter Regnum Dei*: quod Chrysostomus, Hieronymus, Augustinus, Epiphanius illustrant luculenter: adeo ut de sensu, & consensu Patrum, nec ipsi negare possint haeretici, ut Bellarminus ostendit lib. II. *de Monachis* cap. 27. De praxi autem istius consilii in utriusque sexus Fidelibus sanctis, cum Christo Domino versatis, nempe Beatissima Virgine ejus Matre, S. Joanne Baptista, Apostolis, aliisque eorun-

eorumdem exemplo excitatis ad perfectionem, constanti professione tum istius consilii, tum voluntariae paupertatis, & obedientiae, Patrum vox una est, & Conciliorum: licet haeretici, qui Ecclesiam audire detrectant, ut privato spiritu superbiae suae Scripturas Divinas pervertant, & accommodent suis voluptatibus, in aliorum luce misere caecutiant. Plerique tamen illorum negare non audent, sub finem Secundi Saeculi, & sub initium Tertii, constare per literas Cypriani, necnon ex Tertulliani, aliorumque Scriptis, de Virginum dedicatione: adeo ut intra limites Primi a Christo Saeculi, aut paulo ultra medietatem Secundi, contineant suas negationes. Quibus cum opposueris Essenos in Syria, Marci discipulos in Aegypto ejusdem professionis asseclas, & institutores illorum qui ubique terrarum paullo post propagarunt hanc vitae rationem; sibi, ac ceteris illudunt, pernegantes saltem in sexu muliebri votum castimoniae, & morem eam dedicandi solemni ritu, ac ministerio Pontificum. Verum & his Hieronymus ostendit, Aegypti, ac Syriae Monasteria, non virorum modo, sed etiam Virginum, ac Viduarum, moris antiqui sanctimoniam professa: *Moris est* (inquit in Epistola ad Sabinianum) *in Aegypti, ac Syriae Monasteriis, ut, tam Virgo, quam Vidua, quae se Deo voverint, &, saeculum renunciantes, omnes delicias saeculi conculcarint, crinem Monasteriorum Matribus offerant desecandum: non intecto postea, contra Apostoli voluntatem, incessuras capite, sed ligato pariter, ac velato.* Acta nostrarum Virginum ac Martyrum Ecclesiae Occidentalis prioribus Saeculis idem testantur. Et ne quidpiam desit confirmandae Traditioni atque exemplo Sancti hujus propositi ac ritus, etiam literarum inexpertis, idem repetunt picturarum testimonia, a Sanctis Martyribus in Fidelium cryptis expressa: adeout commentis haereticorum perfricta fronte haec negantium parietes ipsi perspicua affirmatione respondeant. Nec sane pluribus opus erat, ad facti evidentiam Fidelibus tum temporis memorandam, etiamsi rudes literarum, & inexperti fuissent; cum plane nossent, etiam Vestalibus suis Ethnicorum Pontifices flammeum velum contradere consuevisse; cum castimoniae virginalis professio honoranda videretur etiam iis, qui perfectioris vitae studio tenerentur; ad quam rationis lumine, licet Euangelica fide nondum adaucto, creperae tamen lucis quodam fulgore perstricti disponebantur, ut longa enumeratione erudite probat S. Hieronymus lib. 1. contra Jovinianum. Quamdiu igitur suam Theclam Iconii cum Paulo celebrabunt; & Hierapolitani cum Polycrate duas Virgines Philippi filias apud Eusebium lib. 3. cap. 21; Aquilejenses Dorotheam, Euphemiam, & Erasmam; nos vero apud Confessionem B. Petri Virginem Petronillam; in conspectu Anxuritani littoris contra Insulas Pontias Domitillam Eusebio pariter notam cum socia Theodora; in Viminali, & Exquilino Colle Praxedem, ac Pudentianam; in Aventino, ac Coelio Balbinam, ac Theodoram, illustres Titulis, Memoriis, Sepulcris; non carebimus exemplis Deo dicatae virginitatis Primo, & altero Christi Saeculo, probatis per tot genuina documenta; quoties postmodum inclarescunt etiam aetates consecutae per Caeciliam, Eugeniam, Agnetem, Susannam, Anastasiam, Bibianam: neque enim diverso Euangelio, quod gerebant in pectore, usae sunt istae in dedicatione suae castitatis, ac utebantur priores illae, quarum exemplis, & vestigiis secundae insistebant, & quarum Sepulcris advolvebantur. Ex quo Salvator noster in Cruce pendens, ac sanguinem fundens, stantem sub Cruce Virginem Matrem Pontificia veluti aspersione iterum dedicavit in exemplar Virginum, & Virgini discipulo commendavit, atque hunc ipsum Virginitatis honore prae ceteris sibi dilectum filium adoptionis Virgini Matri substituit; utriusque exemplo tot Virgines succreverunt, quot ille in Apocalypsi se vidisse commemorat circa Agnum in Monte Sion, *qui cum mulieribus non sunt coinquinati: Virgines enim sunt, & sequuntur Agnum quocumque ierit, empti ex hominibus primitiae Deo, & Agno.* Si quis in tanta luce Scripturarum, & exemplorum non videt gemello veluti partu editas, Fidem Christianam, & vocationem ad Euangelicae Virginitatis consilium consectandum, ab iis, qui perfectioris vitae studio tenerentur; aures quoque obturabit Hieronymo diserte loquenti contra inimicum ejusmodi consilii Jovinianum lib. 1. *Grandis fidei est, grandisque virtutis, Dei templum esse purissimum, totum se holocaustum offerre Domino, & juxta eumdem Apostolum esse sanctum corpore, & spiritu. Hi sunt Eunuchi, qui se lignum aridum ob sterilitatem putantes, audiunt per Isaiam, quod pro filiis & filiabus locum in Caelis habent paratum. Horum typus est Ab-*

INDICULUS TAB. I. SAEC. II.

Ddddd deme-

INDICULUS TAB.I.SAEC.II.

demelech eunuchus in Hieremia, & Spado illo Reginae Candacis in Actis Apostolorum, qui ob robur fidei viri nomen obtinuit. Ad hos & Clemens successor Apostoli Petri, cujus Paulus Apostolus meminit, scribit Epistolas: omnemque pene sermonem suum de Virginitatis puritate contexuit; & deinceps multi Apostolici, & Martyres, & Illustres tam sanctitate, quam eloquentia viri, quos ex propriis Scriptis nosse perfacile est. Hactenus Hieronymus, qui omnium ferme Ecclesiarum Orientis, & Occidentis conspectu, & experimento edoctus, traditiones, quas acceperat, continenter fluentes ab Apostolica ad suam aetatem, perduxit, & comprobavit. Nos interim in Pudentis, seu Pudentianae Titulo, per Pium dicato, & in Coemeteriis Priscillae, ubi deposita fuit, cum Virgine sorore, ac parentibus, sacra Virgo, perfruimur conspectu documentorum, his picturis, ac Musivis expresso, tum in velandae Virginis ritu, quem exhibet pictura Coemeterii, tum in gestando hujusmodi amictu, & velo in conventu praesertim Ecclesiae, quod a Musivario utriusque Virginis capiti decenter, & constanter aptatum, intuemur in earumdem imaginibus, expressis in absfide Tituli, ornata per Siricium, & reparata per Hadrianum.

33. Fragmentum veteris Planisphaerii inscriptum imaginibus Ursarum, & Draconis juxta Phoenicios, & Graecos, necnon XII. asterismis Borealibus Chaldaeorum, ac totidem Signis Zodiaci divisis in Decurias, ac Terminos septem Planetis attributos a Genethliacis Aegyptiis. Repertum fuit in Monte Aventino anno 1705. & jussu Clementis XI. Pont. Maximi in Museum Vaticanum translatum, ut dictum est in libro Antiquario hujus nostrae *Demonstrationis Historiae Ecclesiasticae Quadripartitae* sub finem Capitis Octavi (pag. ccxxiii.), in quo agitur de Antiquis Ethnicorum Auctoribus, qui monumentis hieroglyphicis inclaruerunt. Tria genera Artis Graphicae, seu Scriptoriae, ab Aegyptiis retento post inventas literas visuntur in eodem Planisphaerio, ut ostenditur in eodem libro, capite nono, testimonio Clementis Alexandrini, atque aliis Simulacris, & Nummis. Fusius egimus de hoc Planisphaerio in libro Critico pag. ccxxviii.

34. TABULA CONSULARIS, ab anno Aerae Christi Vulgaris 151, usque ad annum ejusdem Aerae 200, ex autographis Inscriptionibus Romae, alibique servatis non poenitendo labore contexta: de qua lege, ad fiogula paria Consulum, allata testimonia in nostra Chronologia, & numerum 4 Indiculi Tabulae I Saeculi Secundi hujus nostrae *Demonstrationis Historiae Ecclesiasticae Quadripartitae*.

35. IMAGO SANCTI PUDENTIS, quae exstat in Janua Tituli S. Pudentianae. De ea Ciampinius *Vet. Monim.* Tom. I. pag. 28. haec habet: *Ultimo, in quinto scilicet ordine, Vir alter inspicitur, caput & ipse diademate ornatum habens, ac dextera complicatum volumen retinens. Quis autem sit, epigraphe circa orbem ostendit*:

✠ ALMUS ET ISTE DOCET PUDENS AD SIDERA CALLES:
✠ TE ROGO SANCTE PUDENS NOS PURGA CRIMINA TRUDENS.

Vir iste Sanctus ex ordine Senatorio fuit, ut idem volumen innuit; licet volumen non Senatoriae solum, & Consularis, verum etiam alterius Dignitatis indicium sit. Vir sane dignus, qui tales liberos, & tam admirandae Sanctitatis haberet; cum eos ipse vivax exemplar praecederet: ejus tamen imaginem, uti laicum repraesentantem, in infimo loco positam arbitror. Merito igitur tota haec Sanctissima Familia in Januae epystilio, illiusque zophoro expressa fuit, cum Sancto Pio, hujus nominis Primo, Pontifici propriam S. Pudens domum tradiderit, ut in Sacrum & publicum Fidelium usum converteret, & consecraret: ac a nonnullis pie creditur, primam hanc Ecclesiam in Urbe fuisse, ubi Fideles ad Sacras Synaxes peragendas congregarentur. Anno 40 Communis Aerae Christianae, qui duodecimus erat a Passione Domini, Petrum Apostolorum Principem, Romam venisse, Veterum Scriptorum testimonio comprobatur. Occasio si unquam prompta, eodem certe anno caelitus oblata, & parata fuit. Constat enim ex Actibus Apostolorum, Divina visione praemonitum Petrum, ut Gentes reciperet, inchoasse a Cornelio Centurione Cohortis Italicae, unius scilicet ex quatuor Legionibus, quae tum temporis erant in Syria collocatae. Baptismum Cornelii referunt omnes ferme Chronologi, vel maturius, vel ad annum octavum a Christi Passione, qui fuerit Vulgaris Aerae 36, quo Cajus Tiberio successit. Sive rapido accitu Caji, (ut luculenter ostendit Franciscus Blanchinus amantissimus Patruus meus in Notis ad *Anastasium Bibliothecarium* Tomo II. pag. 11.), sive Claudio Impe-

Imperium assumente, excita Legio fuerit, in qua Cornelius Centurio, & Cohors Italica militabat; sive ipse Cornelius confectis justis stipendiis honestam missionem obtinuerit, aut gradum militarem in alia Legione Occidentales tractus Imperii tuente, ut saepe evenit, & in antiquis Inscriptionibus observamus; ostium magnum aperiebatur Apostolorum Principi, & parata facultas cum fideli Centurione in Italiam navigandi, & apud ipsius agnatos e Cornelia Gente, vel amicos hospitandi. Haec autem mire cohaerent cum antiqua notione hospitii in Urbe apud Pudentem, circa Vicum Corneliorum, ut etiam vetera monumenta in S. Pudentianae Titulo asservata confirmant; inter quae Inscriptio Pudentianetis e Gente Cornelia, a Martyrum Coemeteriis Via Appia inter primum, & secundum lapidem, ubi sepulcrum Corneliorum fuisse constat ex Cicerone Tuscul. I. sect. 12, in eandem Ecclesiam translata, quae consequentibus verbis signata visitur, necnon figura stolatae mulieris, Nobilium more phrygiato limbo amplitudinem Generis indicante:

CORN. PVDENTIANETI
BENEM. Q. VIXIT. AN. XLVII.
D. I. VAL. PETRONIVS MAT
DVLC. IN PACE.

Divinae igitur providentiae consilio, suaviter universa disponente, & sexennio ante adventum Petri in Urbem caelesti visione advocante Italicae Cohortis Centurionem ad baptisma, ac Gentes ad salutem, Apostolorum Principi Corneliae Gentis hospitium Romae in domo Pudentis apertum fuit per unius Cohortis sive Ducis in Italiam evocationem; sive Cajus Caligula undique acciret Legiones, sive Claudius eas Britannicae expeditioni destinaret, quae militabant in Syria, & proximis Provinciis, ac testes fuerant mirabilium operum, & virtutum nascentis Ecclesiae Christi. Quare Patruus meus in Notis ad *Anastasium Bibliothecarium* sect. XII. Vitae S. Pii pag. 122. conjecturam non contemnendam esse arbitratur, quae etiam in Corneliorum fundis prima Christianorum Coemeteria nobis indicat: ut ii, qui viventibus Apostolis, hospitium in Urbe aperuerant ad Vicum Patricium, prope Vicum Corneliorum, in domo Pudentis, seu Titulo S. Pudentianae; etiam mortuis conditorium, ac Coemeterium paraverint in fundis domesticis. Quare & Coemeterium Priscillae Via Salaria non est ab hoc censu eximendum; cum Priscilla, mater Pudentis fuerit (vide Card. Baronium ad annum 44. num. 61., ad annum 59. num. 18. & ad 159. num. 8, & Aringhium *Romae Subterraneae* Tom. 2. lib. 4. cap. 28.) ejus, qui sub Antonino vixit; & Via Salaria in suo Coemeterio condiderit Pudentiana Praxedem sororem apud Patrem Pudentem, multo antequam alia Priscilla Tertio Christi Saeculo rogatu B. Marcelli Papae aliud Coemeterium Priscillae, pariter ductum eadem Via Salaria, Christianis aperiret. Quin etiam Vaticanas cryptas, ac Coemeterium, ubi S. Petrus, & proximi ab eo Pontifices primum reconditi, fundamenta hujus Ecclesiae jecerunt, a Corneliorum fundis non distare censendum est; non modo quia Corneliae Portae, ac Viae adjacent; sed etiam quia memorant Antiquarii, praeter sepulcra Corneliorum, Via Appia inter primum, ac secundum lapidem a Tullio memorata, spectatum quoque fuisse non longe a Basilica Vaticana alterum sepulcrum Corneliae Gentis inter molem Hadriani, & Basilicam: quod supererat ad Ecclesiam S. Mariae Transpontinae, antequam ab Hadriano Papa VI. dirueretur. Quare tum Via Appia apud S. Sebastianum, tum Via Triumphali, & Cornelia apud Sanctum Petrum, patuisse primis Pontificibus Romanis, ac Fidelibus & Martyribus Coemeteria, in fundis Corneliae Gentis excavata, ita mihi persuasum est, ut hoc etiam nomine putem, tribui B. Cornelio Papae ab *Anastasio Bibliothecario* in ejus Vita sect. 22., quod reportari curaverit Corpus Apostolorum Principis ad Coemeterium Vaticanum ex Catacumbis Coemeterii Callisti, ubi aliquando jacuerat. Si enim utriusque fundi proprietas, vel ad eundem Cornelium Papam, vel ad agnatos Gentis suae pertineret, poterat is tutius ossa legere Beatissimi Decessoris, & inferre, seu restituere conditorio, cui maluisset. Cum inviolabilis hospitii jura considero, tam sancte a Divino Praeceptore suis Apostolis commendata, dum juberet, ut semel recepti, transire nollent de domo in domum, sed in eadem domo manerent; & expendo officiorum genus omne a primis Fidelibus erga Apostolos exercitum, facultates eorum pedibus oblatas, Cornelium Centurionem iisdem pedibus advolutum, & rogantem cum omnibus domesticis suis, ut apud se Petrus maneret, dum Caesareae versaretur; ac Pudentis Domum, & Vicum Patricium & Corneliorum Romae similiter habi-

INDICULUS TAB.I. SAEC.II.

habitum Apostolorum Hospitium, & Seminarium, ut ita dicam, priorum Pontificum; cum haec, inquam, universa considero, & comparo cum Justini hospitio prope Thermas Novati, hoc est Pudentis, & Corneliorum prope antiquiora Fidelium Coemeteria; temperare vix possum, quin concludam, primitias Gentium, in Cornelio Centurione dedicatas & addictas Vicario Christi Petro excipiendo tum Caesareae, tum Romae, tam sancta Hospitii jura cum ipso, & successoribus ejus contraxisse, ut ne mortui quidem hospitis hanc tesseram hospitalem obliti fuerint.

36. ECCLESIA EX GENTIBUS. Vide supra in Indiculo hujus Tabulae num. *6.* Petrus cum ageret in Oppido Joppe, quod Lidda haud longe aberat (ut docet Hadrianus Relandus *Palaestinae* lib. *3.* pag. *826.* in *Thesauro Antiquit. Sacrar.* edit. Venetae an. *1746.*) apud Simonem Coriarium; ex Caesarea Palaestinae nuncii ad eum venerunt, qui significarent, Cornelium Centurionem, inter Ethnicos quidem natum & incircumcisum, sed qui tamen unum Deum adorabat, vehementer cupere, ut secum una loqueretur de rebus, quae ad aeternam felicitatem spectarent. Petrus a Deo singulari visione commonitus, quid facto ea in re opus esset, Caesaream contendit, quem Cornelius laetabundus excepit. Dum vero eidem Petrus, quae Doctrina Christiana Fidei mysteria complectebatur, explicaret; repleti omnes, qui aderant in domo ejus, Spiritu Sancto fuerunt. Qua re visa, Judaei, qui in Christum crediderant, eoque cum Apostolorum Principe venerant, mirari vehementer coeperunt, quid esset, quod in Gentes etiam Spiritus Sancti gratia sese diffudisset! Petrus itaque caelitus institutus, dixit, nihil impedire, quin ii, qui Divinis carismatibus locupletati fuissent, protinus baptizarentur, ut legitur *Actorum* cap. 10. ver. 44. & sequentibus. Hi primi ex Ethnicis homines fuerunt, quos Apostoli in Palaestina ad Christianam Religionem adduxerunt.

37. Nummus Hadriani a Tripolitanis Syriae seu Phoeniciae percussus, cum epigraphe in antica, ΑΥΤ. ΚΑΙC. ΑΔΡΙΑΝΟC. CEB. *Imperator Caesar Hadrianus Augustus*. Caput Hadriani laureatum: in postica vero, HKY. 428. *Templum, cum figura in medio*. Vide Patinum in Indice pag. 12., & Joannem Harduinum *de Nummis antiquis Populorum & Urbium illustratis* pag. 507. Tripolim ex aequo Tyrii, Sidoniique, & Aradii obtinebant, ut scribit Plinius lib. v. sect. 17; omnesque Aera utebantur Seleucidarum, quae ab anno Urbis Conditae 442. una cum Seleuci Nicanoris Principatu in Syria duxit initium. Inde porro efficias, anno Aerae Seleucidarum 428, signato in nostro Nummo, respondere annum Urbis Conditae 870, Christi vero 117, quo Trajanus Imp. obiit Selinunte in Cilicia IV. Idus Augusti, ut ostendit Nummus a Mediobarbo recitatus pag. 163, in quo legitur, IMP. CAES. NERVAE TRAIANO OPTIMO AVG. GER. DAC. PARTH. TR. P. COS. VI. P. P. S. P. Q. R. OPTIMO PRINCIPI SELINVNTEM, in peristylio portae latae aedificii sphaerici. Qui Nummus ante Trajani Apotheosim, ad indicandum locum, in quo mortalitatem explevit, eusus est. Imperavit ipse annos 19, menses 6, dies 15. Pridie diei mortis ejus, favore Plotinae Augustae uxoris, adoptatus fuit Hadrianus, cum esset Antiochiae Syriae: qui succedens, Natalem Imperii sui celebrari jussit III Idus Augusti. Quoniam vero Nummi Tripolitarum habentur in Syria percussi tam Trajano, quam Hadriano cum eadem Epocha HKY, nempe 428, successionem Hadriani mire comprobant hoc anno Aerae Seleucidarum 428, seu Christi 117. Vide Eminentissimum Cardinalem Norisium *de Epochis Syromacedonum* Differt. I. cap. 2, & Cl. Philippum a Turre in Dissertatione Apologetica de Nummo Anniae Faustinae cap. 3. pag. 34.

38. INSCRIPTIO ANNIAE REGILLAE conjugis Ti. Claudii Attici Herodis, qui Consul fuit una cum C. Bellicio Torquato anno Aerae Chr. Vulg. 143, ut videre licet apud Gruterum pag. 172. num. 10, pag. 301 & 361. num. 1. ac p. 943. num. 1. & apud Ezechielem Spanhemium in libro *Orbis Romani* pag. 491 & sequentibus, ubi nonnulla animadvertit de hoc Herode, ejusque collega Torquato. Philostratus *de Vitis Sophistarum* lib. 2. pag. 545, Herodem relatum fuisse narrat inter bis Consules. Claudius Salmasius hanc Inscriptionem Graeco-Latinam illustravit brevi Commentario an. 1609. De ea Cl. Fabrettus in Libro *Inscriptionum* cap. v. pag. 412. haec scribit: *Notabilior quidem ex hac vetustiori Inscriptione, quae oppositis characteribus in alia extremitate legitur*, REGILLAE *scilicet Herodis Attici uxoris, cujus heic nomen* ANNIAE (nescio an alibi) *habemus*. ANNIA &c. *Unde forsan Herodes*

Vir

Vir Consularis, Statuae in Pago Triopaeo, Via Appia, III. ab Urbe lapide ipsi locatae, aliam Anniae Faustinae Augustae Antonini Pii conjugi (sub quo Herodes A. U. DCCCXCVI. *Consulatum gessit) ob Gentilitatis honorem junxit, ut ostendit celeberrimus ille lapis* LX *linearum, in Hortis Pinciis Burghesiis asservatus, exceptus vero a Sponio Sect.* X. *num.* XII. Bernardus quoque de Montfaucon Vir doctissimus in suo *Diario Italico* cap. 8. p. 125, *Duobus*, inquit, *tribusve hinc annis in Monasterii* (S. Eusebii Via Praenestina) *septis deprehensa fuit columna milliaria, septimum milliare notans. Quae olim Anniae Regillae Herodis Attici Conjugis praediis, metae, aut signi loco fuerat, ut in Inscriptione sequente, quae in ipsa columna Graece Latineque sculpta est, significatur:* ANNIA PHΓΙΛΛΑ &c. *Fuit Herodes Atticus, genere, facultatibus, & arte Sophistica nobilissimus: subque Trajano, & subsequentibus Augustis diu floruit. Is, ut habet Inscriptio apud Sponium* in Miscellan. *Sect.* X. *num.* XII, *in Villa sua Triopaea conjugi Regillae Aedem extruxit; &, ut veri quidem simile est, eadem in Villa, Via Appia, erecta fuit columna istaec ad praedia ipsi attributa. Postea vero Maxentii tempore, inversa columna, ac, qua parte erat Inscriptio Anniae Regillae, defixa in terram, ad* VII. *milliarium significandum deputata fuit, cum Inscriptione sequenti,*

DONINO (*sic*)
NOSTRO
MAXENTIO
PIO. FELICI
INVICTO
AVGVSTO
VII.

Columna autem longa est seu plus minus pedibus. Haec laudatus Montfauconius: quem vide etiam in *Palaeographia Graeca* pag. 140. Extat nunc in Musei Capitolini Cubiculo I. haec Inscriptio, de qua loquimur.

39. Nummus Hadriani percussus a Tripolitis Syriae, seu Phoeniciae, cum epigraphe, ΤΡΙΠΟΛΙΤΩΝ ΗΚΥ. In eo Castor & Pollux insculptus, ut in Ascalonitarum Nummis. Plinius lib. V. sect. 17. *Tripolis* (inquit), *quam Tyrii, & Sidonii, & Aradii obtinent.* Effigies eorundem Castorum visitur etiam in Nummis Neronis, & M. Aurelii, apud Patinum p. 244, & in alio Trajani Nummo, ab iisdem Tripolitis cuso, apud laudatum Patinum p. 187, in cujus parte aversa legitur, ΑΡΑΔΙΩΝ. quo foedus utriusque Gentis intelligitur. Annus ΗΚΥ. notatus in Nummo, de quo agimus, est annus Aerae Selencidarum 428, Urbis Conditae 870. Vide Harduinum *in Nummis Antiquis Populorum & Urbium illustratis* p. 507, & Emin. Norisium, qui, *de Epochis Syromacedonum* Dissert. I. cap. 2. Tom. 2. pag. 102, „ Tripolis (*inquit*) maritima Phoeniciae Urbs; eo nomine, teste Strabone lib. 16, appellata, quod est condita a Tyriis, Sidoniis, & Aradiis, qui mercium causa illic conveniebant. Diodorus Siculus libro 16. ad annum secundum Olympiadis CVII. ait: *Celebris in Phoenicia urbs est Tripolis, consentaneam sibi appellationem habens; tres enim in ipsa urbes continentur, stadii intervallo diremptae. Una Aradiorum, altera Sidoniorum, tertia Tyriorum cognomentum habet. Maximam haec inter omnes Phoeniciae civitates dignitatem obtinet, utpote in qua Phoenicum Senatus convenire, deque rebus maximis consilia tractare solet.* Dario apud Ipsum ab Alexandro priori praelio superato, Graeci Duces transfugae, qui in Persarum castris militabant, Tripolim cum octo millibus militum fugerunt, ibique *sumptis navibus recens in navale subductis* (quibus antea a Lesbo transvecti fuerant), in Cyprum fugerunt, uti narrat Arrianus lib. 2; ac statim Tripolis in Macedonum potestatem venit, Alexandro universam Phoeniciam occupante. Eo vero defuncto, Tripolis cum Phoenicia diutius Ptolemaeis Aegypti Regibus paruit, quousque Antiochus magnus Phoeniciam Ptolemaeo Epiphani abstulit; quam postea, dotis nomine, Cleopatra filia eidem uxore tradita, restituit, ex Josepho libro 12. cap. 3, iterumque eripuit. Ita Tripolis deinceps Seleucidis paruit; donec Antiochi Grypi filiis Syriacum Regnum mutuis contentionibus evertentibus, Dionysius tyrannus Tripolim occupavit: quem postea Pompejus, urbe in potestatem redacta, securi percussit, ex Josepho lib. 14. c. 5. In lib. 2. Machabaeorum, initio cap. 14. dicitur, Demetrium Soterem Antiochi Magni nepotem, cum Roma in Syriam fugisset, *per Portum Tripolis ascendisse ad loca opportuna*, qui Antiocho Eupatori Regnum vitamque abstulit. Tripolitae annum Macedonum, atque Seleucidarum Epocham servabant, ut eorundem Nummi produnt. Extant bina Numismata in Cimeliis Mediceis, ejusdem tamen typi, in quibus Graece ita legitur in antica: *Imperator Cesar Trajanus Hadrianus*; & in aversa parte: ΤΡΙΠΟΛΙΤΩΝ. ΗΚΥ. *Tripolitarum. Anno*

INDICULUS TAB. I. SAEC. II.

INNICULUS Tab.I.Saec.II.

ccccxxviii. Itaque hic Nummus Hadriani ſcalptus fuit anno Tripolitarum ſive Seleucidarum 428, qui exiit per Autumnnm An. Urbis Romae 870, quo Hadrianus die xi. Augusti Imperator ſalntatus fuit; qua die, ut ait Spartianus c. 4, *Natalem Imperii inſtituit celebrandum*. Ex hoc Numiſmate itém oſtenditur a Noriſio, Epocham Seleucidarum a Verno tempore non coepiſſe, ſed ab Autumno; ſiquidem A.U.870. menſe Auguſto adhuc decurrebat annus Selencidarum 428. Rurſus ex eodem Nummo extra dubium ponitur finis Imperii ac vitae Trajani, ac initium Principatus Hadriani. Harduinus pag. 507. hunc Nummum recitat ex ſuo Muſeo, atque ex Patino in Indice; aitque, percuſſum anno *Hadriani II*. Errat. Nam dubio procul annus 428 Tripolitarum, expletus eſt anno primo Imperii Hadriani: immo, cum annus 428 Seleucidarum exitum habuerit circa Octobrem A. U. Romae 870, ille Nummus ante exitum alterius menſis anni primi Imperii ejuſdem Hadriani percuſſus fuit. Eſt in eadem Gaza Medicea alter Nummus Hadriani, cum epigraphe ΑΥΤ. ΚΑΙϹ. ΤΡΑΙΑΝΟϹ ΑΔΡΙΑΝΟϹ, *Imperotor Caeſar Trajanus Hadrianus*: & in poſtica, ΟΡΘΩϹΙΕΩΝ, *Orthoſienſium*; ubi Caſtor ac Pollux haſtati, qui ambo ſuum equum froeno tenent. Hos autem haud novit Triſtanus Tom. 1. pag. 412 in Nummo Trajani. Orthoſias, erat Urbs Phoenicum maritima. Philo, apud Byblum in eadem Phoenice natus, referente Euſebio libro I. de Praeparat. Euang. cap. 7, ex veterum Phoenicum Theologia ait: *His temporibus Dioſcurorum poſteri navigia fabricati, tempeſtatibuſque ad Caſium montem dejecti, Templum ibi condiderunt*. Graeci, Dioſcuros appellabant, quos Latini Caſtorem ac Pollucem dixere. Mons Caſius erat prope Seleuciam. Ita illorum poſteri ad maritima Syriae delati, Dioſcurorum cultum ibidem propagarunt. Polybius lib. 5, Seleuciam deſcribens, laudat ibidem ἀνακεῖον, *Fanum Caſtoris ac Pollucis*. Pacatus in Panegyri ad Theodoſium, *Namque olim*, inquit, *ſeveri credidere majores, Caſtoras geminos, albentibus equis, & ſtellatis apicibus inſignes, pulverem cruoremque Theſſalicum aquis Tiberis abluentes, enuntiaſſe victoriam &c.* quam nempe Paullus Aemilins de Perſeo Rege Macedonum reportaverat: quamque etiam referunt Cicero libro 2. *de Nat. Deorum*, Valerius Maximus lib. 1. cap. 9, ac Plutarchus in Paullo. Ab Apulejo, libro 10, diſcribuntur *Caſtor & Pollux, quorum capita, caſſides orbatae ſtellarum apicibus inſignes, contegebant*, quales omnino in laudato Nummo exhibentur. Duo enim ſidera nautis propitia, Caſtoris ac Pollucis alterna luce fulgentium nomina tulerunt: unde Horatius libro I. Ode 12. ait: *Quorum ſimul alba nautis ſtella refulſit*. Urbes, quae rei maritimae vacabant, Dioſcuros, ſive Caſtorem ac Pollucem, peculiari ſuperſtitione adorabant. Tripolitarum autem navale, & quidem ampliſſimum, fuiſſe, ex laudato libro 2 Arriani intelligimus; qui ſcribit, eductis tot navibus ex Tripolitarum navali, quae octo millibus militum vehendis ſufficerent, *reliquas in navali ſuccenſas*; ne victor Alexander iis uti poſſet. Auctor eſt Ammianus Marcellinus lib. 19, Tertullum Praefectum Urbi *in difficultate annonae Urbis Romae, Oſtiam profectum, atque ibi in Aede Caſtorum ſacrificaſſe*, quo naves frumentariae ſecundo vento Portum ſubirent". Huc uſque Doctiſſ. Noriſius. Abrahamus vero Ortellus, de *Deorum Dearumque capitibus*, lib. 11. apud Gronovium Tom. vii. pag. 282. ſcribit: "Caſtor & Pollux ſub forma duorum fratrum effingebantur, robuſti, formoſi, in capite pilea habentes: hinc *pileati Fratres* Feſto, & Catullo:

A pileatis nova fratribus pila.

Suidas, auctore Aeliano, horum effigies eodem modo ferme deſcribit: Duo enim ſimulacra eorum fuiſſe ait, pari juventute; genas habentes imberbes, forma ſimili, inque humeros chlamydem, & enſes ſub chlamyde habentes, & haſtas erectas, quae per dextram & ſiniſtram extollebantur. Supra caput, flammam igneam habere videbantur, qualem iis, ait Orpheus, apparuiſſe. Apulejus quoque lib. x. Metamorph. caſſides in capite refert geſtaſſe, ſtellarum apicibus inſignes, ut heic vides. Uterque enim in caelo ſtellam habuit; de qua Flaccus lib. 1. *Carm.* Ode iii.

Sic fratres Helenae lucida ſidera.

Vide etiam Philippum Thomaſinum *de Donariis Veterum* cap. x apud Graevium pag. 801, & Cl. Montfauconium *Antiq. Expliq.* Tom. I. Parte II. pag. 300.

40. Inſcriptio Graeca, ODENI &c. Extat Romae in duabus columnis, Via Appia apud Sepulcrum Metellae repertis, atque in hortos Farneſianos translatis. Interpretatio ejus haec eſt: *Nemini fas eſt transmovere ex Triopio, quod eſt ad tertium lapidem in Via Appia, in Herodis agro. Non enim conducet moventi, Teſtis Dea Enodia, ideſt Viarum Praeſes.*

In

In altera vero columnae parte, *& columnae, Cereris & Proserpinae donarium, & Manium Deorum*. Harum columnarum Inscriptionem quidam sic carmine reddidit:

Quae sacrae surgunt Cereri, natueque columnae
Exiguo in Templo, Manibus atque Deis:
Terno ubi dividitur saxo Via nobilis Appi,
Pinguia qua Herodes jugera dives arat:
Has movisse nefas: nec tantum teste carebit
Crimen, quod grave post afferat exitium.
Hoc oculis Dea Persephone non viderit aequis,
Imperio cujus subdita quaeque via est.

Cl. Montfanconius in *Palaeographia Graeca* pag. 140. scribit: „ Inscriptionem alteram (*de qua loquimur hoc num*. 40.) praeferunt columnae nunc Farnesianae, Ionicis literis inscriptae, ab Herode Attico in Villa sua Triopia tertio ab Urbe lapide erectae. Erat enim Villa Triopia multis Inscriptionibus nobilitata, ex quibus non paucae supersunt &c. isthaec est in duabus columnis incisa, cujus excerptum edidit Josephus Scaliger, totamque publicavit Gruterus in Thesauro. Ea vero Ionicis literis, ut Bandelotiana, cum nonnullo tamen discrimine exarata est. Nec audiendus Josephus Scaliger, qui arbitratur, Ionicarum literarum usum ad usque tempus Herodis Attici successione quadam devenisse. Nullum enim earum vestigium reperitur, nisi in marmoribus priscae vetustatis, scilicet ante Alexandrum Magnum positis; licet innumerae in Graecia Inscriptiones extent, & in dies eruantur. Crederem potius, Herodem Atticum Virum doctum, & antiquitatis amantem, qui tempore Trajani, & subsequentium Augustorum diu floruit, curasse, ut, inter alias Inscriptiones in Villa sua Triopia erectas, haec etiam, priscas Ionicas literas referens, columnis incisa emineret. In hac Inscriptione haec praecipue observanda sunt: diphtongus *ου* numquam occurrit: verum pro ea, O tantum ponitur, ut vides in voce OΔENI, pro *οὐδενὶ*, & in sequentibus frequentissime. Pro Δ *Delta*, D Latinum usurpatur: quam formam priscæ vetustatis apud Graecos, ex Phœnicia derivatam esse, idem Montfaucon. ostendit. H, per E semper exprimitur, ut in Baudelotianis marmoribus; ipsumque H, pro aspero spiritu, non pro litera semper usuvenit. Σ, sic exprimitur ɔ, & ad Latinum S accedit: qua de re vide apud eundem p. 132 ad literam Σ. Γ, cum postrema linea decurtata depingitur. Dativus casus in *ῳ*, & *ᾳ*, per EI, & OI exaratur, ut in Baudelotianis marmaribus: similiterque Dativus in *ᾳ*, subscripto I, per AI. Quodque singularius est, *ωτα* compositum cruce designatur hac ratione, ✠ΘΟΝΙΟΝ, pro *ωτα χθονίων*, Inferorum, vel Manium; ubi etiam vides, literam X omitti. Si quid aliud discriminis intersit has inter, & Baudelotianas formas, jam superius observatum est: & in schemate cuique conspiciendum offertur. Enodia, Diana venatrix est Hesychio; Hecate autem aliis. Illa vero, viarum Praeses cum esset, in testimonium vocatur adversus eos, qui statuas, Cereri, Proserpinae, & Diis Manibus, sive Inferis, dicatas loco moverint.

41. Nummus Marci Aurelii, cum epigraphe in antica M. AVR. VERO. CAES. *Caput M. Aurelii sine laurea*: in postica vero, quam heic exhibemus, C.I.F.S. AN. CCIIII. *Colonia Julia Felix Sinope, anno* 204. Typus est Figurae muliebris sine brachiis, in terminum desinentis: in imo, hinc ramus, inde caduceus. Ad Sinopem Ponti Asiatici Urbem Nummus pertinet: illa hunc M. Aurelio adhuc Caesari signasse videtur, in memoriam ipsius adoptionis ab Antonino Pio Hadriani jussu factae, ut narrat Spartianus in Aelii Caesaris Vita: *Post hunc denique Hadrianus diu ancept quid faceret, Antoninum adoptavit, Pium cognomine appellatum: cui conditionem addidit, ut ipse sibi Marcum, & Verum Antoninos adoptaret*. Sinopenses, Hadriani beneficiis fuerunt devincti: ille enim Aquaeductum sub Trajano incoeptum perfecisse videtur; de quo Plinius lib. 10. scribit: *Neque enim dubitandum puto, quin aqua perducenda sit in Coloniam Sinopensem*. Urbs autem illa aqua plurimum indigebat: Plinius quippe eo loco valde sitientem Coloniam eam dicit. Quid figura muliebris illa, telamonum more, sine brachiis repraesentet? dictu foret difficile, sine Taciti auxilio libro 4, qui in Ptolemaei Soteris somnio de arcessendo ex Sinope Jove, seu Sinopite Deo, Dianam seu Proserpinam indicat his verbis: *Timotheus, quaesitis, qui in Pontum meassent, cognoscit in Ponto esse Sinopen, nec procul Templum, vetere inter accolas fama, Jovis Ditis: namque & muliebrem effigiem assistere,*

quam

INDICULUS TAB.I. SAEC.II.

quam plerique Proserpinam vocant. Proserpina, eadem quae Diana. Ptolemaeus autem Legatos, & dona ad Seydrothemidem Sinopensibus Imperantem misit; praecepitque iis, ut Pythium Apollinem adirent, unde Oraculi sors non ambigua, ut ait Tacitus ibidem, *Irent, simulacrumque sui patris reveherent, sororis relinquerent*. Nemo nescit, Apollinis sororem, esse Dianam. Itaque Legati statuam Jovis abstulerunt; & Dianae simulacrum apud Sinopenses mansit, quod illi in hoc Nummo caelarunt: sed Amicus reclamat, quaenam ista Dianae figura? Dianae tres a Cicerone *de Nat. Deor.* commemorantur; inter quas notior est Jovis & Dianae filia, quam vario modo Populi venerati sunt, diversoque modo ejus figuram exhibuerunt: unde diversa illius nomina, quae ad centum & octo recenset Lilius Gyraldus Syntagm. 12. Sinopites nostra, non multum a Diana Ephesia, & Magnesia, quas norunt Antiquarii, differt: sed, si conjicere licet, nomen babet Priapinae, sic apud Plutarchum in Lucullo p. 499. appellatae: *Fama tenet, Dianae Priapinae ira, fuisse tempestatem illam Ponticis immissam, quod Fanum ejus spoliassent, & Signum loco movissent*. Ejus forma sine brachiis, in truncum desinit; qualem videre est in Nummis repraesentantibus Priapum hortorum Praesidem, de quo Horatius in Sermone de ipso,

Olim truncus eram ficulnus, & inutile lignum,
Cum faber incertus scamnum faceretne, Priapum
Maluit esse Deum.

Ejusmodi muliebres figuras ex Vitruvio Caryatides appellabant, a Cary Peloponesi Urbe, in qua Diana Caryatis summa veneratione colebatur. De Æra Urbis in nostro Nummo signata nunc superest dicendum. Sinope, Epocham geminam in Nummis computavit; unam a libertate concessa, alteram a Colonia deducta: posterior, in hoc M. Aurelii Numismate, & in altero Caracallae, exhibetur: antiquiorem vero signat in Nummis Gordiani Pii. Sinope, Ponto post Mithridatis mortem in Provinciam redacto, Romanis subdita fuit: quam Pharnaces, Domitio Calvino Julii Caesaris in Aegypto tunc morantis Legato in Armenia devicto, diripuit, & Pontum, avitum patris regnum, occupavit; de quo Hirtius in Bell. Alex. *Multa oppida expugnavit, bona Civium Romanorum, Ponticorumque diripuit*. Caesar, Sinopes calamitatum misertus, Pharnace fugato, & recepta Provincia, illi dato *Juliae* nomine, Coloniam constituit anno Urbis Conditae 706., cui si addideris annos 204 in Nummo signatos, efficient U.C. 909, quo M. Aurelius, ab Antonino Pio adoptatus, Tribuniciam Potestatem IX, Plautio Silvano & Sentio Augurino Coss., agebat; cum Antoninus Pius XVIII. gereret. Haec ex Vaillantio *de Coloniis* Tom. I. pag. 278. Vide Plinium lib. 6. sect. 11. & Ulpianum *Digest.* titulo 15. *de Censibus*. Primam vero Epocham Sinopensium a libertate concessam, quam vix attigit Vaillantius, illustrat Harduinus *de Nummis antiquis Populorum & Urbium*, p. 456, ubi exhibet Gordiani junioris Nummum, cum epigraphe C.R.I.F.S. AN. CCCVIII. nempe, *Colonia Romana Julia Felix Sinope, anno* CCCVIII, (quam Tristanus parum feliciter ita est interpretatus p. 508, *Gordianus Rom. Imp. Filius Serapidis* &c.) Etenim heic, ut & in Amisenorum Nummis, qui Sinopensibus finitimi sunt, anni concessae libertatis signantur. Itaque coepit hæc prima Aera Sinopensium anno U.C. 684, Cn. Pompejo Magno M. Licinio Crasso Coss., quo anno, Mithridate pulso, Ponticae Urbes Lucullo cesserunt. Ab eo autem anno, trecentesimus & octavus annus occurret ille, quo primum Gordianus solus Imperium iniit, Balbino & Pupieno interemptis, qui Urbis Romae fuit DCCCCLXXXXI. Expugnata inter ceteras a Lucullo Sinope, ut Strabo est auctor lib. 12. pag. 546, aliquanto post, nempe (ut ex Nummis colligimus) sub Julio Caesare, Colonia Romana fuit facta: *nunc Romanorum recepit Coloniam, quae in partem Urbis, agrique venit.*

42. Inscriptiones duae, pertinentes ad annum Aerae Christi Vulgaris 200, quo Consules processerunt Ti. Claudius Severus & C. Aufidius Victorinus. Prima reperta fuit in plumbeo tubo veteris ductus, habetque tantum Nomen, Cognomen, & Agnomen secundi Consulis. Altera, quae, ad statuendam Consularem Chronologiam, est quantivis praetii, legitur apud Gruterum p. CCC. n. 2, & apud Panvinium *in Fastis*. Signatur isthaec anno post Urbem Conditam DCCCCLII ante Palilia, & prodit ex Tabula marmorea Fratrum Arvalium, quae extat Romae prope Capitolium. ALLIVS (Fabricius in *Descript. Urb.* cap. 10. legit, ALTERIVS) COLONIVS, dicitur COOPTATVS IN PALATIO IN AEDE IOVIS PROPVGNATORIS IN LOCVM CL. PATERNI VITA FVNCTI; quoniam dicta Aedes erat intra

intra Palatium Caesarum Augustorum, de quo consulendus liber Francisci Blanchini Patrui mei, inscriptus DEL PALAZZO DE' CESARI, seu, *de Regiis Antiquorum Caesarum Aedibus in Urbe Roma*, quem Italice lucubratum, ego post ejus mortem publici juris feci una cum Latina versione A.D. 1738 sub auspiciis CHRISTIANISSIMI GALLIARUM REGIS LUDOVICI XV. Ejusdem Aedis mentionem invenio & in sequenti Inscriptione apud Gruterum pag. 300. num. 2.

P. MARCIVS . VERVS
IMP. COMMODO . VI.
ET. PETRONIO . SEPTIMIANO . COS.
AN. P. R. C. DCCCCXLI. K. DEC.
IN. PALATIO . IN . AEDE . IOVIS
PROPVGNATORIS
IN . LOCVM . P. VERI
L. ATILIVS . CORNELIANVS
COOPTATVS .

Haec Inscriptio, posita sexto Consulatu M. Aurelii Commodi Imp. Augusti, pertinet ad annum Aerae Christi Vulg. 190. Vide Chronicum. De Aede Jovis Propugnatoris consulendus est Nardinus *Romae Vet.* lib. VI. cap. 14, Choul. *Relig. Veter. Rom.* pag. 52, & Rosinus *Antiq. Rom.* II. 5. Restituendus ergo videtur antiquus semesus lapis, qui extat Vesunae Petrocoriorum, in quo legitur, IOVI PR... PAC. &c. sic, *Jovi Propugnatori pac. &c.* Et ita, pro *propagator*, malim legere apud Apuleium *de Mund.* pag. 753. Prophani Antistites Ethnicarum superstitionum (ut scite animadvertit Patruus meus amantissimus numero 21 Praefationis in Vitas Pontificum Romanorum *Anastasio Bibliothecario* attributas) apud Romanos tanto habebantur in pretio, ut Cooptationes eorum insculperentur Nummis, marmoribus, aris, statim ac erant aliquod Sacerdotium adepti. Omitto Annales Pontificum, eorumque libros linteos, ex quibus Romana Historia originem ducit, ut memorat Marcus Tullius in Libro Secundo *de Oratore*: satis fuerit inspicere tabulas Cooptationum ad Sacerdotia, quae supersunt apud Gruterum, Panvinium, & Fabrettum, descriptas e marmoribus Romanis Primi, Secundi, ac Tertii Aerae Christianae Saeculi. In ipsis enim, praeter notam anni, per Collegia Consulum indicati, est etiam Epocha annorum ab Urbe Condita. Fragmentum dedi ex marmore Capitolino n. 10 *Indiculi* hujus Tabulae. Alios vero antiquos lapides vide apud memoratum Gruterum pag. ccc. & alios. Cooptationes Fratrum Arvalium (ut ad nostram Inscriptionem redeamus, de qua agitur hoc num. 42.) fiebant solummodo vita functo aliquo illius Collegii Sacerdote; eaeque non solum certa die, atque anno per Consules indicato, sed etiam Aera post Urbem Conditam, marmoribus consignabantur, ad decus, ac tutamentum Romanae Chronologiae. Gellius lib. VI. cap. 7. de Fratribus Arvalibus scribit: *Acca Larentia Romuli fuit nutrix. Ea mulier ex duodecim filiis maribus unum morte amisit. In illius locum Romulus Accae Larentiae sese filium dedit: seque, & ceteros ejus filios Fratres Arvales appellavit. Ex eo tempore Collegium mansit Fratrum Arvalium numero XII. Cujus Sacerdotii insigne est spicea corona, & albae infulae.* Et Plinius lib. 18. cap. 2. *Arvorum Sacerdotes Romulus in primis instituit, seque duodecimum fratrem appellavit inter illos; ab Acca Larentia nutrice sua, spicea corona, quae vitta alba colligeretur, in Sacerdotio, ei pro religiosissimo insigni data, quae prima apud Romanos fuit corona*: HONOSQUE IS NONNISI VITA FINITVR, *& exules etiam, captosque comitatur.*

43. Catalogus Pontificum Romanorum ab anno Aerae Christi Vulgaris 151, usque ad 200, cum annis Olympiadum, & Urbis Conditae juxta calculum Varronianum. Quemadmodum apud Ethnicos solemne erat signare in Fastis Collegiorum Sacerdotalium (ne dum in libris Pontificalibus) Cooptationes novorum Sacerdotum, & electiones Pontificum minorum, & Maximorum, cum nota diei, & anni Romae Fundationis; ita apud cultores veri Dei vel ab ipso Mosaicae Legis exordio fuit literis consignatus annus & dies erectionis Tabernaculi, atque consecrationis Aaronis primi Pontificis Summi, ejusque obitus dies, mensis, & annus. Quare Majores nostri eum animadverterent ante Aerae Chr. Vulg. exortum, Epocham Sacerdotii Summi Euangelicae Legis antiquitus relatam in Fastos, inscriptamque vetustioribus Kalendariis, atque Catalogis Pontificum Romanorum; censuerunt horum seriem non minori cura esse ab ipsis, annis Olympiadum, & Urbis Conditae, atque Aera Christi Vulgari consignandam; ut ita exactius ipsa responderet Scriptoribus illorum temporum, cum quibus Catalogi, dyptica, & Vitae erant diligentissime comparandae; utque ab exordio Sacerdotii novi Foederis, annus Natalis Cathedrae in singulis Petri

INDICULUS TAB. I. SAEC. II.

Successoribus immobilis haberetur. Vide numerum 13. hujus Tab., & ad singulos Pontifices Summos confer nostram Chronologiam.

44. Figlina Consularis obsignata Consulibus Nigro & Camerino, qui creati fuerunt Anno Aerae Christi Vulg. 138. Consentiunt Fasti Idatiani, Vindobonenses, & Prosperi Chronicon. Eorum Nomina, & Agnomina adhuc ignorantur. Perperam Cognomen *Magni* dat senior Pagius *Nigro*.

45. Laterculus Consularis pertinens ad ann. Aerae Chr. Vulg. 148, quo Consules processerunt L... Torquatus III. & C... Julianus Vetus. Eosdem Coss. ferunt Lapides, & figlinae relatae in nostro Chronico: itemque Fasti Idatiani, ac Vindobonenses, Prosperi Chronicon, & Cassiodorius. Pagius, & Georgius in Notis ad ejus Criticam legunt, *Torquatus II.* sed absque prolatis tabulis, quae hujusmodi lectioni Consulatus *Secundi* fidem adstruant.

46. Figlina signata Consulibus *Commodo* & *Laterano*, nempe anno Aerae Christi Vulgaris 154. Aliae quoque Inscriptiones apud Fabrettum, Sponium, & Relandum, itemque Fasti Idatiani, Vindobonenses, & Prosperi Chronicon, habent ad eundem annum, COMMODO ET LATERANO COS. omissis Nomine, & Agnomine, ac tantum Cognomine retento. Idem cernitur & in quadam Tabula marmorea praelonga, fera vetustate detrita, in qua leguntur nomina Praetorianorum militum ex variis Coloniis, & Municipiis Italicis. Extat Romae in Aedibus felicis recordationis Marchionis Gregorii Alexandri Capponii. *Commodum*, eundem esse ac *Verum* (qui cum Antonino saepe in Pandectarum libris conjungitur), docet ad dictum annum 154 *in Fastis* Relandus.

47. Laterculus pertinens ad annum Aerae Chr. Vulg. 159, Consulibus *Quintillo* & *Prisco*. Consentiunt eodem anno Fasti minores Florentini, Chronicon Alexandrinum, Cassiodorius, Idatius, Prosper, & Anonymus Norisianus. *Quintilius* ne, an *Quintillus* sit legendum, diximus in Chronico.

48. Figlina signata IMP. ANTONIN. ET VERO COS. nempe M. Aurelio Antonino Aug. III. & L. Aurelio Vero II, qui Consules processeruut anno Aerae Chr. Vulg. 161. Cusa est dubio procul post obitum Antonini Pii, qui eodem anno decessit Nonis Martii: nam M. Aurelius Antonini Pii successor, Tribunicia Potestate 15. inita ad diem v. Kal. Martii, solum post diem septimam ejusdem mensis (Antonini Pii emortualem) L. Verum assumpsit Collegam Imperii, & paullo post Generum destinavit. En ergo cur in nostro laterculo (ad eundem annum 161. Aerae Chr. Vulg. pertinente) legatur, IMP. videlicet *Imperantibus*, ut & in Fastis Consularibus ab Emin. Card. Norisio publicatis, in quibus Collegium Consulum dicti anni ita exhibetur: *duobus Augustis*. Scilicet, post obitum Antonini Pii, uterque Caesar Augustus fuit appellatus, ac insimul imperavit; tumque Collegium illius anni, *duorum Augustorum Consulatus* dici coepit, ex Nonis Martii. Kalendis Januariis (quibus Consules Ordinarii procedunt) anni Aerae Chr. Vulg. 161, adhuc vivente Antonino Pio, Consulatum inierant M. Aurelius Verus Antoninus, & L. Aelius Verus (qui, quoniam adoptati fuerant ab Antonino Pio, in Fastis, ejusdem Imperatoris Filii, Fratresque invicem appellantur): sed tamen solus M. Aurelius tunc Caesar appellabatur, atque una cum Antonino Pio Orbis Romani habenas moderabatur. L. Verus Caesar non fuit, antequam una cum Marco Aurelio imperaret; ut constat ex antiquis lapidibus, & Nummis. Vide Pagium ad eundem annum numeris 1. & 4. Cum ergo *Aera duorum Augustorum* ordiatur ex Nonis Martii anni 161, nemo miretur, in Inscriptione Puteolis eruta anno Dom. 1703, &, post Cl. Vignolium (*in Selectis Inscriptionibus &c. & de Columna Antonini*) a me vulgata in Chronico, M. Aurelium, & Lucium Verum *Augustos* dici; cum illud marmor insculptum fuerit post obitum Antonini Pii, uti etiam aliud inter Antii rudera effossum an. Domini 1733, atque editum a Doctissimo Viro Antonio Maria Lupo Societatis Jesu in egregia Dissertatione *ad Epitaphium Sanctae Severae Martyris* pag. 19, quod sic habet:

....
....
PARTICI. PRONEPOT.
DIVI. NERVAE. ABNEPOTI
L. AVRELIO. VERO. AVG.
TRIBVNIC. POTEST. COS. II.

49. Figlina signata, *M. Pompejo Macrino* & *P. Juventio Celso*, qui Consules processerunt anno Aerae Christi Vulgaris 164. Emin. Norisius *in Epist. Consul.* ad hunc annum, postquam Panvinii errores de horum Consulum Nominibus ex vetustis marmoribus prave excerptis detexit, *Macrini* & *Celsi* Cognomina retinenda esse monuit, quousque eorum Familiae ex certis eruditae antiquitatis

tatis monimentis detegerentur. Bono tamen fato Figlina, de qua loquimur, & aliae a Fabretto vulgatae, itemque lapides relati a nobis in Chronico, horum Familias produnt, atque demonstrant. Fasti Idatiani, & ceteri, tantum habent, *Macrino & Celso*. Vide Dominicum Georgium in Notis ad Pagium, & Patrem Stampam *in Continuatione Fastorum* Doctissimi Sigonii.

50. Figlina, in qua leguntur Consales *Lucius Verus Aug. III. & Quadratus*, creati anno Aerae Christi 167. Consentiunt ad eundem annum Idatius, Anonymus Norisianus, Fasti Florentini, Prosper, & Cassiodorus. Panvinius *Quadrato*, addit Nomen & Agnomen *T. Numidii*; sed absque veterum Inscriptionum testimonio. Ejus sententiae adhaerent Petavius, Mediobarbus, & Almelovenius; in quam tamen nos pedibus ire non possumus. Museum Theupolum p. 535, & 536 Nummum exhibet Lucii Veri, cum epigraphe in antica, L. VERVS. AVG. ARM. PARTH. MAG. & in postica, TRIB. POT. VII. IMP. IIII. COS. III. Fasti quoque Idatiani, & Vindobonenses habent, *Vero III. & Quadrato*. Mendose legitur *Veri III.* in Prosperi Chronico. Lucius Verus, dicitur Consul designatus III in quodam lapide fere detrito, quem edidit Vir Doctissimus meique amantissimus Antonius Franciscus Gorius Praepositus Baptisterii Florentini, Parte I. pag. 310. num. 51 *Antiquarum Inscriptionum Etrurine*.

51. Laterculus signatus *Commodo Augusto VII. & Helvio Pertinace II. Consulibus*, nempe anno Aerae Christi Vulgaris 192. Mediobarbus in Commodo pag. 257. hujus Imperatoris Nummum profert, in postica inscriptum, VOT. XX. P. M. TR. P. IMP. VIII. COS. VII. S. C. Deest annus Tribuniciae Potestatis; sed Consulatus VII. pertinet ad hunc annum 192. ut comprobat alius Nummus Musei Theupoli pag. 550, in cujus antica legitur, L. AELIVS AVREL. COMM. AVG. P. FEL. in postica vero, P. M. TR. POT. XVII. IMP. VIII. COS. VII. Vide etiam in eodem Museo pag. 559 Nummum Pertinacis, cum epigraphe IMP. CAES. P. HELVIVS. PERTINAX AVG. in cujus postica habetur, LIB. AVG. TR. P. COS. II. Item confer ibidem alium Nummum p. 560, ubi retrorsus, VOT. DECEN. TR. P. COS. II.

52. Inscriptio Christiana, eruta ex Coemeterio Lucinae Via Ostiensi, quam edidit Vir Cl. Boldettus lib. 1. cap. 19. pag. 79. n. 2. In ea *Issic. Varis Conjux Innocentii, quae cum eo vixit bene ann. x. dies* XII, dicitur *exisse de saeculo Idibus Augusti, Gallicano Consule*, nempe, ut videtur, anno Aerae Christi Vulgaris 127, Hadriani Imperatoris undecimo, quo Consules processerunt *Gallicanus & Titianus*. Vide ad eundem annum Dominici Georgii Notas in Criticam Pagii, & nostrum Chronicum. Non negaverim tamen, etiam ad annum Christi 150 posse sepulcralem hunc lapidem pertinere, imperante Antonino Pio, cum eo anno Consules fuerint *Gallicanus & Vetus*. Censorinus *de die Natali* cap. 17. *Saeculum* (inquit), *est spatium vitae humanae, partu, & morte definitum*. In libris Novi Testamenti (ex quibus vocabulum *Saeculi* frequentissime usurpabatur a Christifidelibus primitivis) *Saeculum*, Mundum sonat, ac vitam. *Sollicitudo Saeculi* legitur Matthaei XIII. 22: *filii Saeculi* Lucae XVI. 8: *Consummatio Saeculi* Matthaei XI. 49: *Sapientia Saeculi &c., Principes Saeculi &c., Nolite conformari huic Saeculo* in dictis Libris occurrit passim.

INDICULUS TAB. I. SAEC. II.

53. Elenchus rerum gestarum ab Imperatoribus Antonino Pio, M. Aurelio, Lucio Vero, Commodo, Pertinace, Didio Severo Juliano, Pescennio Nigro, Clodio Albino, Septimio Severo, & Antonino Caracalla, ab anno Aerae Christi Vulgaris 151, usque ad 200, ex Nummis, antiquis lapidibus, Scriptoribusque coaevis, aut fere coaevis excerptus, ad robur hujus nostrae Demonstrationis Historiae Ecclesiasticae Quadripartitae, comprobatae monumentis pertinentibus ad fidem Temporum, & Gestorum. Quinquaginta numeri Arabici in margine hujus laterculi positi, ordinant & complectuntur totidem Gesta patrata secundo Quinquagenario Saeculi Secundi Aerae Jesu Christi Vulgaris; non autem semper numerare possunt dividua tempora dicti Quinquagenarii, & adamussim respondere singulos, singulis annis ejusdem Saeculi Secundi exactis ad Aeram Christi Vulgarem; ut jam monuimus supra in Indiculo hujus Tabulae numero 2.

54. *Inscriptio Christiana*, quam Petrus & Pancara posuerunt celeberrimae Christi Martyri Felicitati. Hic lapis, effossus Romae ex Coemeterio Cyriacae, egregius est ad confirmandam vetustatem nostri Catholici Dodmatis de intercessione Sanctorum. Editus fuit a Boldetto in Opere de Coemeteriis pag. 431, & a Ludovico Muratorio in No-

INDICULUS TAB.I.SAEC.II.

vo Thesauro Veterum Inscriptionum p. 1925. num. 2. Item a Doctissimo Viro Francisco Commendatore Victorio *in Dissertatione Philologica, qua nonnulla monimenta sacrae vetustatis ex Domestico Museo deprompta, vulgat, expendit, ac illustrat*, pag. 74.

55. Inscriptio Felicis Faustiniani, qui sibi, uxorique suae Felicitati, & Felici Fossori emit sepulturae locum sub tegulis, sive sub grundis, Basilicae in Balbinis. In Vita S. Marci Papae legitur apud *Anastasium Bibliotb.* Tom. 1. pag. 54. *Hujus suggestione obtulit Constantinus Augustus Basilicae, quam Coemeterium constituit Via Ardeatina, fundum rosarum*: quae verba, uti Aringhius animadvertit sunt referenda ad Coemeterium S. Balbinae, atque ad Basilicam, quae, ex illius Sacro corpore, in Balbinis dicebatur. Cl. Muratorius *in Novo Thes. Veterum Inscript.* pag. 1970. num. 2. putat, Faustinianum emisse sibi locum, de quo supra, a Felice Fossore.

I N D I C U L U S

TABULAE SECUNDAE SAECULI SECUNDI

SIGNATAE B. 3. B. 4. B. 5. B. 6.

1. A*Dam poeniteat, Abel innocens, Noe justus, Abraham fidelis, Isaac obediens, Jacob benedictus, Job rectus simplex ac timens Deum, Divina Foedera, ac Fidem verbo & exemplo Posteris tradant Caelestis Disciplinae magistri*. Ab initio creaturae conditae, usque ad Moysen, Verbum Dei viva voce illatum est Mundo, ac tantum orali traditione custoditum, & transfusum de animis in animos per multas generationes, absque ulla Scriptura. Fuit enim tum temporis seminatum per os Domini ad Adam, ad Evam, ad Abel, ad Enoch, qui ambulavit cum Deo, ad Noe, ad Abraham, Isaac, & Jacob, prout affirmat Moyses per totum librum Geneseos. Omnia pariter, quae sunt in Pentateucho (hoc est in quinque libris Moysi) locutus est Dominus, veluti ore ad os, ad famulum suum Moysen, citra scripturam, excepto sermone decem verborum, quem Decalogum dicimus. Hunc namque tradidit Deus scriptum in duabus tabulis, manibus suis confectis: quas cum confregisset Moyses zelo Domini commotus; secundo inscripsit Deus digito suo eundem Decalogum in aliis lapideis tabulis confectis a Moyse, ut legitur *Exodi 32, & Deuteronomii 9.* Eorum ergo, quae docuit Deus Adam, nihil scripto illatum fuerat Mundo, nihil etiam infertum auribus filiorum Israhel per scripturam, praeter unum Decalogum; donec Moyses mandatum acciperet a Deo scribendi singula in uno volumine, quod & dedicare oportebat sanguine; ad testificandum cruentum illud Sacrificium Jesu Christi Filii Dei vivi Salvatoris nostri, qui toto vitae suae tempore nihil scripsit, nisi digito suo in terram, nihilque mandavit sub ipso Religionis exordio Apostolis suis ut scriberent; sed ut, euntes in Mundum universum, praedicarent Evangelium omni creaturae; malens insculpta esse mentibus credentium, quam materialibus chartis, sancta Dei Mysteria; quoniam litera scripta ut manet, tamen nihil prodest, nisi ad penetralia transeat cordis. Item, si tempus & ordinem Evangelii literis exarati animadvertamus, invenienius sola Traditione citra omnem scripturam, viguisse in Ecclesia Doctrinam Evangelicam per multos annos a Christo passo, usque ad Matthaeum, qui primus inter Discipulos Domini scripsit Evangelium suum, ut tradunt Irenaeus lib. 3. *adversus Valentianum*, Hieronymus *in Prologo super Evangelia*, & *in libro de Viris Illustribus*, aliique Patres, quos recitant Divinarum Scripturarum Commentatores. Visitur Adam poenitens in hac Tabula numero 14, Abel innocens numero 15, Noe justus numero 16, Abraham fidelis, & Isaac obediens numero 17, Jacob benedictus numero 18, demum Job rectus simplex ac timens Deum numero 19.

2. MOYSES ELEVATIS MANIBUS ORANS, *ex Musivo Sixti III. in parietinis Basilicae Liberianae S. Mariae Majoris, quae dicitur ad Praesepe*. Exodi cap. 17. legitur: *Dixitque Moyses ad Josue: elige viros, & egressus pugna contra Amalech: cras ego stabo*

stabo IN VERTICE COLLIS, *habens virgam Dei in manu mea. Fecit Josue, ut locutus erat Moyses, & pugnavit contra Amalech.* MOYSES AUTEM ET AARON ET HUR ASCENDERUNT *super verticem collis. Cumque* LEVARET MOYSES MANUS, *vincebat Israel.* Ascendit Moyses in superiorem illius montis partem, ad cujus radices Israelitae fuerant castrametati. Ipsi vero erant in Raphidim, prope montem Horeb. Itaque montis hujus cacumen conscendit Moyses, ut inde utrumque exercitum intueretur; ac virgae ope, quam elatam gestabat, auxilium ferret Populo suo. Moyses, qui extollit manus in caelum, & orans Israelitis victoriam promeretur, fuit Figura Christi pendentis de Cruce, qui pro nobis, de forti Armato qui occupabat atrium, elevatus in Ligno triumphavit. Praeclarissimum hoc facinus Moyses in spiritu precibus prosequebatur. Vide S. Justinum *in Dialogo cum Tryphone*, S. Irenaeum lib. 4. *adversus Haereses*, Tertullianum lib. 5. cap. 18. *contra Marcionem*, S. Gregorium Nazianzenum *Orat. ad Patrem, & Apolog. I*, S. Hieronymum *in Oseae* cap. 12, & S. Augustinum Serm. 352 *de Tempore* novae edit. item libro 12 *contra Faustum* cap. 30, & lib. 4. *de Trinitate* cap. 15, & ex recentioribus Huetium *Demonstrationis Evang.* Propositione IX. num. XI. p. 625. Elevare, vel extendere manus, in Scripturis Sacris actus orantis est, ut alibi diximus.

3. VETERES AUCTORES SACRI, de quibus scripsimus supra in Libro Historico hujus nostrae Demonstrationis Historiae Ecclesiasticae Quadripartitae cap. 3. p. CLXXVI. & sequentibus, agentes *de Canone Divinarum Scripturarum ab Ecclesia recepto ante, & post Christum natum.*

4. SOL A JOSUE STARE JUSSUS, ex Musivo Sixti PP. III. quod extat in Basilica Liberiana. Vide Dissertationem Natalis Alexandri (in Hist. Vet. Test.), *de admirabili statione Solis, imperante Josue*: & aliam Augustini Calmet, cui fecit titulum, *de mandato Josue, quo Solem & Lunam remoratus est*, praefixam Commentario Literali in Librum ejusdem Josue. Confer etiam Cl. Ciampinium Tom. I. *Veterum Monim.* Tab. 63. fig. 2. pag. 223.

5. DAVID FUNDITOR, aeneis figuris impressus ab Aringhio *Romae Subterraneae* Tom. I. pag. 547. num. 3 ex Tabula I. Cubiculi tertii Coemeterii S. Callisti Papae & aliorum Sanctorum Martyrum, Via Appia, & Ardeatina. Visitur in fornicis gyro ejusdem Cubiculi haec Davidis, cum funda & lapide in certamen adversus Gigantem Goliath prosilientis, historia. Majores vero nostri ita Davidis imaginem sibi proponebant, quod ille Christi Figura esset, qui singulari adversus Goliathum certamine Populum jugo Philistaeorum exemit, perinde ut Jesus, expugnato Diaboli imperio, Humanum genus in libertatem filiorum Dei restituit. Funda etiam instructum, paratumque ad pugnandum, Davidem Veteres in Arenariis exhibuerunt; ut ejus exemplo ostenderent, Christianos, quos Ethnici insectabantur, fide in Christum (qui est Petra) munitos, paratosque ad certandum esse oportere; quo, superato hoste Generis humani, quem a Goliatho Gigante indicari norant, victores in Caelestem Patriam ingredi possent. Vide laudatum Aringhium libro V. cap. 17. p. 489. & seqq., Huetium *Demonstrationis Evangelicae* Propositione 9. cap. 170. pag. 627. num. 17, Ciampinium *Veterum Monimentorum* Tomo II. pag. 5. Tab. 2, & P. Mamachium *Originum & Antiquitatum Christianarum* Tomo III. pag. 42. num. 13.

6. VETERES AUCTORES SACRI, de quibus egimus abundanter in Libro Historico. Vide supra numero 3. hujus Tabulae.

7. MENSA, TUBAE, ET CANDELABRUM TEMPLI HIEROSOLYMITANI, ex Arcu Titi. Confer, quae scripsimus de hoc argumento n. 172 Tab. III. Saec. I. hujus *Demonstrationis Historiae Ecclesiasticae Quadripartitae*. Candelabrum, quod Deus poni contra Mensam *in latere tabernaculi meridiano* praeceperat, frequenter in lapidibus sepulcralibus, atque in lucernis, & pictis tabulis fingere, exprimereque Majores nostri solebant: cujus quidem rei, ut cetera omittam, haec quoque in causa fuerunt: Primo, ut Christum, qui nos lumine suae doctrinae caelestis illustrat, significarent. Clemens Alexandrinus libro V. *Stromateon* pag. 563. edit. Paris. 1641. inquit: *habet aliud quoque aenigma, auream Candelabrum, signi Christi, non figura sola, sed eo etiam, quod lucem immittit multifariam, multisque modis in eos, qui in ipsum credunt*: Secundo, ut Christi Ecclesias exprimerent. S. Cyprianus *adversus Judaeos* pag. 27. edit. Oxoniensis: *Sterilis*, inquit, *septem peperit, & quae plurimos habebat filios, infirmata est. Filii autem, sunt Ecclesiae septem. Unde & Paulus septem Ecclesiis scripsit; & Apocalypsis Ecclesias septem ponit, ut ser-*

INDICULUS Tab.II. Saec.II

servetur septenarius numerus : ut dies septem, quibus Deus Mundum fecit .... & Lucernae septiformes in Tabernaculo . Confer etiam quae invictissimus Martyr paullo ante ibidem disputat de Ecclesia. Ciampinius *Monim. Vet.* Tom. II. pag. 59. in expositione Musivi operis Ecclesiae SS. Cosmae & Damiani, Via Sacra, a Felice III. Pontifice Max. anno 530 in honorem eorundem Sanctorum dicatae, de Candelabris ibi expressis haec scribit : „ Per septem vero Candelabra in hoc Musivo opere appicta, septem illa candelabra in cap. 1. num. 12 *Apocalypsis* enunciata, indicantur , ubi sic : *& conversus vidi septem Candelabra aurea* : Qualis autem istorum candelabrorum sit mysticus sensus, sic eumdem explanat Ambrosius Ansbertus in eodem Apocalypsis loco, ubi haec : *Et quid per septem candelabra aurea, nisi apertissime ipsa septiformis Ecclesia designatur, in cujus medio, similis filio hominis apparuisse describitur; Dominus videlicet Jesus Christus, qui natus ex Virgine, saepe se ipsum filium hominis vocavit &c.* & infra : *recte quoque septiformis Ecclesia, in septem aureis designatur Candelabris, in quibus, & septiformis Spiritus Sancti operatio per numerum, & aeternae Sapientiae claritas per aurum figuratur. Non solum autem, sed etiam effectus Candelabrorum, longanimitatem Ecclesiae, inter Mundi pressuras demonstrare videtur. Sicut itaque aurum per ignem probatum, percussionibus productum, candelabrum efficitur; sic Sanctorum Ecclesia igne tribulationis ad purum excocta, tentationum ictibus in longanimitatem extenta consumatur* „. Item in Coemeterio, quod noster Aringhius Sanctorum Quarti, & Quinti putat, repertus est lapis, in quo Lazari sepulcrum, & Mosaicae Legis Candelabrum, sed paulo discrepante figura ab eo, quod est in Arcu Triumphali Titi. Plura vide apud eundem Aringhium Tom.2. *Rom. Subter.* p.19, Gruterum p.1058, Reinesium Ep.211. num.300. p.359, Fabrettum *Inscript.* cap. 5. p. 389, Bonarrotium Tab. II. fig. I Operis saepe laudati *de vitreis fragmentis &c.*, Boldettum pag. 527 *Osservazioni sopra i Cimiterj &c.*, Petrum Sanctem Bartolum *de antiquis lucernis* a Petro Bellorio *illustratis* Par.III. fig.32, P.Lupium *Monum. S. Severae* pag. 177, Bottarium *Sculture e Pitture sacre estratte dai Cimiterj di Roma* in Praefatione ad Tom. II. pag. VIII. & seq., P.Mamachium Tom.III. *Originum & Antiquit. Christianar.* Tom.III. p.38.39.& 40, & insigne Museum Victorium a Francisco Victorio Commendatore illustratum.

8.) DANIEL ORANS INTER LEO-
9.) NES , ET REFECTUS A PROPHETA HABACUC, ex Sarcophago marmoreo in Coemeterio Lucinae effosso. Danielem in lacu leonum consistentem, extensisque brachiis orantem, cur nostri Majores fingerent in monumentis Coemeterialibus, multae, eaeque gravissimae, causae postulabant, ut diximus in Indiculo hujus nostrae *Demonstrationis Historiae Ecclesiasticae Quadripartitae* Tab. I. Saeculi II. num. 29. Vide & alios Sarcophagos, in Arenariis suburbanis repertos, cum eadem Danielis imagine, apud Aringhium Tom. I. ac II. in locis insimul allegatis eodem num.29. Item confer Picturas Coemeteriales, apud eundem Tom.I. p.543. 545.547.567.571. & Tom.II. pag.65.101.& 105; necnon & illam laminam aeream Musei Vaticani, quae pariter exhibet Danielem inter leones orantem, cui Habacuc Propheta dextera manu cophinum panibus plenum porrigit. Nam, quod apud Clarissimum Bottarium, Tom.II. pag.26 Operis inscripti, *Sculture e Pitture sacre estratte da' Cimiterj di Roma*, Habacuc sinistra manu cophinum tenere videatur, error illius fuit, qui ligno figuram incidit; ut scite animadvertit Mamachius, *Originum & Antiquitatum Christianarum* To.III. lib.3.pag.44, qui eamdem Danielis Figuram exhibet Tom.I.pag.185, ad calcem libri Primi earundem *Originum &c.* Doctissimus Huetius *Demonstrationis Euangelicae* Propositione IV, pag. 231. num. 15. ad probandam Libri Prophetiae Danielis γνησιότητα & antiquitatem, quarto adversariorum occurrit argumento, petito ex Habacuco discophoro, qui Danieli coaevus ponitur, & vaticinia tamen edidisse fertur in Seder Olam temporibus Manassis. Inquiebant enim Adversarii: si rationem ineamus temporum, Habacuc annos vixerit circiter centum & quinquaginta, juxta Eusebianos [illegible] : minimum certe annos plusquam centum & triginta; cum mortuus fingatur biennio ante dimissos Israelitas, quod vix credibile est. At ea nos (reponit Huetius) facile solvimus, geminum Habacucum fuisse statuentes; priorem Prophetam, Manassis coaetaneum, cujus Vaticinia supersunt ad hanc diem; alterum, Prophetam quoque, qui escam ad Danielem deferre jussus est. Hunc fuisse de Tribu Levi, ostendit Lemma Historiae Beli & Draconis praefixum in Editione

ne LXX Interpretum, quod exhibet Hieronymus in Prooemio Commentariorum Danielis. Ille vero, e Symeonis Tribu oriundus fuit. Vide eundem Huetium de Habacuci aetate fusius disputantem pag. 246, num. 2. & seqq. Edit. Parisien. 1679, ubi asseverantius etiam dicit, geminum fuisse Habacucum, alterum Danielis obsonatorem, alterum vero Manassis coaevum, & relatum inter XII. Prophetas Minores.

10. VETERES AUCTORES SACRI. Vide supra numero 3. Tabulae II. Saeculi Secundi hujus nostrae *Demonstrationis Historiae Ecclesiasticae Quadripartitae*.

11. DOMINUS JESUS A JOANNE BAPTIZATUS, ex veteri Pictura Cubiculi II, in Coemeterio Pontiani Via Portuensi reperta, quam exhibet Aringhius *Romae Subterraneae* Tom. I. pag. 381. & Tom. II. pag. 527. Consule nostrum Indiculum Tabulae II. Saeculi I. numero 8., & Cl. Ciampinum Tomo I. *Veterum Monimentorum* capite 25. pag. 235, qui agens de Ecclesia S. Joannis in Fonte, in Civitate Ravennatensi a Neone ejusdem Civitatis Episcopo anno 451 Musivo opere ornata, ibidem Tab. LXX. exhibet imaginem Sancti Joannis Baptistae, pallio violacei coloris amicti, ac ad ripam fluminis stantis, tenentisque sinistra oblongam Crucem, dextera vero concham, seu quidpiam aliud, unde in caput Christi Domini, in flumine ad umbilicum usque immersi, aqua profunditur. Supra Christi Domini caput diademate insignitum, sub specie columbae, visitur Spiritus Sanctus. Et Tom. II. pag. 78. ejusdem Operis, agens de Musivis operibus alterius Ecclesiae Ravennatensis S. Mariae in Cosmedin, anno 553. constructae, haec de testudine, ad crateris formam elaborata, literis consignavit: „ In hujus crateris centro stat Christus Salvator noster, in medio Jordanis flumine, umbilico tenus immersus; ad sinistram, veluti in rupe eminet B. Joannes Baptista, pelle Cameli circumdatus; sinistra cambucam, dextera pateram aqua plenam detinens, quam supra Salvatoris caput effundit: supra quod columba, Spiritus Sancti symbolum, alas expandit, radiosque gratiae immittit,„ De hujusmodi per aspersionem, & immersionem Baptismi mysterio agit idem Cl. Auctor eod. Tom. II. c. IV. agens *de Sacris Fontibus Baptismalibus*. Tertullianus ferum natalem haereseos Marcionis contra Evangelica Dogmata perstringens, libro primo cap. 19. adversus eundem Marcionem haec ait: *Anno xv. Tiberii Caesaris Jesus de Caelo manare dignatus est Spiritus salutaris. Marcionis salutis, qui ita voluit, quoto quidem anno Antonini Majoris, de Ponto suo exalaverit aura canicularis, non curavi investigare, de quo tamen constat, Antoninianus haereticus est, sub Pio impius. A Tiberio autem, usque ad Antoninum anni fere cxv, & dimidium anni, cum dimidio mensis: tantumdem temporis ponunt inter Christum & Marcionem.* Ex hoc autem documento haberi posse autumat Franciscus Blanchinus Patruus meus satis constabilitam suam Chronologiam. Numeratio enim annorum cxv (ut scribit in notis Chronologicis Anastasianis ad Vitam S. Hygini Papae Sect. x. pag. 107.) ab anno Tiberii xv, ad initium Antonini Pii, adhibebatur a Tertulliano, ad ostendendam seram originem Pseudo-Euangelii Marcionis, exhalantis de Ponto suam auram canicularem post annos totidem, ex quo de Caelo manaverat Spiritus ille salutaris, qui in baptismate Christi Domini signaverat initium ejusdem praedicationis & manifestationis anno xv. Tiberii, teste Luca Euangelista. Hunc annum pariari cum 25 Aerae Christi Communis, ex nostra Chronologia manifestum est; cum annus Passionis Dominicae *duobus Geminis Coss.*, triennio solido posterior baptismo Christi, inciderit in eum, quem Vulg. Aerae numeramus 28, REDEMPTORIS vero nostri 33; quoniam quinquennio ante Communem Computum ejus Natalis est collocandus, uti consentiunt hodie eruditi, ex quo praesertim Em. Card. Norisius exposuit Nummum Herodis Tetrarchae in Museo Rigordiano asservatum Massiliae; & Proconsulare Imperium Tiberii numerandum esse demonstravit triennio ante quam Augusto decedenti succederet, nempe anno Aerae Chr. Com. tertio decimo. Imperium igitur Proconsulare Tiberii ex decimo Aerae Vulg. anno inchoandum (triennio nempe ante quam Augustus vita excederet) decimumquintum pariavit cum Aerae Christianae 25. Inde autem si numerentur anni cxv, a Tertulliano recensiti, ex xv. Tiberii, ad Antoninum Pium, inclusis extremis, provenit annus Aerae Christi Communis 139, quo inchoante Kalendis Januarii numerabat Antoninus cognomento Pius Imperii sui annum primum nondum completum; cum ab Hadriano adoptatus v. Kal. Martii anni 138, Camerino & Nigro Coss., eidem decedenti post menses quatuor, ac semis ab illa adoptione, nem-

nempe VI. Idus Julii, succeffiffet iifdem Confulibus. Quare nec integros CXVI annos Tertullianus computabat ab illo Tiberii termino, ad Antoninum, fed *fere* CXV, *& dimidium anni, cum dimidio menfis*.

12. *Moyfes Legislator, Aaron Sacerdos, Jofue Minifter & fucceffor Moyfi, David Rex manfuetus, Salomon Pacificus, Elias Zelator, Elifeus Conftans, Jeremias Confecratus, Purgatus Ifaias, Supplex Jonas, Tobias Pius, Cafta Sufanna, tres Pueri Fortes, Ezechiel Inftaurator Templi, Daniel Temporum, Efdras Legis*, VERBUM DEI *a Joanne Praecurfore indicatum, ejufque Spiritum, fignis teftantur, figuris annunciant, unctione, fcripto, virtutibus in Pofteros derivant*. Vide infra in hoc Indiculo eorumdem imagines, ac expofitionem, Moyfis nempe & Aaronis numero 28, Jofue num. 32, Davidis num. 35, Salomonis num. 39, Eliae & Elifaei num. 20, Jeremiae & Ifaiae num. 21, Jonae num. 22, Tobiae num. 23, Sufannae num. 24, Trium Puerorum num. 25, Ezechielis num. 26, Danielis & Efdrae num. 42, atque Joannis Praecurforis Chrifti num. 46.

13. ORDO LIBRORUM VETERIS TESTAMENTI SECUNDUM CANONEM HEBRAEORUM. Catalogum Sacrarum Scripturarum Veteris Teftamenti (qui totam complectitur Sinagogae doctrinam Divinitus infpiratam & fcriptis traditam) Petrus, & Paulus, tamquam fequeftres, & promicondi, tradidere Romanae Ecclefiae, *cui* (ut fcribit Tertullianus *de Praefcriptionibus* contra Haerefes, cap. 36) *totam Doctrinam cum fanguine fuo profuderunt*. Idcirco ipfa, ut ibidem fequitur, *Legem, & Prophetas, cum Evangelicis, & Propheticis literis mifcet; & inde putat fidem*. Vide, quae fcripfimus de fingulis Hebraici Canonis voluminibus in Libro Hiftorico hujus noftrae *Demonftrationis Hiftoriae Ecclefiafticae Quadripartitae* pag. CLXXVI. & fequentibus, ubi egimus,

De Canone Divinarum Scripturarum ab Ecclefia recepto ante, & poft Chriftum natum.

De Libris autographis Veteris Teftamenti, eorumque divifione, & hiftoria.

De Verfionibus praecipuis Librorum Canonicorum Veteris Teftamenti.

De antiquiffimis eorumdem Exemplaribus, quae fuperfunt.

Et de Hiftoria Textus Biblici, comprobata ex antiquis Chriftianorum monumentis, in Romanis Coemeteriis praefertim depictis, aut anaglyptico opere fcalptis, atque in his Tabulis I., & II. Saeculi graphice expreffis. Confer etiam, fi lubet, noftras *Vindicias Canonicarum Scripturarum Vulgatae Latinae Editionis* typis editas Romae an. 1740, in quibus fufo calamo fcripfimus de Canone primitivo Bibliorum Sacrorum juxta Hebraicam veritatem.

14. ADAM ET EVA CONSUTIS FOLIIS SE SE OBTEGENTES, ex antiquo anaglypho effoffo in Coemeterio S. Callifti Papae. Majores noftri, ut fuae originis, cafufque reminifcerentur, confueverunt in Coemeteriis fculpere, pingereque figuras Adami, Evae, arboris, ferpentifque illius, qui eofdem Primos omnium Parentes fraude circumvenerat, induxeratque, ut fructu ejus arboris, contra atque imperatum a Deo fuerat, vefcerentur. Ita quidem & in farcophago Junii Baffi (qui IIT AD DEVM VIII. KAL. SEPT. EVSEBIO ET YPATIO COSS.) exhibentur Protoparentes apud Aringhium Tomo I. *Romae Subter.* lib. 2. cap. 10. p. 277, necnon apud Cl. Praefulem Bottarium *Sculture e Pitture facre eftratte dai Cimiterj di Roma* Tom. I. pag. 35. Vide etiam alios Sarcophagos venerandae antiquitatis apud memoratum Aringhium Tomo eodem, pag. 315. 325. 331. 427. & Tomo II. p. 143. 199. 395. & 399, in quibus omnibus Adami, & Evae, fe fe foliis ficus tegentium, atque ferpentis, & arboris, anaglypho opere expreffae figurae funt. Picturis quoque, idem Chriftiani veteres factum exprimere confueverunt; cujufmodi funt eae, quae in Coemeteriis Urbis pariter confpiciuntur, quafque refert Aringhius Tom. I. pag. 541. 581. & Tomo II. p. 109. 117. 123. 193. & 199. Illuftris praeterea eft lamina illa aerea, quam defcribit Senator Ampliffimus Bonarrotius *Offervazioni fopra alcuni frammenti di vafi antichi di vetro* Tab. I. Fig. 1, in cujus parte fuperiore exhibentur Adamus, & Eva, qui ferpentinis dolis inducti, pomum contra Dei praeceptum comederunt, & peccatum, mortemque fuo fcelere introduxerunt in Orbem Terrarum: in inferiore vero, Chriftus, praefeferens figuram boni Paftoris; ut indicaretur, hujus opera revocatum Genus Humanum ad poenitentiam, reftitutamque ei fuiffe falutem, perpetuamque felicitatem. In vitris denique depictae figurae eorumdem primorum Parentum, atque ferpentis, arborifque fuerunt; ut cernitur apud laudatum Bonarrotium ibidem Tab. I. fig. 2. Plura leges apud Patrem Mamachium, qui To-

Tomo III. *Originum & Antiquitatum Christianorum* pag. 28. fuse luculenterque hoc argumenti genus explicavit.

15. ABELIS ET CAIN OBLATIO ex Sarcophago marmoreo, in Coemeterio Lucinae effosso, apud Aringhium Tomo I. *Romae Subterraneae* lib. 3. cap. 3. pag. 427, & Bottarium Tom. II. pag. 9. Cernuntur in eo Caini uvam, spicasque, & Abelis agnum in Sacrificium Domino offerentis imagines. Abel, ob patientiam, & innocentiam morum, fortitudinemque in perferenda morte, Christi Servatoris nostri, & Ecclesiae Novi Testamenti figura fuit. Confer S. Clementem Romanum Epist. I. *ad Corinthios* num. 4. Tom. I. pag. 11 Collect. Epist. Rom. Pont. Editionis Coustantii, Tertullianum lib. *adversus Judaeos* cap. v. pag. 187. edit. Venet. 1744, S. Cyprianum Epist. 6. p. 12, Epist. 59. pag. 119. & lib. *de Zelo & livore* pag. 222. edit. Oxon., Theophilum Antiochenum lib. 2. *ad Autolycum* num. 29. p. 394. edit. Venet. an. 1747, S. Ambrosium lib. I. *de Cain & Abel* cap. 2, Tomo I. pag. 185. edit. Monachorum S. Mauri, atque in Psal. 39. pag. 862. num. 12. ejusdem Tomi. Quare Doctissimus Huetius Propositione IX. *Demonstrationis Evangelicae* cap. CLXX. n. 11. pag. 621. edit. Paris. „ Alteram, *inquit*, Jesu Christi figuram exhibet nobis Abelis, & Caini historia. Quemadmodum enim Abeli integerrimo viro Caini fratris invidiam conflavit eximia pietas; ita Jesu hominum omnium innocentissimo fratrum Judaeorum odium virtutes suae pepererunt. Fuit Abel ovium pastor; Jesus hominum. Abeli mortem parat Cainus; Jesu Judaei. Abelum foras ad mortem educit Cainus; Jesum Judaei ad supplicium extra Hierosolymam rapiunt. Vox sanguinis Abelis clamat ad Deum de terra; de Jesu sic disserit Paulus ad Hebraeos: *accessistis ad Testamenti Novi Mediatorem Jesum, & sanguinis aspersionem melius loquentem, quam Abel*. Hanc Caino poenam criminis irrogat Deus, ut sacer, & detestabilis sit in terra hac, quam fraterno sanguine respersit: Judaeos vulgo execrabiles esse videmus, in Ecclesia praesertim Christiana, quae Jesu sanguine lota ac mundata est. Futurum praeterea addit Deus, ut terram a se foedatam vanis laboribus Cainus exerceat, nullos ipsi fructus, operae pretium nullum redditurum: miseranda quippe haec est Judaeorum conditio, ut priscam & antiquatam Synagogam, & abrogatos ritus frustra concelebrent, nec quicquam proficiant ad salutem. Exilio quoque Cainum mulctat Deus, patriisque sedibus ejicit, sic tamen, ut tutam ei & incolumem vitam praestet; profugi passim & extorres errant Judaei, nec penitus tamen exscinduntur, sed certa gens, ab aliis discreta esse pergunt, juxta illustre hoc Jeremiae oraculum cap. 31. v. 35. & 36. *Haec dicit Dominus, qui dat Solem in lumine diei, ordinem Lunae, & Stellarum in lumine noctis; qui turbat mare, & sonant fluctus ejus, Dominus exercituum nomen illi. Si defecerint leges istae coram me, dicit Dominus, tunc & semen Israel deficiet, ut non sit gens coram me cunctis diebus*. Signo quodam Cainum notavit Deus, quo agnitus vulgo mortem effugeret; Judaei variis in locis certo colore vel nota insignes esse jubentur. Hanc Christi Jesu, & Abelis comparationem prosequutus est Rupertus Abbas Tuitiensis, & ex ipso Clarus Huetius.

16. NOE IN DILUVIO PRAESERVATUS, ex Tabula prima Cubiculi secundi Coemeterii S. Callisti Papae, apud Aringhium Tom. I. *Romae Subterraneae* pag. 539. Terras inundante Diluvio, totumque humanum Genus delente, ii tantum perniciem instantem effugiunt, quos servat Noachus. Is vero typus Christi fuit: grassante enim per terras peccati lue, hominesque in certum interitum adducente, illi tantum imminenti subducti fuerunt exitio, quos Jesus salvos esse voluit: *nec enim* (inquit Petrus Actor. 4. vers. 12.) *aliud nomen est sub caelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri*. Uterque autem per lignum homines incolumes reddidit. In Arca, etiam figuram Ecclesiae deprehenderunt unanimiter antiqui Patres, omnesque recentiores Scripturae Sacrae Interpretes. Etenim extra illam qui deprehensi sunt, certissimo perierunt interitu. Confer Epistolam I. S. Petri Apostoli cap. 3. v. 20. & seqq., Clementem Romanum Epist. I. *ad Corinthios* num. IX. pag. 14 Tom. I. *Collect. Epist. Roman. Pontific.* editionis Paris. Domni Coustantii, & Justinum Martirem *in Dialogo cum Tryphone* num. 85. pag. 194, ac num. 138. pag. 242. edit. Venetae an. 1747. Tertullianus libro *de Baptismo* cap. 8. pag. 227. edit. Venetae an. 1744. ait: *Quemadmodum post aquas Diluvii, quibus iniquitas antiqua purgata est, post baptismum, ut ita dixerim, Mundi, pacem caelestis irae, praeco columba terris adnuntiavit demissa ex Arca, & cum olea reversa, quod signum*

etiam apud Nationes paci praetenditur; eadem dispositione spiritalis affectus terrae, idest carni nostrae, emergenti de lavacro post vetera delicta, columba Sancti Spiritus advolat, pacem Dei afferens, emissa de caelis, ubi Ecclesia est Arca figurata. Adisis S. Cypirianum Epist. 74. *ad Pomp.* pag. 216, item lib. *de unitate Ecclesiae* pag. 109. edit. Oxon. ac Epist. 69. *ad Magnum* p. 181, Firmilianum *Epist. inter Cyprianicas* 75. pag. 224, Augustinum lib. 5. *de Baptismo* cap. ultimo p. 160 Tom. IX. edit. Paris. Monach. S. Mauri, lib. 15. *de Civitate Dei* cap. 26. pag. 410 Tomo VII, ac demum lib. *de Catechiz. rudibus* cap. 27. pag. 494 Tom. VI. En ergo cur Noemum in Arca aquis diluvii innatante manentem, & columbam, quae ramum olivae deferret, pacemque indicaret, Christiani veteres picturis, sculpturisque sibi proponere in Coemeteriis consueverunt; sicut videre licet apud Aringhium Tomo I. pag. 325. 331. 333. 616. & Tomo II. pag. 67. 71. 101. 105. 111. 187. 283. 285. 355. 399. Consule quoque Boldettum *Osservazioni sopra i Cimiterj* pag. 22, & Cl. Bonarrotium Tom. I. Fig. I. *Osservazioni sopra alcuni frammenti di vasi antichi di vetro*, ubi laminam ex metallo exhibet, in cujus parte superiore Noemi in Arca consistentis, & columbae ramum deferentis, imagines cernuntur. Idem monumentum illustrat Cl. Ciampinus *Dissert. de duobus Emblematibus Musei Card. Carpinei* pag. 18. Confer etiam Museum Veronense Marchionis Scipionis Maffeji pag. 279, & P. Mamachium *Originum & Antiquitatum Christianarum* Tom. III. lib. III. pag. 31. qui haec omnia fere congessit §. 4. *de Noemo & Arca*.

17. ABRAHAM ET ISAAC AD SACRIFICIUM PARATI, ex Sarcophago marmoreo Junii Bassi, in Coemeterio Vaticano effosso, apud Aringhium *Romae Subterraneae* Tom. I. pag. 277. Multas Jesu Christi similitudines gessisse Isaacum Abrahae filium, a patre ad sacrificium destinatum, & ad montem ductum, qui ligna, quibus imponendus & immolandus erat (ut Jesus Crucem) in montem detulit, universa tenet Ecclesia. Tertullianus lib. 3. *adversus Marcionem* cap. 18. pag. 407. edit. an. 1744. *De figuris*, inquit, *prius edocebo. Et utique vel maxime sacramentum istud figurari in praedicatione oportebat, tanto incredibile, quanto magis scandalo futurum, si unde praedicaretur, quantoque magnificum, tanto magis obumbrandum; ut difficultas intellectus gratiam Dei quaereret. Itaque imprimis Isaac, cum a patre in hostiam deditus, lignum sibi ipse portaret, Christi exitum jam tunc denotabat, in Victimam concessi a Patre, & lignum Passionis suae bajulantis*. Et S. Paulinus Epist. 38. alias 29. *ad Aprum* pag. 229. edit. Veronensis 1736, scribit: *ab initio Saeculorum Christus in omnibus suis patitur. Ipse enim est initium, & finis, qui in Lege velatur, in Evangelio revelatur &c. In Abel occisus a fratre &c. in Abraham peregrinatus, in Isaac oblatus*. Paria habet etiam Epist. 29. *ad Sever.* pag. 181. Cernitur frequentissime Abraham, filium suum sacrificaturus, in Sarcophagis, & picturis Coemeterialibus apud Aringhium Tomo I. *Romae Subterraneae* pag. 277. 305. 309. 317. 325. 331. 423. 613. 622. & Tom. II. pag. 65. 87. 399. Confer autem quae idem Aringhius tradit de Abrahamo & Isaaco Tom. I. pag. 276. ac Tom. II. cap. 10. pag. 478. & seqq. Itemque consule Ciampinium *Veter. Monim.* Tom. I. pag. 2. & Tom. II. pag. 70, ac Bonarrotium in lib. *Osservazioni sopra alcuni frammenti di vetro* Tab. I. Fig. 1. P. Mamachius Tom. III. libro III. *Originum & Antiquitatum Christianarum* p. 33. §. 5. *de Abrahamo & Isaaco*, haec ad rem nostram literis consignavit: „Est traditum a Mose in Genesi, praeceptum Abrahamo Patriarchae a Deo fuisse, ut in certum quemdam destinatumque montem filium Isaacum duceret, eumque sibi hujus universitatis rerum Conditori sacrificaret. Paruisse hominem, lignisque concisis, impositisque Isaaco, qui victima esset futurus, conscendisse in montem: cumque ferire vellet adolescentem, deterritum ab Angelo fuisse, ne, quod jussus erat, perficeret. Hoc totum fuisse figuram Christi Servatoris, constat. Cum Ethnici calumniarentur, idque maxime laborarent, ut mortales ab institutis sacrisque Christianorum averterent, propterea quod Religio nostra praescriberet, Christo esse adhibendum cultum, quem illi ignominia affectum dictitabant, quod Cruci, auctoritate Pilati, affixus esset; Majores nostri, qui reperiri aliquos posse ineptos imperitosque Divinarum rerum sciebant, quibus haec ludibria detrimentum afferrent, sic aliquando secum constituerunt; Sacrificium, quod Jesus in Cruce pro salute Generis Humani obtulerat, quodque Isaaci facto, divino consilio olim significatum fuerat, cum aliis nonnullis, tum hujusmodi symbolo adumbrari saepe exprimique posse. Atque hinc

hinc omnes assequuturos intelligebant, Christum, quem vindicem libertatis, quem salutis restitutorem, quem viam, quem veritatem, quem vitam esse sibi merito persuaserant, sponte se Patri obtulisse; tamque praeclaro facinore iter nobis munisse ad caelum, quod ante fuisset Primi Parentis scelere interclusum „. Hucusque Cl. Mamachius. Sed & Aries ipse, quem immolavit Abraham, plurimas venturi Christi notas in se habuit. Aries, dimisso puero, in vepre cornibus haerens, fuit mactatus; & Christus, ut Tertullianus argute disserit (*de ligno Crucis* c.13.) *inhaerens cornibus Crucis*, humano Genere servato, oblatus est. Et fortasse ad id innuendum, Majores nostri agnum interdum aut pingere, aut scalpere, capiti ejus signo Crucis imposito, consueverunt: id quod cum ex aliis multis, tum ex Sarcophago marmoreo Vaticano constat, quem, post Bosium, atque nostrum Aringhium, retulit etiam, explicavitque Praesul Bottarius Tom. I. p. 82. Alia quoque in Ariete κρύφια ad Christum pertinentia reperit Doctissimus Huetius, scribens: Hortari nos Apostolum (Rom. 13. 14. & Galat. 3. 27.) ut induamus Christum, quod detonsa ex arietibus lana vestiamur: hortari nos Jesum ipsum apud Johannem (6. 50.), ut carnem suam edamus, quod arietina, & agnina carne vescamur: cornibus haesisse in vepreto arietem Abrahami; spinis Jesum coronatum fuisse, totoque vitae decursu summas difficultates & angustias tolerasse: Abrahamum post tergum respexisse arietem; sed & Jesum post multos annos de se oriturum praevidisse; atque id significasse Jesum, cum diceret, *Abraham pater vester exultavit, ut videret diem meum: vidit, & gavisus est.* Abrahamum Deo sacrificasse arietem, Isaaco filio succidaneum; passum quoque esse Deum, ut pro hominibus a se procreatis sibi Jesus mactaretur. Eadem denique loca Sacrificio utriusque celebrata sunt, illius Moriia, hujus Golgotha; mons uterque Hierosolymitanus: quamquam in ipso Golgotha, in quo mortem tulit Christus, arietem Abrahami immolatum esse, Judaei opinantur.

18. ISAAC JACOBO BENEDICENS, ex Musivo Sixti Papae III. in Basilica Liberiana S. Mariae Majoris, quae dicitur ad Praesepe. Extat apud Ciampinum *Veterum Monimentorum* Tom. I. Tab. 51. fig. 2. lit. B. C. post pag. 212. Heic habes expressam Jacob benedictionem, ab Isaac patre, loco sui fratris Esau impetratam; quam, ut apertius agnoscas, en verba Geneseos cap. 27. *Senuit autem Isaac, & caligaverunt oculi ejus, & videre non poterat: vocavitque Esau filium suum majorem, & dixit ei: fili mi? qui respondit: adsum. Cui pater: vides, inquit, quod senuerim, & ignorem diem mortis meae. Sume arma tua, pharetram & arcum, & egredere foras: cumque venatu aliquid apprehenderis, fac mihi inde pulmentum, sicut velle me nosti; & affer, ut comedam, & benedicat tibi anima mea, antequam moriar. Quod cum audisset Rebecca, & ille abiisset in agrum, ut jussionem patris impleret, dixit filio suo Jacob: audivi patrem tuum loquentem cum Esau fratre tuo, & dicentem ei: affer mihi de venatione tua, & fac cibos, ut comedam, & benedicam tibi coram Domino, antequam moriar. Nunc ergo, fili mi, acquiesce consiliis meis, & pergens ad gregem, affer mihi duos baedos optimos, ut faciam ex eis escas patri tuo, quibus libenter vescitur: quas cum intuleris, & comederit, benedicat tibi, priusquam moriatur. Cui ille respondit: Nosti, quod Esau frater meus homo pilosus sit, & ego lenis: si attrectaverit me pater meus, & senserit, timeo, ne putet me sibi voluisse illudere, & inducam super me maledictionem, pro benedictione. Ad quem Mater: in me sit, ait, maledictio ista, fili mi: tantum audi vocem meam, & pergens affer quae dixi. Abiit, & attulit, deditque matri. Paravit illa cibos, sicut velle noverat patrem; & vestibus Esau valde bonis, quas apud se habebat domi, induit eum: pelliculasque baedorum circumdedit manibus, & colli nuda protexit: deditque pulmentum; & panes, quos coxerat, tradidit. Quibus illatis, dixit: Pater mi: at ille respondit: audio. Quis es tu, fili mi? dixitque Jacob: ego sum primogenitus tuus Esau: feci, ut praecepisti mihi: surge, sede, & comede de venatione mea, ut benedicat mihi anima tua. Rursumque Isaac ad filium suum &c. dixitque accede mihi, ut te tangam, & probem, utrum tu sis filius meus Esau, an non. Accessit ille ad patrem; & palpato eo, dixit Isaac: vox quidem, vox Jacob est, sed manus sunt Esau &c.* Inferius vero, Esau a venatu regressus, praereptae sibi benedictionis ignarus, patrem Isaac adit, afferens ei cibos de venatione sua; & hic astum fratris intelligit. En verba Scripturae cap. eodem: *Vix Isaac sermonem impleverat, & egresso Jacob foras, venit Esau, coctosque de venatione cibos intulit patri, dicens: surge, Pater mi,*

Indiculus Tab. II. Saec. II

mi, comede de venatione filii tui, ut benedicat mihi anima tua. Dixitque illi Isaac: quis enim es tu? Qui respondit: Ego sum filius tuus primogenitus Esau. Expavit Isaac &c. cum reliquis quae sequuntur. S. Augustinus in Libro *contra mendacium* cap. 24. Tom. VI. Maurinae edit. pag. 461. *Jacob* (inquit) *quod matre fecit auctore, ut patrem fallere videretur, si diligenter & fideliter attendatur, non est mendacium, sed mysterium &c. Hoc ut fiat planius, idipsum quod fecit Jacob, attende. Hoedinis certe pellibus membra contexit: si causam proximam requiramus, mentitum putabimus; hoc enim fecit, ut putaretur, quod non erat: si autem hoc factum ad illud, propter quod significandum revera factum est, referatur; per hoedinas pelles, peccata, per eum vero, qui eis se operuit, ille significatus est, qui non sua, sed aliena peccata portavit. Verax ergo significatio nullo modo mendacium recte dici potest. Ut autem in facto, ita & in verbo. Nam cum ei Pater dixisset:* Quis es tu, fili? *ille respondit:* Ego sum Esau primogenitus tuus. *Hoc si referatur ad duos illos geminos, mendacium videbitur; si autem ad illud, propter quod significandum ista gesta dictaque conscripta sunt, ille est hic intelligendus in corpore suo, quod est ejus Ecclesia, quae de hac re loquens, ait:* Cum videritis Abraham, & Isaac, & Jacob, & omnes Prophetas in Regno Dei, vos autem expelli foras. Et venient ab Oriente, & Occidente, & Aquilone, & Austro, & accumbent in Regno Dei: & ecce sunt novissimi, qui erant primi, & sunt primi, qui erant novissimi. *Sic enim quodam modo minor majoris primatum frater abstulit, atque in se transtulit fratris.* Haec Augustinus. Cum ergo Jacob, se primogenitum, & Esau dixit, id erat vocationis Gentium in Judaeorum locum clarissima figura. Confer Apostolum Romanorum IX. & X, & Geneseos Expositores cap. 27.

19. JOB PATIENS, ex Sarcophago marmoreo Junii Bassi, in Coemeterio Vaticano effosso, quem exhibet Aringhius *Romae Subterraneae* Tom. I. pag. 77. Ibi vero ipse ad rem nostram haec scribit: *In ordine Sarcophagi ejusdem inferiori exhibetur nobile illud patientiae exemplar Jobus, in sterquilinio sedens, deformis, extenuatus, ulceribus plenus, & a Sathana male mulctatus, cui nescio quis, panem in sartagine cruce signatum ei porrigens, adstare videtur: facta forsitan allusione ad similem illam oleo frixam, quam David, Arca foederis ab hostibus recuperata, Populo partitus est. At vero admirabilem Jobi tolerantiam, & in Deum fiduciam, iis, qui in dolore, ac luctu, durissimis illis persecutionum temporibus versabantur, in consolationem atque exhortationem ob oculos ponebant, ut pro fide certantes, Jobum, qui vestimenta sua scidit, stetitque nudus & audax in spirituale praelium, imitarentur, & post tentationis dispendium consolationum suffragia Domino, qui, ut Sacer textus ait,* addidit omnia quaecumque fuerant Job duplicia, *successura certo crederent.* Paria habet Cl. Mamachius, qui Tom. III. *Originum & Antiquitatum Christianarum* lib. III. pag. 41 „Jobi, *inquit*, figuram idcirco depingi in Coemeteriis curabant antiqui Christiani, (quemadmodum constat ex Aringhio Tomo I. pag. 277. 533. 551. & Tomo II. pag. 25. 75. &c.), ut memores eorum, quae incredibili constantia, virtuteque animi ille perpessus esset, ipsi ejus in perferendis laboribus, jacturis bonorum, doloribus, patientiam imitarentur. Adeatur S. Cypriani liber 3. *Testimoniorum* num. 6. pag. 63. edit. Oxon., & liber *de Mortalitate* pag. 159. Sibi quoque Majores nostri persuadebant, si Jobi fortitudinis, virtutisque imitatores fuissent, fore ut quemadmodum ille post aerumnas, requiem, salutem, felicitatem, duplicatis commodis, honoribus, divitiis consequutus est, ita ipsi haeroes in gloria sempiterna felices, beatique futuri essent. Vide Tertullianum lib. *de Patientia* cap. 14. pag. 148. edit. an. 1744. & Pontium Diaconum, qui de S. Cypriano Episcopo Carthaginiensi agens, apud Ruinartium *Act. SS. Martyrum Sincer.* pag. 180. num. III. edit. Veronensis, & initio Operum S. Cypriani edit. Oxon. an. 1682. pag. 2. inquit: *Nam & sermo illi de hoc fuerat usitatus, ut si quidem praedicatum Dei laudatione legisset, suaderet inquiri, propter quae facta Deo placuisset; si Job Dei testimonio gloriosus, dictus est veri Dei cultor, & cui in Terris nemo compararetur, faciendum docebat ille, quidquid Job ante fecisset; ut dum & nos paria facimus, simile in nos Dei testimonium provocemus.* Confer etiam quae sequuntur. Porro de S. Job ita legitur in Libro Tobiae cap. II. vers. 12. & 15. *Hanc autem tentationem ideo permisit Dominus evenire illi,* (nempe Tobiae), *ut posteris daretur exemplum patientiae ejus, sicut & Sancti Job &c. Nam sicut Beato Job insultabant Reges; ita isti, parentes & cognati ejus irridebant vitam ejus, dicen-*

gentes: ubi est spes tua, pro qua eleemosynas, & sepulturas faciebas? Ezechielis cap. 14. vers. 14 S. Jobi sanctitas sic commendatur: *Et si fuerint tres viri isti in medio ejus, Noe, Daniel, & Job, ipsi justitia sua liberabunt animas suas, ait Dominus exercituum.*

20. ELIAS ET ELISEUS, ex Sarcophago marmoreo in Coemeterio Vaticano effosso. Eatat apud Aringhium Tom. I. *Romae Subterraneae* pag. 304. ubi ait: *Et quidem in priori ejus parte producitur Elias ignea quadriga impositus, qui ad superna jam transferendus, pallium, quo paulo prius aquas Jordanis (quem illic etiam expressum videas) diviserat, super Eliseum ponit. In typo videlicet jam tunc designabat ille Christum Dominum, qui (ut Rupertus Abbas disserit) ex Mundo ad Patrem transiturus, officium simul, & spiritum suum Apostolis dedit.* Confer eundem Aringhium etiam pag. 309. & 429. Eliae curru igneo rapti pictas sculptasque imagines in Coemeteriis, aliisque locis, quae Deo consecrata essent, Veteres quandoque ponebant; ut intelligerent Christiani, post labores, pericula, gravesque calamitates, quibus conflictabantur, salutem, gloriam, resurrectionem denique futuram, ut animadvertit P. Mamachius Tomo citato pag. 42. Vide S. Iraeneum libro v. *contra Haereses* cap. v. pag. 298. edit. Paris. an. 1710, & Praesulem Bottarium Tom. II. pag. 13. De pallio, quod porrigi ab Elia Eliseo in iconibus videmus apud laudatum Aringhium, confer eundem Bottarium ibidem, & Willemerum, si quidem licet, *de Pallio Eliae*, in *Thesauro Dissert. Theolog. Philolog.* Tom. I. pag. 509.

21. ISAIAS ET JEREMIAS, ea Musivo veteri Basilicae S. Mariae Transtyberim. Isaias, non tam prophetiam Hieronymo (in Epist. *ad Paulinum* cap. 7. & Praefatione in Transl. Isaiae) texere visus est, quam Evangelium. Fuit Isaias de Tribu Juda, vir apprime nobilis, disertus, & elegans, ut ipsius Liber indicat. Sub Regibus Juda quatuor, Ozia, Joathan, Achaz, & Ezechia vaticinatum se declarat; & quid sub unoquoque seorsim sit vaticinatus, adnotat suis locis. Floruit Hierosolymis, & in Judaea. Jeremias pene puer, anno primum Josiae decimo tertio vaticinia sua auspicatus est; regnantibus deinde Joachaz, Joakim, Jechonia, & Sedecia, per annos circiter quadraginta, ad Urbis usque excidium, quod Sedeciae anno undecimo contigit, Dei mandata, ac futura mala, in Judae, ac Beniamini Tribubus, Populo denuntiavit: Godolia deinde, qui Sedeciae fuerat suffectus, ab Ismaele interfecto; ipse Jeremias, cum Barucho, a Johanano filio Caree in Aegyptum fuit abductus, & novis vaticiniis Judaeos illic degentes, Aegyptum, aliasque Gentes, spiritu afflante, conterruit. Cernere autem licet (inquit Huetius *Demonstrationis Evangelicae* Proposis. ix. cap. 170. pag. 629.) in Jeremia expressam Christi imaginem. Nam primum sanctitate praeditus fuit uterque, priusquam ab utero matris in lucem exiret. Virginitatem uterque coluit. Uterque, etiamnum puer, Populi docendi munus exequi aggressus est. Uterque, ab Idolorum cultu, multos ad veram pietatem traduxit. Utrique pietas sua & beneficentia fraudi & ignominiae fuit; cum a suis, quos a sceleribus retrahere, & imminenti calamitati subducere volebant, pessimis modis accepti sint. Uterque summa patientia & lenitate inflictas sibi poenas tulit. Uterque percussoribus suis, & vexatoribus a Deo veniam precatus est. Ac utriusque demum vicem Deus, excisa Gente, severissime ultus est.,, In Ecclesia S. Vitalis Ravennae, circa annum Domini 547 Musivo opere decorata (ut scribit Ciampinius *Veter. Monim.* Tom. 2. pag. 69. Tab. 20. num. 5. & 6.), supra Arcum Presbyterii in angulo spectatur vir diadematus, volumen expansum prae manibus tenens, veste alba circumdatus: ante ipsum stat turris, supra quam corona aurea, & super ipsum, nomen *Jeremias*, quod nomen, nisi pictor apposuisses, divinare admodum difficile esset. Cur autem apposita fuerit turris coronata, diu mea mente revolvi; sed nihil certi adinveni: excogitavi tamen pro turri coronata, pictorem Jerusalem totius Palaestinae Regiam Civitatem exprimere voluisse: nam Jeremias in Civitate Jerusalem prophetavit, ut habetur in Historia Flavii Josephi, lib. 8. cap. 9. Cur autem diadema in capite gestet, dixit Ciampinius in Opere *Veter. Monument.* Part. I. cap. 14. & 22. In apposito angulo sub num. 6. visitur alius Propheta, qui sinistram ad Caelum extollit, & e nubibus manus invisibilis viri egreditur, ac in inferiori parte multi spectatores, sursum aspicientes, albis tunicis, palliis vero rubeis vestiti. Quid hieroglyphicum hoc significet (prosequitur Ciampinius) nobis sacra patefacit Scriptura in Exodo cap. 2. ubi narratur, Moysen solum in montem ascendisse,

INDICULUS TAB.II.SAEC.II

ibique cum Domino quadraginta permansisse diebus, ceteris ad montis radicem manentibus., Sed venia tanti Viri, puto, Isaiam ibi repraesentari, cui Deus labia calculo mundavit ignito. In Ecclesia quoque Sanctae Mariae Novae Romae, denuo constructa picturisque illustrata an. 848, ut scribit idem Ciampinius cap.28. laudati Tomi, pag. 165., in arcus lateribus duo sunt Prophetae, expansum volumen intus scriptum manibus extollentes: ad sinistram intuentium, cernitur Isaias Propheta, ut ex Epigraphe in volumine exarata deducitur, *ecce concipiet, & paries Filium*, quae habetur cap. 7. v. 14. ejusdem Prophetae. In apposita vero parte, scilicet ad dexteram, est Baruc, etiam Propheta, in cujus legitur volumine, *hic est Deus noster, & non aestimabitur alius adversus eum*, ut legitur apud eumdem Baruc cap. 36. Horum Prophetarum a tergo duae protenduntur palmae arbores (ut in hoc Musivo Basilicae S. Mariae Transtyberim, de quo loquimur), quas prisci Fideles ad Judaeam indicandam appingere solebant, ut in dicto Opere *de Sac. Aedific. a Magno Constantino constructis* cap. 4. & 10. idem explicat: supra quodlibet volumen, adest cavea cum ave inclusa: an duae istae caveae ad ornatum expressae sunt, vel potius ad aliquid edocendum, hoc numeris Platonicis obscurius est: nihilominus, ne omnino coecutiat Lector, cum Isychio Presbytero in Levitico lib. 1. cap. 1. hoc lumen addere possumus: *Volatilia, spiritus ostendere contemplationi vacantes; terrenis omnino se non miscentes negotiis: quod etsi forte necessitas exegerit, mox revolant ad sublimia, & illo Euangelii juvantur testimonio, quod Dominus ait: considerate volatilia Caeli, quia non seminant, neque metunt, & Pater vester Caelestis pascit illa*.

22. JONAS PROJECTUS, ex Sarcophago marmoreo effosso prope Ecclesiam S. Sebastiani, quem aeneis Tabulis edidit noster Aringhius *Romae Subterraneae* Tomo I. lib. 3. cap. 22. pag. 617. De Jona, qui tribus diebus, totidemque noctibus in ventre piscis fuit, vide quae scripsimus in nostro Indiculo, Tabula III. Saeculi Primi, num. 44, & Tabula I. Saeculi Secundi, num. 22. Hujus mysterii symbolum non solum in sculptis Sarcophagis, pictisque Cubiculis Coemeteriorum, sed etiam in lucernis, & vitris Christiani veteres expresserunt. Consule Petri. Commendatoris Victorii Opus *de Septem Dormientibus* pag. 55, aliosque Claros Scriptores, quos in locis nostri Indiculi paullo superius allegatis indicavimus. In Jona quoque (inquit Huetius Propositione IX. cap. 170. p. 628.) sui propositam esse Figuram palam Jesus declaravit Matthaei cap. 12. vers. 39. *Sicut enim*, inquit, *fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus; sic erit Filius hominis in ventre terrae tribus diebus, & tribus noctibus*. Habes heic itaque eximium Christi ad vitam redeuntis simulacrum. Jonas, saeviente tempestate, & nautis de vita sollicitis, dormit securus; quod & Christo contigit. Jonas pro nautarum salute mittitur in mare, silent fluctus, & tempestas sedatur; in Jesu (Colos. I. cap. 19. vers. 20.) *complacuit omnem plenitudinem habitare, & per eum reconciliare omnia in ipsum; pacificans per sanguinem Crucis ejus, sive quae in terris, sive quae in caelis sunt*. Nautae, Jonam in mare missuri, Deum orant, ne sibi crimini detur viri innocentis interitus (Jonae I. vers. 14): *quaesumus, Domine, ne pereamus in anima viri istius, & ne des super nos sanguinem innocentem*; Pilatus Jesum letho daturus (Matthaei cap. 27. vers. 46.), *accepta aqua, lavit manus coram Populo, dicens: innocens ego sum a sanguine Justi hujus: vos videritis*. Sic de se ad Deum Jonas (cap. 2. vers. 5.) in ventre ceti, *abjectus sum a conspectu oculorum tuorum*; sic de se ad Deum Jesus in Cruce (Matth. cap. 27. ver. 17.), *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Jonas maris periculo functus, Ninivitas ad obsequium Dei compellit; Gentes, post vitam a Jesu receptam, ad Dei cultum vocantur. Jonas concionator; perinde ut Jesus. Ad poenitentiam Ninivitas hortatur Jonas; *Poenitentiam agite*, inquit Jesus (Matthaei IV. vers. 17.), *appropinquavit enim Regnum Caelorum*.

23. TOBIAS PISCEM DEFERENS, ex Tabula tertia Cubiculi tertii Coemeterii S. Callisti Papae, & aliorum Sanctorum Martyrum Via Appia, & Ardeatina, apud Aringhium *Romae Subterraneae* Tom. I. lib. III. cap. 22. pag. 551. Junior Tobias, qui piscem manu gestat, cujus virtute pulsus est e Sarae corpore diabolus, & ejus viro restituta lumina fuerunt, Christum coercentem diabolum, Gentesque universas illuminantem, significat; ut docet Auctor libri *de Promiss. & Praedic.* inter Opera S. Prosperi pag. 168. edit. an. 1711, Part. II. capite 39.

te 39. cui titulus est, *Praedictio in Tobia, cu pisce Christo & daemonia fugari, & illuminari caecos*. Praeterea aqua, in qua piscis manebat, figura baptismi fuit, sine quo vivere in Christo credimus posse neminem. Ea de causa piscis symbolo Christiani veteres utebantur; cumque, ut inquit P. Mamachius *Originum & Antiquitatum Christianarum* Tom. I. cap. 1. §. VI. pag. 54, aqua baptismi regenerari nos ad novam spiritalemque vitam intelligerent; eapropter inditum est eis nomen *pisciculorum*, ducta similitudine a piscibus, qui in aqua gignuntur, nec vivere sine aqua possunt. Clemens Alexandrinus lib. 3. *Pedagogi* cap. XI. pag. 289. edit. Oxon. *si sit aliquis*, inquit, *qui piscetur, meminerit Apostoli, & puerorum, qui ex aqua extrahuntur*. Demum vox Graeca ΙΧΘΥΣ, quae *piscem* significat, constat ex literis initialibus, ΙΗΣΟΥΣ. ΧΡΙΣΤΟΣ ΘΕΟΥ. ΥΙΟΣ. ΣΩΤΗΡ. quae sonant, *Jesus Christus Dei Filius Salvator*, ut diximus in Indiculo Tabulae I. Saeculi Primi num. 4. Satis autem compertum est, Christum *piscis* symbolo denotari. S. Hieronymus Epist. VII. edit. Martianaei, alias 43. *ad Chromatium* pag. 13. Tomi IV, Bonosum laudat, quod se quasi *filium* ἰχθὺν gerat. Et Optatus Milevitanus lib. 3. *contra Parmenianum* pag. 62. edit. an. 1716, *Sed nescio*, inquit, *an cum illo pisce, qui Christus intelligitur, qui in lectione Patriarchae legitur in Tigride flumine comprehensus, cujus fel, & jecur tulit Tobias ad tutelam feminae Sarae, & ad illuminationem Tobiae non videntis, ejusdem piscis visceribus Asmodaeus Daemon a Sara puella fugatus est, quae intelligitur Ecclesia, & coecitas a Tobia exclusa est*. Vide etiam Auctorem Operis *de Praedict. & Promiss. Dei* loco citato, & ex recentioribus Senatorem Bonarrotium in libro *Osservazioni sopra alcuni frammenti di vasi antichi di vetro* Tab. 2. Fig. 2. pag. 16. & seqq., Anselmum Costadonum Monachum Camaldulensem in Dissert. *sopra il pesce, come simbolo di Gesù Cristo* §. 2., & P. Lupum in Dissertatione *ad Monumentum S. Severae* pag. 64.

24. SUSANNA A SENIORIBUS CIRCUMVENTA, ex Sarcophago marmoreo in Coemeterio S. Agnetis effosso. Eusebius *Hist. Eccl.* lib. 6. cap. 31. ait: JULII AFRICANI *extat Epistola ad Originem scripta, in qua historiam Susannae, quae in Danielis Libro legitur, spuriam, & commentitiam esse suspicatur. Ad quam Epistolam Origenes copiosissime respondit*. Eusebio addendus est S. Hieronymus, qui libro *de Scriptoribus Ecclesiasticis* in *Julio Africano* ait: *Hujus est Epistola ad Origenem super quaestione Susannae, eo quod dicat in Hebraeo hanc fabulam non haberi, nec convenire cum Hebraica etymologia: contra quem doctam Epistolam scribit Origenes*. His consentiunt Photius in *Biblioth.* Codice 34, & Suidas in voce Ἀφρικανός, & Freculphus in Chron. Tom. 2. lib. 2. cap. 8. Nihil ergo hac Epistola Origenis apud Veteres celebratius; qua Susannae a Senioribus circumventae historia, tamquam vera & genuina libri Danielis pars, ac proinde ceu Canonica Scriptura, adversus Africanum demonstratur. Huic Epistolae Origenis, editae Tomo I. Operum ejus a Doctissimo Carolo DE LA RUE Presbytero & Monacho Benedictino e Congregatione S. Mauri Paris. an. 1733. pag. 12. & seqq., adde, quod idem Origenes scribit Homilia I. in Leviticum: *Sed tempus est* (inquit) *nos adversus improbos Presbyteros uti Sanctae Susannae vocibus, quas illi quidem repudiantes, Historiam Susannae de Catalogo Divinorum voluminum resecarunt: nos autem & suscipimus, & contra ipsos opportune proferimus*. Et Tractatu 31. in Matthaeum, *usi sumus*, ait, *hoc loco Danielis exemplo, non ignorantes, quod in Hebraeo positum non est: sed, quoniam in Ecclesiis tenetur, alterius temporis est requirere de ejusmodi*. Vide etiam Eusebium lib. 6. *Praepar. Evang.* & Philocal. cap. 22, ubi alius habetur Origenis locus, depromptus ex ejus Commentariis in Genesim. De senibus, quos inter, media adstat Susanna Deum exorans, sic scribit laudatus Origenes ad Africanum pag. 18. num. 7. *Memini certe, me cum studioso Hebraeo vocatique apud illos viri sapientis filio, & ad id educato, ut patri succederet, colloquutum, ab ipso perinde, ac si Susannae historia vera sit, didicisse etiam Seniorum nomina, prout extant in Jeremia* (cap. 29. vers. 22.), *& hoc modo se habent*: Te faciat Dominus, ut Sedeciam, & ut Achiab, quos frixit Rex Babylonis in sartagine in igne, propter iniquitatem, quam fecerunt in Israel. *Quomodo vero alter ab Angelo secatur, alter autem scinditur? Dicendum est, non in praesenti Saeculo futura haec eis predici, sed in Dei Judicio post eorum hinc decessum &c.* Et num. 8. pag. 19. ejusdem Epistolae, *alium quoque* (inquit) novi Hebraeum, *qui de his Senioribus ejusmodi affe-*

INDICULUS TAB. II. SAEC. II

INDICULUS Tab. II. SAEC. II

afferebat traditiones; illos nempe, sperantibus in captivitate se per Christi adventum ab inimicorum servitute liberandos, professos esse, quae ad Christum pertinent, explicare posse, & utrumque singillatim, in quamcumque mulierem incidebat, & cui vitium offerre cupiebat, ei secreto affirmasse, sibi a Deo datum e suo semine progignere Christum. Hinc spe gignendi Christum decepta mulier, sui copiam decipienti faciebat; & sic civium uxores stuprabant Seniores Achiab, & Sedecias. Quamobrem recte a Daniele alter quidem dictus est, inveteratus dierum malorum; *alter vero audivit*, sic faciebatis filiabus Israel; & illae timentes, congrediebantur vobiscum: sed filia Juda non sustinuit iniquitatem vestram. *Forte enim fraus, & timor, quorum magna vis in mulieres, efficiebant, ut corpora sua his dictis Senioribus permitterent.* S. vero Hieronymus lib. 5. *Commentariorum in Jeremiam* sub finem, ad haec verba Prophetae, *faciat te Dominus sicut Sedeciam, & sicut Achab*, ita habet: *Ajunt Hebraei, hos esse Presbyteros, qui fecerint stultitiam in Israel, & moechati sunt uxores civium suorum; quorum uni loquitur Daniel*, inveterate dierum malorum: *& alteri*, semen Chanaan, & non Juda, species decepit te, & concupiscentia subvertit cor tuum. Sic faciebatis filiabus Israel, & illae metuentes, loquebantur vobiscum: sed non filia Juda sustinuit iniquitatem vestram. *Quodque Propheta nunc loquitur*, & loquuti sunt in nomine meo mendaciter, quod non mandavi eis, *illud significari putant, quod miseras mulierculas, quae circumferuntur omni vento doctrinae, sic deceperint, qua dicerent eis: quia de Tribu erant Juda, Christum de suo semine esse generandum: quae illectae cupidine, praebebant corpora sua, quasi matres futurae Christi. Sed illud, quod in praesentiarum dicitur*, quos frixit Rex Babylonis in igne: *videtur Danielis historiae contraire. Ille enim asserit, eos ad sententiam Danielis a Populo esse lapidatos: hic vero scriptum est, quod frixerit eos Rex Babylonis in igne. Unde & a plerisque, ac pene omnibus Hebraeis, ipsa quasi fabula non recipitur, nec legitur in Synagogis eorum. Quei enim, inquiunt, fieri poterat, ut captivi, lapidandi Principes, & Prophetas suos haberent potestatem? Et magis hoc esse verum affirmant, quod scribit Jeremias, convictos quidem esse Presbyteros a Daniele; sed latam in eos sententiam a Rege Babylonis, qui in captivos, ut victor & Dominus, habebat imperium.* Huic tamen Judaeorum objectioni respondet Origenes in fragmento libri decimi *Stromat.* dicens: *nisi forte*, inquit, *hoc, quod scriptum est*, interfecerunt eos, *sic interpretemur, pro eo quod est, Regi Babylonis occidendos tradiderunt. Sicut & nos dicimus, quod Judaei interfecerint Salvatorem; non quo ipsi percusserint; sed quo tradiderint occidendum, & subclamantes dixerint*, Crucifige, crucifige eum „. At haec de Susanna castissima Femina a duobus Senioribus circumventa, sint satis.

25. TRES PUERI IN FORNACE ILLAESI, ex Tabula prima secundi Cubiculi Coemeterii S. Callisti Papae & aliorum SS. Martyrum Via Appia & Ardeatina, quam aeneis typis expressit, ac edidit noster Aringhius Tomo I. *Romae Subter.* lib. 3. cap. 22. pag. 539. num. 3. Confer Danielis Caput III. vers. 12. & seqq. ac ea, quae nos scripsimus de ipsis Sidrach, Misach, & Abdenago pueris, religionis causa in caminum ignis jussu Nabuchodonosoris Regis injectis, Tabula I. Saeculi II. numero 20. hujus *Demonstrationis Historiae Ecclesiasticae Quadripartitae*. P. Mamachius Tomo I. *Originum & Antiquitatum Christianarum*, libro 2. pag. 264. num. 3. exhibet etiam ipse ex nostro Aringhio hanc Tabulam I. secundi Cubiculi Coemeterii S. Callisti.

26. EZECHIELIS CONCIO AD REDIVIVOS, ex Sarcophago marmoreo, in Coemeterio Vaticano reperto, apud Aringhium, qui Tomo I. *Romae Subter.* lib. 2. cap. 10. pag. 327. hoc monumentum sic illustravit: *Repraesentari* (inquit) *illic creditur admirabilis illa visio, quae in Divinis literis objecta legitur Ezechieli Prophetae, qua sibi in spiritu visus est evocari in campum ossibus mortuorum vehementer aridis plenum: illo autem vaticinante, visa sunt accedere ossa ad osso, unumquodque ad juncturam suam, carnibus indui, animari, ac demum revixisse. Per istam quidem resurrectionis parabolam, ut D. Hieronymus cum Glossa disserit, qua ossa arida, & multa vetustate confecta, videntur resurgere, restitutionem Populi Israel in Captivitatem ducti, & toto Orbe dispersi, Propbetae Dominus indicabat. At vero Christiani hoc sibi ob oculos posito Divinae potentiae mysterio, ad quaevis perferenda tormenta, atque ipsam mortem subeundam fortiores multo, & alacriores reddebantur, certissima ducti spe, fore ut a Domino, cujus amore san-*

sanguinem profundebant, omni moerore, ac miseriis liberentur, & in vitam meliorem atque immortalem asserantur. Consule etiam S. Justinum Martyrem in *Apolog.* I. num. LII. pag. 76. Edit. Venetae an. 1747, Tertullianum lib. *de Resurrectione Carnis* cap. 29. & seq. pag. 343. Edit. Venetae an. 1744, S. Hieronymum in cap. 37. Ezechielis pag. 958. Edit. Martianaei, & Auctorem *Quaestionum ad Respons. ad Orthodoxos*, inter Opera laudati S. Justini, *Quaest.* 45. pag. 592., qui ab Ezechiele disertis verbis factam mentionem Resurrectionis ajunt. Quare Majores nostri depingendam in Coemeteriis (ubi sepeliri ab ipsis corpora solebant) esse ejus, mortuos ad vitam revocantis, imaginem putaverunt.

27. ORDO LIBRORUM VETERIS ET NOVI TESTAMENTI SECUNDUM VULGATAM EDITIONEM; quorum Catalogum, ex prima S. Clementis PP. Epistola ad Corinthios, aliisque ex Patribus receptum fuisse probavimus in LIBRO HISTORICO, cap. 3. pag. CLXVIII *hujus nostrae Demonstrationis Historiae Ecclesiasticae Quadripartitae*, disserentes *de Canone Divinarum Scripturarum ab Ecclesia recepto ante & post Christum natum*. Vide etiam, si lubet, ejusdem Libri Historici cap. 4. pagina CLXXXIV, ubi (duce S. Hieronymo in Praefatione *in Lib. Regum*, & in Praefatione *in Danielem* egimus de summa Librorum Sacrorum ab Hebraeis in tres Classes digesta, nempe *in Legem*, *in Prophetas*, *& in Hagiographa*: asserentes, hanc Divisionem in tres Classes, etiam Christum Dominum innuisse, cum Discipulis post Resurrectionem in Coenaculo loqueretur (Lucae 24. v. 44.), dicens, *Necesse est impleri omnia, quae scripta sunt in Lege Moysi, & Prophetis, & in Psalmis de me.* Quae verba huic num. 27. Tab. II. Saec. II. praefiximus. De singulis ergo utriusque Foederis Libris, quoniam scriptum a nobis est *in Vindiciis Canonicarum Scripturarum Vulgatae Latinae Editionis* typis impressis Romae an. 1744, atque in *Evangeliario Quadruplici Latinae Versionis Antiquae, seu Veteris Italicae*, publica luce donato an. 1749, nihil hoc loco attinet dicere; nisi quod ex Veteris Testamenti miraculis, prædictionibus, & figuris, in novo exitum nactis, appareat utriusque Foederis cohaerentia; atque etiam utriusque (& Christianae proinde Religionis, quae iis incumbit) veritas eluceat. Ita autem asserta Christiana Religione, Veterum Ethnicorum universa corruit Theologia, in qua convellenda nulla fere deinceps opera *in hac Demonstratione Historiae Ecclesiasticae Quadrip.* erat collocanda. Hoc argumenti genere usi sunt saepe Justinus, Irenaeus, Tertullianus, Cyprianus, Eusebius, aliique multi; id unum ad revincendam adversantium Ethnicorum insaniam satis esse arbitrantes, quod ex Vaticiniorum, & Figurarum complemento peti solet. Telo hoc, quod nobis Prophetæ subministrant, viriliter usi sunt etiam Ammonius in consensu Mosis & Jesu, Theodoretus in libro ejusdem argumenti, Aristo Pellæus in Disputatione Jasonis & Papisci, ac Origenes contra Celsum; imo & Apostoli ipsi, & Evangelistae, & Princeps Apostolorum Petrus, qui Christianos collaudat, quod ad Propheticum sermonem, tamquam ad lampadem in caliginoso loco lucentem, attenderent; quippe quod erat firmissimum Christianae causae praesidium. Cum Augustinus olim inter Philosophorum, Christianorumque dogmata incertus diu multumque fluctuasset, ut scribit *Confessionum* lib. 6. cap. 1, tandem ad Scripturae Sacrae veritatem amplectendam hac praecipue ratione adductus est, ut animadvertit Huetius. INDICULUS TAB. II. SAEC. II

28. MISIT MOYSEN SERVUM SUUM, ET AARON, QUEM ELEGIT IPSUM. POSUIT IN EIS VERBA SIGNORUM SUORUM ET PRODIGIORUM IN TERRA CHAM, ex Psal. CIV. vers. 26. & 27. Moyses, *Servus Dei*, quasi proprio & peculiari cognomento, dictus est: *& crediderunt* (inquit ipse de se *Exodi* XIV. v. 31.) *Domino, & Moysi servo ejus.* Dominus ipse (*Numerorum* XI. v. 7.) ait: *At non talis servus meus Moyses. Quare ergo non timuistis detrahere servo meo Moysi?* Rursus (*Deuteron.* XXXIV. v. 5.) *mortuusque est ibi Moyses servus Domini.* Et paulo post (*Josue* I. v. 1.) *& factum est post mortem Moysi servi Domini, ut loqueretur Dominus ad Josue, & diceret ei: Moyses servus meus mortuus est.* Aegyptus, terra Cham appellatur, eo quod Cham filius Noe ibi commoratus est, & Mizraim unus ex filiis ejus, eam cultoribus frequentem effecit. Lege Exodum cap. 2. v. 23. 24. & 25, cap. 3. toto, & cap. 4. v. 1. & seqq. usque ad 27. ubi clarior habetur explicatio verborum a nobis hoc nu. 28. recitatorum ex Psalmo 104, quibus exprimitur Missio Moysis, & Aaronis, ac data utrique potestas edendi signa, ut illos a Deo missos crederent Aegyptii. Quod attinet ad Aaronis electionem, ea tum primum videtur facta,

Indiculus Tab.II Saec.II

quando Deus praecepit, ut iret in occursum fratris. Is, inquit Philo *de Vita Mosis*, jam antequam adjungeret sibi Moyses comitem, habebat praeparatam divinitus animam ad obsequium, ut incunctanter assentiret, sequereturque. Addit Josephus, Moysem cum Aarone mox ulterius progressum, obvios invenisse praestantissimos quosque Hebraeorum, qui adventum ejus praesenserant. Istam primam Aaroni factam apparitionem in Aegypto credibile est; ac de ea intelligi verba Domini ad Heli *Regum* 2. v. 27. Igitur Aaron electus fuit a Deo, non solum ut sermonem haberet pro Moyse ad Populum, sed etiam ut signa faceret, atque ut fungeretur Sacerdotio, quod ei postea ipsemet Moyses contulit, tamquam Sacerdos, sive Pontifex extraordinarius. Mystice Hieronymus (in *Michcae* cap. 6.) in misso Moyse spiritalem Legem accipit, in Aarone Magno Sacerdote signaculum sanctitatis in fronte, quod Deus Pater signavit. Moyses, & Aaron in Aegypto miram exercuerunt potestatem, quam illis contulit Deus, ut in nomine illius, ac de illius mandato miracula perpetrarent. Porro Christum sui similem (inquit Doctissimus Huetius *Demonstrationis Euangelicae* Proposit. IX. cap. 170. pag. 625.) olim proditurum, vaticinatus est Moses, cum dixit: *Prophetam de Gente tua, & de fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus: ipsum audies* (*Deuteron.* 18. v. 15.). Hujus oraculi veritatem in Jesu eluxisse, palam testati sunt Petrus, & Stephanus (*Actor.* III. v. 21, & VII. v. 37.), & accurata ac luculenta comparatione probavit Eusebius libro *Demonst. Euangelicae* tertio. Cujus Comparationis summa sequar cum Huetio fastigia. Utrumque Deus Principem ac Ductorem misit; Mosem Hebraeorum, hominum omnium Jesum. Uterque se a Deo missum, magnis approbavit miraculis. Moses Hebraeos ex Aegyptiorum servitute vindicavit in libertatem; Jesus homines Daemonum omnium mancipatos vinculis exemit: Moses Hebraeis per Desertum ad Terram Promissam; Jesus hominibus per vitae hujus angustias ad Caelestem Patriam ducem se praebuit: Moses nutu mare sistit, & exsiccat; Jesus saevientes ventos fraenat, & tumidos fluctus dictis sedat: Moses Hebraeos trans mare salvos ducit & incolumes; Jesus fluctibus suspensus, graditur supra mare, & Petro idem posse concedit: Moses Hebraeos; Jesus homines ab Idolorum cultu avertit: Moses Hebraeis; Jesus universo Generi Humano leges sanxit: Moses Hebraeos, trajecto Mari Rubro, Aegyptiorum tyrannidi subduxit; Jesus hominibus per baptisma jugum Daemonum detraxit: Moses Deum inter & Hebraeos conciliatorem & proxenetam se gessit; *unus mediator Dei & hominum Christus Jesus*, ait Paulus in priore Epistola ad Timotheum cap. 2. v. 5: *Fuit* Moses *cum Domino quadraginta dies, & quadraginta noctes, panem non comedit & aquam non bibit* (Exodi 34. v. 28.); Jesus, *cum jejunasset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, postea esuriit* (Matthaei cap. 4. v. 2): Moses splendida facie descendit de monte; Jesus, conscenso cum tribus Apostolis monte, *transfiguratus est ante eos, & resplenduit facies ejus sicut sol*. Esurientibus Hebraeis, coturnices & manna de Caelo, & aquam de rupe sitientibus Deus per Mosem administrum, & interpretem, in Deserto largitus est; Jesus turbæ in Deserto fame languenti cibaria non semel suppeditavit, & aquam Vitae se gratis daturum pollicitus est: Septuaginta Viros de Senibus Israelitis, Populi Magistros ac Duces constituit Moses, cujus & spiritum cum illis communicat Deus; Jesus Discipulos LXXII. quoquoversus dimittit doctrinae suae praecones, & spiritu suo afflatos: Mariam lepris laborantem sanat Moses; hominem Jesus eodem morbo affectum sanitati restituit. Moses XII Exploratores in Terram Chanaan; Jesus XII. Apostolos in Universam Terram mittit. Oseae filio Nun, Josuae nomen imponit Moses; Simonem Jesus Petrum dici jubet. Veteris Testamenti sequester Moses; Novi conditor Jesus. His adde, Mosem, ac reliquos etiam Israelitarum liberos, statim ab ortu, nefario Pharaonis mandato fuisse morti addictos; Jesum nascentem, ab Herode fuisse ad mortem quaesitum, reliquos etiam Bethlehemitici tractus infantes trucidatos: Mosem vero, & Jesum, parato sibi letho a parentibus fuisse subductos. Denique, quemadmodum reliquis Prophetis longe praestitit Moses, sive Propheticam facultatem spectes, sive patrata miracula, quod toto capite probat Maimonides (in More Nev. Part. 2. cap. 35); ita eos, atque ipsum etiam Mosem, Christus longo intervallo superavit, & quoad vim futurorum praesciam, & quoad prodigiorum edendorum facultatem. In Aaron quoque Christi Jesu constat simulacrum. Hic Novae Legis Pontifex (quod fusa disputatione

ne probat Paulus in Epistola ad Hebraeos); ille Priscae: Unctus ille oleo ex baccis arborum expresso; hic oleo laetitiae: *Dixit Dominus ad Moysen, ecce constitui te Deum Pharaonis, & Aaron frater tuus erit Propheta tuus* (*Exodi* 7. v. 1.); de Christo Jesu dixit Moyses, *Prophetam de Gente tua, & de fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus: ipsum audies* (*Deuteron.* 18. v. 15.): Semel ille in anno Sancta Sanctorum inibat solus, *non sine sanguine, quem offerebat pro sua, & Populi ignorantia*; Christus Jesus *per proprium sanguinem introivit semel in Sancta, aeterna redemptione inventa* (*Hebraeor.* 9. v. 7. 9.): De Aaron sic Deus ad Moyseon, *Portabit Aaron iniquitates eorum quae obtulerunt, & sanctificabuntur filii Israel* (*Exodi* 28. v. 38.); de Christo Jesu sic Isaias cap. 54. v. 4. & seq. *vere languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit, & non putavimus eum, quasi leprosum, & percussum a Deo, & humiliatum: ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra; disciplina pacis nostrae super eum, & livore ejus sanati sumus*: Deum inter, & homines sequester fuit Aaron; *unus mediator Dei & hominum homo Christus Jesus* (*I. Timoth.* 2. v. 5.): Deum Aaron, respersso *sanguine Testamenti Veteris, quod mandaverat ad Israelitas Deus*, facinorosis hominibus reddebat propitium; Christus Jesus *Novi Testamenti mediator est, ut, morte intercedente, in redemptionem earum praevaricationum, quae erant sub priori Testamento, repromissionem accipiant, qui vocati sunt aeternae haereditatis* (*Hebraeor.* 9. v. 15. & 20.): In seditione Core, Dathanis, & Abironis, cum grassaretur incendium, & noxios sacer ignis corriperet, Aaron *stans inter mortuos, ac viventes, pro Populo deprecatus est, & plaga cessavit* (*Numeror.* 16. v. 48.); saeviente peccatorum lue, & Humanum Genus depascente, in tutum subduxit nos Christus, & periculo exemit, *unde & salvare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deum, semper vivens ad interpellandum pro nobis* (*Hebraeor.* 7. v. 25); neque solum ad vivos, ac porro victuros, sed ad defunctos etiam mortis suae beneficium pertinere voluit; & Veteris Testamenti promissiones, Novi beneficiis abunde persolvit.

29. ANACLETUS SEDIT ANN. XII. MENSES X. DIES VII, ex picturis positis io Basilica S. Pauli Via Ostiensi vel a Beato Leone Magno una cum Musivo, vel a Symmacho Papa, in pariete Australi navis medianae ejusdem Basilicae. Ex quatuordecim Manuscriptis Catalogis Romanorum Pontificum relatis a Francisco Blanchino Patruo meo in Prolegomenis ad *Anastasium Bibliothecarium* Tom. 2. pag. LXXXIX, septem dant Anacleto annos XII; octo, menses X; & undecim, dies VII. Anacletum vero, ut idem scribit in Notis ad ejus Vitam Sectione v. pag. 64, a Cleto decessore distinguendum esse (quos confuderant aliquando antiqui Scriptores, etiam ex Patribus, nominis affinitate permoti, non secus ac Eusebius ex Marcellino, & Marcello, unicum conflavit Pontificem), pervicit Schelestratius *Antiq. Illustr.* Dissertatione 2. cap. 2, osteodens, id valide comprobari ex certis Romanae Ecclesiae documentis; cum Patria, Parentes, Epochae utriusque Sedis, & Martyrii, sint admodum diversae; uti constare potest ex Consulibus utrique assignatis apud omnes Catalogos, & Libros Lectionarios, mirifice in iis consentientes, etiam si Codices illi differant in numero annorum, mensium, ac dierum, iisdem Pontificibus attributo. Cum itaque omnium Codicum tanta concordia sit in primo, ac postremo Consulatu Sedis Anacleti, nempe ex decimo Domitiani collega Sabino (Christi 84), ad Domitiani decimum septimum collega Clemente (Christi 95); & cum Cleti Martyrium consignetur die 26. Aprilis, Domitiano VIIII. & Rufo Consulibus (Christi 83), Anacleti vero die 13. Julii, Domitiano XVII. & Clemente Consulibus (Christi 95); consequitur, ut hisce ex testimoniis numeri annorum vitiati a descriptoribus, & variantes, redigantur ad veram lectionem, assignatis Consulibus respondentem. Erat annus Martyrii S. Cleti, signatus Consulibus Domitiano VIIII. & Ruso (Christi 83); dies vero, 26. Aprilis: inde ad diem 26. Aprilis Christi Epochae 95, Domitiano & Clemente Consulibus, numerantur anni solidi XII; & ad proximos Consules Valentem & Veterem, Aerae Christi 96. attributos, & primos, ex Evaristo assignatis, praedicta die 26. Aprilis claudit annos solidos XIII. Tum a die 26. Aprilis, ad diem 13. Julii Martyrio Anacleti notatum, consequuntur menses 2. & dies 17. Ex ea summa annorum 13. mensium 2. ac dierum 17. demptis 12. —— 10. —— 7. qui

Sedi

INDICULUS TAB. II. ІАРÇ.II

Sedi Anacleti assignantur, tum in Picturis Basilicae S. Pauli, tum in vetustissimis Catalogis, aetate Liberii, ac Felicis Quarti collectis, quatriduo tantum ab ea summa discrepantibus; reliqui sunt menses 4, & dies 10, tribnendi vacationi Sedis inter Martyrium Cleti, & Pontificalem ordinationem Anacleti, incidentem, juxta hujusmodi computationem, in diem Dominicam 7. Septembris anni 83. Nam inde si coeperis numerare summam annorum XII, mensium X, & dierum VII, quos eahibent in Anacleto Picturae S. Pauli, Martyrinm Anacleti pariabitur cum die 13. Julii, qua colitur, & cum anno Christi 96, Valente & Vetere Consulibus, Evaristi primo in Catalogis constituto. Causam vacationis tam diuturnae, ad quadrimestre spatium eatensae, satis probabilis reddi potest, si Ecclesiae constitutio perpendatur per ea tempora, quae Martyrem effecerant Cletum; & praecipuorum Virorum Cleto superstitum conditio, ac gesta animo repetantur; ut prosequitur demonstrare Patruus meus amantissimus eodem Tomo II. *Anastas. Biblioth.* pag. 65.

30. SUCCESSORES IN PETRI CATHEDRA. *Clement Apostolorum Discipulus compluribus libris editis, Epistolis Encyclicis ad Ecclesias datis, Actisque Martyrum conscribendis septem Notariis attributis, Juris, & Historiae Ecclesiasticae fundamenta jacit.* Vide Joannem Baptistam Cotelerium Socium Sorbonicum, & in Parisina Academia Regium Professorem Linguae Graecae in celebri Commentario, quo illustravit Opera SS. Patrum florentium temporibus Apostolorum, ubi agit de S. Clemente; item Doctissimum Petrum Coustantium Presbyterum & Monachum Ordinis S. Benedicti e Congregatione S. Mauri in Collectione *Epistolarum Romanorum Pontificum, & illarum, quae ad eos scriptae sunt,* a pag. 6. ad 50 Tomi I. editionis Parisien. an. 1721. demum *Notas Variorum*, ad Vitam S. Clementis, Tom. 2. *Anastasii Bibliothecarii* p. 41. & seqq. editionis Salvionianae 1723 opera & studio Francisci Blanchini Patrui mei, Clemens, (inquit laudatus Coustantius) Veterum testimonio ut Apostolorum aequalis celebratur. Quamobrem non alius creditur, ah eo, cujus Paulus *Philip.* 4. v. 3. meminit. Licet vero hunc a Petro Episcopo ordinatum Tertullianus lib. *de Praescript.* cap. 32. tradat, atque Aevo Hieronymi, ipso Hieronymo teste, *plerique Latinorum secundam post Petrum Apostolum putarent fuisse*, idem tamen Hieronymus, necuon Epiphanius, Augustiuns, Optatus, Eusebius, Scriptor Poematis adversus Marcionem Tertulliano olim tributi, & Irenaeus, sicut & Veteres Romanorum Pontificum Catalogi, proximum Petri Successorem non Clementem, sed Linum designant. Ita ille intelligi potest a Petro ordinatus Episcopus ad Episcopalia, seu Apostolica munia obeunda, ut nulli tum Ecclesiae esset alligatus; sed post mortem Lini, & Cleti, a Romanis in Episcopum proprium cooptatus fuerit. Anno Christi 91 Clemens in Cleti locum suffectus creditur. Romanam Sedem in Bucheriano quidem Catalogo *annis IX. mensibus XI. diebus XII*; in Corbejensi autem *annis IX. mensibus X. die I.* obtiuuisse memoratur. Eum anno Trajani Imperatoris III. hoc est Christi 100, *eum totos novem annos praedicationem Verbi Divini procurasset*, e vita abiisse Eusebius lib. 3. *Historiae* cap. 34. scribit. Huc usque Coustantius pag. 9. Sed Franciscus Blanchinus Patruus meus in Notis Chronologicis *in Pontificatum SS. Clementis, & Cleti* To. 2. p. 31. n. 6. nervis omnibus conatur ostendere, B. Clementem Romano Pontificatu functum fuisse ante B. Cletum; hunc vero nonnisi ea illius abdicatione, vacante Cathedra Petri, ad eamdem evectum Cleri Romani suffragiis; illamque tenuisse (donec Martyr occumberet sub Domitiano) pluribus annis ante martyrium Clementis, reservatum ad annum Trajani tertium: & idcirco Cletum maturius Clemente relatum in diptycas Martyrum; & in Canonem Missae utroque in loco praeponi Clementi: cui tamen in serie Pontificum Romanorum vetustissima (Catalogo scilicet Liberiano) jure postponitur; cum Clemens sederit Petri & Lini successor, atque Sedem dimiserit ante Cleti Pontificatum. De Epistolis S. Clementis vide memoratos Auctores. Primam ad Corinthios, datam ex persona Romanae Ecclesiae, laudant Irenaeus lib. 3. cap. 3, & apud Eusebium lib. 5. cap. 6, Clemens Alexandrinus *Stromatum* lib. 1. 4. 5. & 6, Origenes lib. 2. *de Principiis* cap. 3. & *in Joannem* I. v. 29, Hegesippus apud Eusebium lib. 4. cap. 22; atque (ut silentio praetermittam Scriptorem Quaestionum, Justini nomine vulgatarum, Epiphanium, Hieronymum, & Photium) Eusebins ipse, qui lib. 3. Histor. Eccles. cap. 6. haec literis consignavit; *Hujus Clementis Epistola habetur ad Co-*

Corinthios scripta, praecipua plane, & valde mirabilis, quam velut ex persona Romanae Ecclesiae dictavit, cum dissensio apud Corinthios esset exorta. Quam Epistolam in plurimis Ecclesiis publice legi, & Veterum, & nostris etiam temporibus constat. Secundam quoque S. Clementis Epistolam ad Corinthios (de praestantia vocationis Christianae, de mundi contemptu, poenitentiae locum non esse post hanc vitam, de resurrectione carnis, de bonis promissis praesentium voluptatum abdicatione promerendis) scriptam commemoravit Eusebius lib. 3. Hist. Eccl. cap. 38. *Sciendum autem est* (inquit), *quod & Secunda quaedam Clementis Epistola esse dicatur: eam autem non similiter, ac priorem, notam esse comperimus; quoniam nec Veteres ea usos esse novimus.* Observat tamen Cotelerius, haec Eusebii verba aliter a Rufino, atque indiligenter de more, reddi, neque magis accurate a S.Hieronymo lib. *de Script. Ecclesiast.*, cujus sententiam sequutus est Photius *in Bibliotheca* Cod. 113. S. Epiphanius *Haeresi* 27. num. 6 S.Clementem *in una Epistolarum suarum* citat, & *Haeresi* 30. num. 15. laudat *Epistolas circulares, quas* (idem Pontifex) *scripsit, quaeque in Sanctis Ecclesiis leguntur*, & in quibus *Virginitatem docet*; quae profecto non aliae sunt, quam Prima, & Secunda ad Corinthios. Etenim S.Hieronymus, in dicto lib. *de Script. Eccl.* cum duas tantum Clementis Epistolas recenseat; eas ipsas, quas S. Epiphanius proxime laudavit, libro I. adversus Jovinianum ita commendat, *Ad hos* (Eunuchos) *& Clemens successor Apostoli Petri, cujus Paulus Apostolus meminit, scribit Epistolas, omnemque sermonem suum de Virginitatis puritate contexuit.* Praeter has duas Epistolas, quinque aliae circumferuntur S. Clementis Epistolae, quarum duae priores sunt ad Jacobum Fratrem Domini; tertia ad omnes Episcopos, Presbyteros, & Fideles; quarta ad Julium, & Julianum; quinta demum ad Hierosolymitanos: sed cum istae omnes tamquam supposititiae ab Eruditis rejiciantur, sicut & decem Libri Recognitionum, Itinerarium S. Petri, Disputatio ejusdem Apostoli cum Appione, & Liturgia; de iis, utpote jam inter nothos foetus rejectis, agere supervacuum, & inutile judicamus. Id tantum nolumus silentio praeterire, in Libris Recognitionum, personatum Clementem commemorare, se alios quoque edidisse Libros, nempe Libro III. librum *de vero Propheta*, libro III. *de praefinitione Dei*, & libro V. alios *decem Recognitionum libros*. Vide Cotelerium in Patribus Apostolicis, Natalem Alexandrum *Hist. Eccl.* Saeculo I. & Bencinum in Notis *ad Anastasium Bibliothec.* Tom.II. pag.42. De Notariis a S.Clemente ordinatis, quibus Urbis Regiones divisit, ut singuli res gestas Martyrum, sollicite & diligenter per Regiones suas conquisitas, describerent, egimus alibi in hoc Indiculo.

31. AUCTORES PROPHANARUM LITERARUM, de quibus scribemus infra in hac Tabula suis locis. Vide tamen, quae diximus supra in Libro Antiquario hujus nostrae *Demonstrationis Historiae Ecclesiasticae Quadripartitae* pag. CCXLIII. & seqq., differentes *de Auctoribus praecipuis Ethnicorum, qui ante inventas Literas celebrantur: & de multiplici Hermete sive Mercurio, ejusque nomine, aetate, simulacro, historia, & inventis, potissimum Hieroglyphicae, Notariae, ac Literariae Scripturae ipsi attributis: ubi etiam agitur de Hermis Antiquorum, tam Mercurio positis, quam reliquis Viris Literarum laude praestantibus: item de triplici Atlante &c.*

32. FORTIS IN BELLO JESUS NAVE, SUCCESSOR MOYSI IN PROPHETIS, QUI FUIT MAGNUS SECUNDUM NOMEN SUUM, MAXIMUS IN SALUTEM ELECTORUM DEI, *Ecclesiastici* cap.46. v.1. Procopius Caesareae in Palaestina ortus & Africanarum rerum ob triennalem incolatum, scientissimus, lib. IV *de Bello Vandalico* p.355. edit. Basileae anno 1531. quandam Inscriptionem reliquis omnibus antiquitate praeferendam nobiscum communicavit, cum hoc scitu dignissimum literis tradidit: „ Et quando in hunc incidimus sermonem historiae, necesse fuerit Maurusiorum originem repetere, & unde in Africam ab initio venerint. Postquam enim Hebraei ex Aegypto reverterunt, atque in Palaestinae finibus constiterunt, Moses Vir sapiens, qui eos in itinere ducebat, moritur. Cui Jesus Nave filius successit, qui & in Palaestinam Populum introduxit, ac virtutem supra hominis naturam longe ostendens, Regionem habuit, unde Gentes evertens, multas Civitates facile paravit, ac omnibus inexpugnabilis visus. Tunc igitur universa Regio maritima a Sidone, usque in Aegypti fines, Phoenicia est appellata, quibus unus jamdudum imperabat, uti omnes testantur, qui antiquam Phoenicum scripsere

re historiam. Heic Populi nnmerosi habitavere Gergesaei, Jebusaei, aliaque habentes nomina in Hebraeis voluminibus memorata: qui, quum inexpugnabilem conspicerent advenarum exercitum, patrios fines deserentes, in Aegyptnni vicinam migraverunt; ibique numero, ac sobole crescentes, quum non satis commodum tantae multitudini locum invenissent, in Africam penetravere, ubi Civitates qnamplures habitantes, omnem eum tractum usque ad Herculis columnas tennerunt; Semiphoenicia lingua, ac catalecto utentes: Oppidumque Tingen situ munitissimum in Numidia aedificaverunt, ubi duae ex albo lapide columnae prope magnum fontem coustitutae; in quibus Phoenicum lingua literae incisae sunt hujuscemodi: NOS A FACIE FVGIMVS IESV PRAEDONIS FILII NAVE. Hi demum quod nulli siut eis antiquiores, Aricae Indigenae dicuntur esse: cujus rei gratia Rex quondam eorum Antaeus, qui in Palaestra cum Hercule congressus est, terrae filius est appellatus. Tempore vero procedente, qui e Phoenicia cum Didone venerunt, hic ob suorum consanguinitatem constiterunt, eisque permittentibus Carthaginem condidere: quae potentia, ac hominum multitudine adeo crevit, ut vicinis bella intulerit, & Maurusios ipsos, qui priores e Palaestina venerunt expulerit, ac procul ab eis habitare jusserit,,. Josue filius Nun, a Graecis & Phoeniciis vocatus *Jesus filius Nave*, fuit successor Moysi in Prophetiae spiritu, & in Regimine Populi. Hebraeis promiserat Moyses *Deuteron.* XVIII. v.15. futurum, ut, se mortuo, Deus Prophetam sibi similem suscitaret: quae praedictio ad unquem adimpleta nequaquam fuit, nisi in Persona Jesu Christi. Verum Josue meritus est immediate Hebraeorum Legislatori succedere, & Magnum illum Prophetam, quem praestolabantur, praesignare, nempe Christum, qui *fuit magnus secundum Nomen suum*. Josue primum nomen *Osee* fuit (*Numer.* 13. v.9. & 17.), cui Moyses Dei nomen addens, *Josue* nuncupavit. *Hoseah* Salvatorem sonat, *Jehosua* vero *Dei salutem*, sive, *ipse salvabit*: fuit enim Salvator Israel, & typus Jesu Christi, ut diximus supra in Indiculo hujus Tabulae num. 4. Proximus morti Josue, Israelis Tribus omnes in Sichem convocavit, Foederisque Arcam deferri jussit. Heic, enumeratis beneficiis, quae Dominus Israelitis coutulerat, ipsosque Domino fidem servare hortatus, Domini voce cum Populo foedus inivit: idemque Populus fidem Domino, & obedientiam jurejurando promisit. Haec Josue in Libro Legis Domini exaravit: neve illorum memoria periret, ingentem lapidem sub quercu prope Sichem in monumentum erexit. His expletis, obiit annos natus centum & decem. Elogium Josue Viri Sanctissimi Spiritus Sanctus his verbis concepit: *Fortis in bello Jesus Nave successor Moysi in Prophetis, qui fuit magnus secundum nomen suum, maximus in salutem electorum Dei, expugnare insurgentes hostes, ut consequeretur haereditatem Israel. Quam gloriam adeptus est in tollendo manus suas, & jactando contra Civitates romphaeas? Quis ante illum sic restitit? nam hostes ipse Dominus perduxit. Annon in iracundia ejus impeditus est Sol, & una dies facta est quasi duo? Invocavit Altissimum potentem in oppugnando inimicos undique, & audivit illum magnus & Sanctus Deus in saxis grandinis virtutis valde fortis. Impetum fecit contra gentem hostilem, & in descensu perdidit contrarios, ut cognoscant Gentes potentiam ejus, quia contra Drum pugnare non est facile. Et secutus est Omnipotentem* (*Josue* VIII).

33. EVARISTUS SEDIT ANN. IX. M. VII. D. II. ex Picturis Leonianis in Basilica S.Pauli Via Ostiensi. Vetustissimus Catalogus Corbejensis, numerat annos VIII. menses X. dies II; alius vero, nempe Felicis Quarti, annos IX. menses X. dies II; Colbertinus primus, ann. IX. dies II. & Colbertinus secundus, annos IX. menses VI. dies II. Eusebius vero ei tantum annos IX. Pontificatus assignat, mensibus, & diebus praetermissis. At Liber Pontificalis *Anastasio Bibliothec.* tributus, numerat annos IX. menses X. dies II. proxime accedens ad Picturas Saeculi Leoniani. Infra dicetur, an sibi constet hic Liber, dum *a Consulatu Valentis & Veteris, usque ad Gallum & Braduam Consules*, hoc est ab anno Christi 96, usque ad an. 108, Evaristum sedisse notat. Pontificatus ejus in Bucheriano qunque Catalogo *a Consulatu Valentis & Veri* (lege *Veteris*), *usque Gallo & Bradua* designatur. Patruus meus amantissimus Franciscus Blanchinus, primus omnium detexit, ac ope telescopiorum, ac descripsit, ac publici juris fecit Tom. II. *Anast. Bibl.* pretiosas reliquias illius Catalogi archetypi Pontificum Romanorum, superstitis in Australi pariete interno dictae Basilicae S.Pauli Via Ostiensi, quem nos in his Tabulis *Hist. Ecclesia-*

siasticae Quadripar. omnium aspectui iterum exhibemus. Quoniam vero numeris quandoque consumptis, aut fere evanescentibus, aliqua pars illius Catalogi Leoniani non erat valde conspicua, praesertim a S. Petro, usque ad S. Innocentium I., ajunt, in numeris annorum Cathedrae describendo, Praesulem diligentissimum oculo vel armato quandoque peccasse: praesertim cum ex humili loco, ex pavimento scilicet Ecclesiae, observaret Epigraphes, & literas numerales indices annorum cujusque Sedis, sive Chronologiae, depictas in editiori loco, eoque non satis claro, atque, ducentis fere palmis inter picturam & oculum interceptis, dissito a pavimento ejusdem Basilicae. Quare Sanctissimus Dominus Noster BENEDICTUS PAPA XIV. venerandae antiquitatis cultor eximius, & Magni Leonis Praedecessoris Sui aemulator egregius, eundem Leonianae aetatis Catalogum (primum a Blanchino detectum, una cum imaginibus eorumdem Pontificum Romanorum, depictis super coronide parietis Australis in stylobate per totam Navis longitudinem producto), admotis schalis, extructoque pensili tabulario, iterum describendum, instaurandumque curavit, atque ad nostra usque tempora produci jussit; demandata provincia Cl. Viro Joanni Marangono Sacerdoti Oratorii S. Hieronymi Charitatis, qui illum Pontificio aere in Tabulis aeneis delineatum, ac secundis curis ad archetypum exactum, diligentissime evulgavit an. 1751, in Libro, cui fecit titulum *Chronologia Romanorum Pontificum superstes in pariete Australi Basilicae S. Pauli Apostoli Viae Ostiensis, descripta Saeculo V. seu aetate Sancti Leonis Papae Magni.* In eo vero pagina 5. haec de Sancto Evaristo literis consignavit: *Epocha illius sedis, quoad annos extendenda minime videtur ultra ann.* IX. *& menses, ac dies aliquot. Cl. V. Blanchinius cum ex pavimento Basilicae S. Pauli hanc imaginem S. Evaristi contemplaretur tubo optico, & unanimis elementum* X. *detexisset, putavit ibidem defecisse tres alias unitates, ut integer haberetur numerus annorum* XIII, *ut jam percipiebat ex textu Anastasii Bibl. necnon ex octo Catalogis, quos prae manibus habebat hinc tria elementa* I. *parvo charactere: literae* X. *adjecit. Verum nos, deterso pariete, ac beneficio aquae superfusae, manifeste conspeximus, unum elementum* I. *ante* X. *extare: immo, & inter* X. *&* M. *subsequentem, tantum spatii non fuisse relictum, ut in eo tria apponi potuerint elementa. Hinc integra Epocha Sedis S. Evaristi apparuit esse* A. IX. M. VII. D. II. *Huic etiam, quoad annos, consonat Baronius, qui differt tantum, menses tres enumerando. Ex Codicibus quoque ab ipso Blanchinio adductis, qui est Felicis IV, & Colbertini 2, & 3, eundem numerum annorum proferunt: ac nonnulli ex Codicibus Vaticanis a Vignolio exhibitis idem exhibent. Codex Bibl. Reginae Sueciae a Schelestratio relatus habet Ann.* IX. *M.* X. *ac dies* II. Oculari testi piissimo, ac veritatis maxime tenaci Viro, Joanni Marangonio minime contradicam. Tabulas tamen proferam, seu documenta, quibus innititur Anastasiana Patrui mei Chronologia, quae tribuit S. Evaristo annos XIII. menses VII. dies II. Martyrii diem S. Evaristi Papae referunt Tabularia Ecclesiae Romanae, & Veterum Martyrologia inde sumpta ad diem 26. Octobris; annum vero, Catalogi Liberii, & Felicis IV ad Consules Gallum & Braduam, seu annum Christi 108. Terminus confirmatur ex initio Alexandri successoris, signato Consulibus Tullo & Palma, pertinentibus ad annum Christi 109. Octo Catalogi, aliaque documenta collecta in Prolegomenis Tomi II. *Anast. Bibliothec.* fol. LXXXIX. attribuunt Evaristo Sèdis Episcopalis annos tredecim, menses septem, dies duos. Incidet itaque exordium Evaristi in annum Christi 95. & in Martii diem 25. signatam & sacratam etiam antiquitus *Incarnatione, & Passione Domini*, quemadmodum spectatur incisa in marmorea Cathedra S. Hippolyti Episcopi & Martyris anno primo Severi Alexandri, e Coemeterio S. Laurentii extra Muros effossa, & a pluribus edita, atque illustrata, cujus typum attulit idem Patruus meus in Notis ad Vitam S. Victoris, atque ego *in hac Demonst. Hist. Eccl. Quadrip.* Tab. III. Saec. II. n. 19. 20. 56. & 57. Consules anni Aerae Christi Communis 95, sunt *Domitianus XVII. & Clemens*; qui tribuuntur postremi Anacleto proximo decessori: quemadmodum Evaristi successoris exordio assignantur proximi *Valens & Vetus*, Christi 96. Ab his tamen Consulibus, ad Coss. *Gallum & Braduam*, non anni XIII. sed XII. tantummodo numerantur. Ut igitur summa annorum XIII. integra sit, necessario asserendum fuerit, Evaristum ordinatum fuisse Episcopum ab Anacleto anno 95, quo Pascha celebraverat die Dominica 29. Martii, *Domitiano XVII. & Clemente Consulibus*, quadrimestri

INDICULUS TAB. II. SAEC. II

INDICULUS TAB. II. SAEC. II

mestri fere spatio, antequam ipse Martyrio afficeretur. Ex eo anoo si ordinatus fuerit Episcopus die 25. Martii, anniversario Incarnationis, & Passionis Dominicae, (apud Christianos celebri etiam aetate S. Hippolyti, ac Tertulliani; cum io Marmore & Cyclo Paschali illius, hujus vero in Scriptis sub Severo ntroque facto, illustris habeatur), ad diem 23. Octob. anni 108, coostat summa annorum XIII. mensium VII. dierum II Evaristo attributa in documentis genuinis ac vetustissimis Romanae Ecclesiae supra indicatis.

34. ALTERO CHRISTI SAECULO ANACLETUS MEMORIAM BEATI PETRI CONSTITUENS, SACRARUM ANTIQUITATUM CURAM EXEMPLO SUO POSTERIS COMMENDAT. Anastasius Bibliothecarius in ejus Vita scribit: *Hic Memoriam B. Petri construxit, & composuit, dum Presbyter factus fuisset a B. Petro, seu alia loca, ubi Episcopi reconderentur sepulturae: ubi & ipse sepultus est juxta Corpus B. Petri III. Idus Julii.* Optatus Milevitanus lib. 2. ait: *Si Macrobio dicatur, ubi ille sedeat; numquid potest dicere in Cathedra Petri, quam nescio, si vel oculis novit, & ad cujus* MEMORIAM *non accedit, quasi schismaticus?* Et mox: *Ecce praesentes sunt ibi duorum* MEMORIAE *Apostolorum.* Et iofra: *Si nefas tibi videtur, aut reatum putas,* MEMORIIS *Apostolorum, & Sanctorum omnium communicasse.* S. Augustinus quoque in Psalm. 44. *Ostendatur* (ait) *mihi Romae in honore tanto Templum Romuli, in quanto ibi ostendo* MEMORIAM *Petri.* Et in Psal. 65. *Melius est, ut Romam cum venerit Imperator, deposito diademate, ploret ad Memoriam Piscatoris, quam ut Piscator ploret ad Memoriam Imperatoris.* Item in Psalm. 140. *Imperator venit Romam: quo festinat? ad Templum Imperatoris, an ad* MEMORIAM *Piscatoris?* Memoria ergo B. Petri, seu illa Aedificii structura ab Anacleto, dum adhuc Presbyter esset, in Vaticano extructa, (quam olim Antiquitas etiam *Tropaeum, Limen,* seu *Confessionem* nominavit) fuit quasi angularis unitatis, lapis, designans initia celeberrimi Vaticani Coemeterii, ubi exusta & lacera priorum Martyrum io Neroniana laniena Corpora recondita fuere, ac praecipue Pontificum Maximorum. Liber Anastasianus, cum Anacletum MEMORIAM seu sepulcrum construxisse docet, hanc constructionis causam assignat, quia videlicet Presbyter factus erat a Petro. Presbyteralis porro haec cura, Ordini annexa non est ex sua institutione, sed ex superaddita deputatione; quae alia noo est censenda, nisi ministerium assignatum, & officium Presbytero demandatum specialissimum, pro Martyrum necessitatibus in spiritu sublevandis, & pro universo salutis & propositi in fide exercitio eis exhibendo. Hanc sollicitudinem in eligendo, aptandoque Presbytero pro Martyrum cultura in iis, quae specialiter ad animarum salutem respiciebant, proprie Episcopalem fuisse, erudite de more ostendit Doctissimus Bencinus io Notis Anastasianis ad S. Anacletum Sect. v. To. II. p. 61. Quoniam vero S. Petrus Apostolus (*ut inquit in Notis Historicis ad Vitam ejusdem S. Anacleti Patruus meus*) in Secunda Epistola, praedicens proximam depositionem tabernaculi sui (juxta revelata sibi a Christo Domino (2. Petri l. 15.), ita promiserat, *dabo autem operam, & frequenter habere vos post obitum meum, ut horum memoriam faciatis;* stetit promissis. Quare eodem loco, ubi taberoaculum corporis deposuerat, colligi curavit Christianum Populum, undique Gentium ad Apostolica haec Limina confluentem, excitata per Anacletum Aedicula (pro recepta apud Romanos consuetudine construendi juxta Vias Cousulares hujusmodi Monumeota), quae in Basilicam omnium Maximam subinde excrevit, ut frequenter haberet nos post obitum suum, ac memores redderet mysteriorum ejus Fidei, quam nobis attulerat pignus Salutis, & Gloriae. Anacleto Presbytero haec officia pietatis divinitus inspirata fuisse, rei probavit eventus. Pontifex enim renunciatus, inter Petri Successores quartus, collegit cum Apostolorum Principe duos ab illo proximos, qui Romae passi fuerant ac necati: nam Clemens io Ponti Regionibus pro Christo occisus, ac sepultus, Romam serius perlatus est. Additus ipse quartus in designatione Conditorii, ad se pertraxit ceteros subsequentes. Cajus Christianus Scriptor in fine Secundi Saeculi hunc locum indicat *in Via Triumphali, quae ad Vaticanum ducit;* noo secus ac Via Ostiensi ostendebat *Tropaea Apostolorum,* Sepulcrum scilicet, Aediculam, & Coemeterium Petri in Vaticano, & proximorum ab illo Pontificum: quorum memoria in Canone Missae Romanae oominatim cum referatur, & inveniatur tam in antiquis vasis ad Sacrificium pertinentibus, quam in Diptychis, seu Tabulis, & Indiculis,

com-

complectentibus nomina in Sacrificio Missae post oblationem recitanda iisdem in Coemeteriis, ubi quiescebant, satis commendat antiquitatem sacri ritus, & consuetudinis, supparem constructioni ejusmodi Aediculae, ac MEMORIAE, B. Petro excitatae per Anacletum Presbyterum, & amplificatae per Anacletum ex Presbytero Pontificem Maximum; ut attribueret eandem communem Lino, Cleto, & Clementi decessoribus suis: quos idcirco nominatim recitari tum temporis fortasse instituit in Precibus ante consecrationem; & consuetudinem ostendit, a sequentibus aetatibus constantet custoditam, & ad nos derivatam, non sine auctoritate atque insinuatione utriusque Apostoli hujus Romanae Ecclesiae institutoris, Petri scilicet, ac Pauli: cum ille in Secunda Epistola cap. 3. versiculo secundo, nostram excitet in commonitione sinceram mentem, *ut memores simus Apostolorum nostrorum*; hic vero in cap. 13. Epistolae *ad Hebr.* (quam Hieronymus affirmat, reputari a plerisque, dictante Apostolo, a Clemente Romano conscriptam), nos moneat vers. 7. *Mementote Praepositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei: quorum intuentes exitum conversationis, imitamini fidem.* His enim *communicantes* (quod est, intuentes exitum, conversationis fidem imitari), *& memoriam eorum venerantes*, nomina recitamus. Atque haec dicta sufficiant de constructione per Anacletum Beatissimi Petri MEMORIAE, quae erat locus, ante alios Titulos sanctissimus semper habitus; utpote Confessio, Tropaeum, ac Limen Principis Apostolorum; ubi non solum Vigiliae, Psalmodia, Conventus antelucani, Liturgia, Sacrificium celebrabatur; sed etiam Ordinationes Sacerdotum habebantur, ac Ministrorum, quae sine Sacrificio praestari non consueverunt ex Traditione continenter servata, & luculenter asserta in Sermonibus Leonis Magni, Fideles convocantis per quatuor Jejuniorum Tempora, ut Sabbato de more vigilarent ad S. Petrum.

35. VIR SECUNDUM COR DEI DAVID FILIUS JESSE IN OMNI OPERE DEDIT CONFESSIONEM SANCTO ET EXCELSO IN VERBO GLORIAE, *Ecclesiastici cap.* 47. *v.* 9. David in omni vita sua solidam pietatem prae se tulit, Deoque apprime acceptus, Christi Figuram mirifice exhibuit. Ipse enim non vaticiniis dumtaxat suis, nec quod Bethlehemo ortus esset, sed gestis etiam rebus toto vitae curriculo Christum Jesum praemonstravit, expressiumque ejus typum postfuturis propofuit, & cum jussu Dei unctus est, & Rex creatus; & cum esu Panum propositionis Sacerdotem se gessit, utraque in se conjuncta & Sacerdotii & Regni potestate; & cum singulari adversus Goliathum certamine, populum jugo Philistaeorum exemit; perinde ut Jesus, expugnato Diaboli imperio, Humanum Genus in libertatem Filiorum Dei restituit: & cum variis illum laboribus, & angustiis exercuit Deus, priusquam ad Regiam Dignitatem eveheret; & cum Arcam a Philistaeis prius captam, de domo Abinadab reduxit Hierosolymam: item, ut Jesus Ecclesiam, fracta Diaboli potestate, certis sedibus constituit; & cum post traditum illi Regnum, filiorum suorum perduellionem & scelera expertus est; perinde ut adversus Jesum Regem patremque nostrum nova quotidie flagitia designamus; & cum pacem per eum Deus Populo suo peperit, & adversas ipsi Gentes subjecit, quemadmodum pacis a Deo nobis concessae sequester est Jesus, cui potestas omnis a Patre tradita est. Quare apud Prophetas Isaiam cap. 55. v. 3, Jeremiam cap. 30. v. 9, Ezechielem cap. 34. v. 25. & 37. v. 24, & Oseam ipsum cap. 3. v. 4. 5, Davidis nomen Christo tribuitur; ut animadvertit Huetius *Demonstrationis Evangelicae* cap. 170. Propositione IX. numero XVII.

36. ALEXANDER SED. ANN. X. M. VII. D. III, *ex Picturis Leonianis in Basilica S. Pauli*. Cl. Marangonius *in Chronologia Romanorum Pontificum* iisdem Picturis Leonianis subnexa, pag. 6. scribit: *In nostra Epigraphe, quae integra, quoad numeros omnes adhuc erat, habetur, sedisse* ANN. X. M. VII. *ac* D. III. *Quoad annos, Catalogi Vaticani apud Vignolium concordant; in ceteris discrepant. Undecim alii, relati a Blanchinio seniore, eundem numerum Annorum reddunt; decem signant Menses* VII. In Bucherii Catalogo, sedisse legitur *annos* VII. *menses* II. *diem* I. *a Consulatu Palmae & Tulli, usque Veliano* (lege *Aelio Lamia*) *& Vetere*, hoc est ab anno Christi 109. ad 116. Pontificalis Liber huic Catalogo in Consulari nota concinens, nihilo minus eidem Pontifici annos X. menses VII. dies II. tribuit. Eusebius vero *in Chronico* Pontificatum ejus simpliciter *annis decem* definit. Patruus meus amantissimus Franciscus Blanchinus, postquam antiquis

INDICULUS TAB. II. SAEC. II

tiquis documentis ostendit, certum terminum mortalis vitae & Pontificatus S. Alexandri figendum die 3. Maji An. Aerae Christi 117. Nigro & Aproniano Consulibus (qui primi tribuuntur Sixto successori Alexandri), ejusdem Sedis initium statuit ex Ordinatione ad Episcopatum, quae incidit in Autumnum anni 106. Scilicet Evaristus, exemplum secutus sui decessoris Anacleti, Vicarium Episcopum sibi Romae sublegentis in persecutione Domitiani, & Principis Apostolorum in Neroniana consecrantis Clementem; manus & ipse imposuit Alexandro, ut ex Presbytero ordinaret Episcopum Adjutorem suum, & Vicarium in Urbe: cujus ad Cathedram & successionem, Cleri suffragiis deinde vocatus diebus proximis a Martyrio Evaristi, novam Epocham Sedis adeptae incohavit, recte signatam in Catalogo Bucheriano Palma & Tullo Consulibus, Christi nempe an. 109 &c. Quare constat ratio utriusque Epochae in S. Alexandro, Ordinationis scilicet ad Episcopatum, & Enthronismi ad Romanam Sedem, ex fide, testimonio, & concordia Codicum, ac monimentorum; si statuatur B. Alexander ordinatus Episcopus Coadjutor S. Evaristi, sub initium Persecutionis Trajani anno Christi 107, die Dominica, 29 Septembris; &, post obitum Evaristi Martyrio coronati die 26. Octobris anno 108, si dicatur Electus Successor die 14 Novembris, & in Pontificia Sede collocatus die 3 Decembris ejusdem anni 108. Nam, a die Ordinationis, si numerentur anni X. solidi, menses VII, ac dies III, quot legimus in Picturis Basilicae S. Pauli; erit terminus summae dies 2 Maji anni 117 Aerae Christi, & dies proxima 3. Maji fuerit dies Depositionis. Alterius autem Epochae a collocatione in Pontificia Sede Romana die 3. Decembris anni 108, (post mortem decessoris, & suam Electionem), quae in Libro Anastasii, & in Catalogo 7. Colbertino signatur Ann. VIII, Mensium V, Dierum II, rationes pariantur cum hoc intervallo temporis, & Consulibus assignatis tam in Libro Pontificali, quam in Catalogis, & Libris Lectionum.

37. SUCCESSORES IN PETRI CATHEDRA. *Evaristus, Episcopo praedicanti septem Diaconis assignatis ad ministerium, stylum veritatis Angelorum imitatione communit*. Evaristus in Urbe Titulos divisit Presbyteris, idest singulis Ecclesiis imposuit Presbyteros, in eis ordinatos sub earum Titulo, ut scite adnotat Altaserra in Notis ad Evaristum. Numerus respicit institutionem Apostolicam septem Diaconorum; ministerium vero specialem sollicitudinem in Diaconis, Episcopo servitium exhibentibus. Numeri Diaconorum Sanctae Romanae Ecclesiae meminit S. Cornelius Papa in Epistola ad Fabium Antiochenum, apud Eusebium lib. 6. *Hist.* cap. 43. pag. 244, in qua, recensens Clerum, scribit, esse *septem Diaconos, totidemque Subdiaconos*. Quare in libro Pontificali in Vita S. Evaristi legitur, *hic Titulos in Urbe Roma divisit Presbyteris, & septem Diaconos constituit, qui custodirent Episcopum praedicantem propter stylum veritatis*. Franciscus Blanchinus Patruus meus, praeter causas hujus Decreti S. Evaristi expositas ab Altaserra loco citato, hanc putat contextus indicare, ut Episcopo praedicanti adesse teneantur Diaconi septem, idest quotquot in Ecclesia tunc temporis numerabantur; & quidem *propter stylum veritatis* (nempe, ut ipse interpretatur) *propter stylum veritatis addiscendum in ministerio praedicationis*: in quo scilicet ministerio etiam Diaconos exerceri ex officio non semel oportebat, quos in Ordinatione ita monet Ecclesia Latina: *Diaconos oportet ministrare ad Altare, baptizare, & praedicare*. Ex primis septem Stephanus Protomartyr, & Philippus, viventibus etiam Apostolis, quanta cum laude, quantoque animarum fructu praedicaverint, Acta Apostolica satis demonstrant. Docente igitur Plebem Pontifice, nemo e septenario Diaconorum numero abesse debuerat. Universi adstare jussi sunt, tamquam Discipuli a Doctore formandi ad magisterium veritatis, ejusque stylum, ut pari cum fide, simplicitate, ac dignitate verbum Dei populis annuntiarent: quando, mandante Episcopo, aut Spiritu Sancto jubente per suos Praepositos, & ipsi ad praedicandum mitterentur. Quomodo enim audient, sine praedicante? aut quomodo praedicabunt, nisi mittantur? Quare & Apostolus Timotheum, quem primo Diaconum suum, deinde Presbyterum, & Episcopum ordinavit adjutorem, ita monuit Epistola II. cap. 1. dum ait: *Formam habe sanorum Verborum, quae a me audisti in fide, & in dilectione in Christo Jesu*.

38. AUCTORES PROPHANARUM LITERARUM. Vide supra in Indiculo hujus Tabulae num. 31.

39. FILIUS SENSATUS SALOMON

OPTIO-

OPTIONE MUNERUM A DEO DATA SAPIENTIAM PRAEFERENS, ORIENTALIUM ET AEGYPTIORUM INGENIA SUPERGRESSUS, REGUM AC POPULORUM DESIDERIA FAMA DOCTRINAE AD SE PERTRAHIT. Salomonem non quinque millia carmina, ut scribunt Irenaeus, & Synopseos Auctor, & Hieronymus, & ut habent quaedam Vulgatae Interpretationis Editiones, sed quinque supra mille composuisse docent libri Regum (3. cap. 4. v. 32.); & quem *in cantilenis, & proverbiis, & comparationibus miratas esse terras* Sirachides tradit (*Ecclesiastici* cap. 47. v. 18). Pleraque vel in Hierosolymitana clade, & Babylonico excidio, vel aliis quibuscumque temporibus interciderunt. In iis, quae ab interitu servata sunt, Sapientia a Deo ei data mirifice elucet. Veteres ac recentiores Interpretes Canticum Canticorum ad Theologiam, Proverbiorum Librum ad Ethicen, Ecclesiasten ad Physicen pertinere ajunt. Multa in id argumentum disserit infra recitandus Origenes in Comment. *in Canticum Canticorum*, & Logicen praeterea, quae cum reliquis conserta connexaque est, a Salomone quoque iisdem libris traditam fuisse demonstrat: atque hinc Orientales & Aegyptios doctrinam suam quatuor in partes discrevisse; laudem inde ac gloriam sic tamquam ex proprio invento quaerentes, quae Salomoni inventori tota debebatur. Origenis locum transtulerunt Hieronymus *in Ecclesiasten*, & Theodoretus in explanatione *in Canticum Canticorum*. Est autem sumptus e Prologo in Canticum Canticorum, qui habetur Tomo 3. postremae edit. Domni Caroli de La Rue pag. 31. *Teatemus* (inquit) *primum de eo requirere, quid illud sit, quod cum tria volumina Ecclesia Dei a Salomone scripta susceperit, primus ex ipsis Proverbiorum Liber positus sit, secundus is, qui Ecclesiastes appellatur, tertius vero in loco Cantici Canticorum volumen habeatur. Quae ergo aobis occurrere possint in hoc loco, ista sunt. Generales disciplinae, quibus ad rerum scientiam pervenitur tres sunt, quas Graeci Ethycam, Physicam, & Theoricen appellaverunt: nos has dicere possumus Moralem, Naturalem, & Inspectivam. Nonnulli sane apud Graecos etiam Logicen, quam nos rationalem possumus dicere, quarto in numero posuere. Alii non extrinsecus eam, sed per has tres, quas supra memoravimus, disciplinas, Inneeam consertamque per omne corpus esse dixerunt. Est enim Logices, & velut nos dicimus rationalis, quae verborum, dictorumque videtur continere rationes, proprietatesque, & impropriesates, generaque, & species, & figuras singulorum quoque edocere dictorum: quam utique disciplinam non tam separari, quam inseri ceteris conveait & inteai. Moralis autem dicitur, per quam mos vivendi honestus aptatur, & instituta ad virtutem tendentia reparantur. Naturalis dicitur, ubi uniuscujusque rei natura discutitur, quo nihil contra naturam geratur in vita, sed unumquodque his usibus deputetur, in quos a Creatore productum est. Inspectiva dicitur, qua supergressi visibilia, de divinis aliquid & caelestibus contemplamur, eaque sola mente intuemur, quoniam corporeum supergrediuntur aspectum. Haec ergo, ut mihi videtur, Sapientes quique Graecorum a Salomone, utpote qui aetate & tempore longe ante ipsos prior, ea per Dei spiritum didicisset, tamquam propria inventa protulerunt, & institutionum suarum voluminibus comprehensa posteris tradenda reliquere. Sed haec, ut diximus, Salomon ante omnes invenit, & docuit per sapientiam, quam accepit a Deo, sicut scriptum est:* „ & dedit Deus prudentiam Salomoni, & sapientiam multam valde, & latitudinem cordis sicut arenam, quae est ad oram Maris, & multiplicata est in eo sapientia super omnes antiquos filios hominum, & super omnes Sapientes Aegypti (*III. Regum cap.* 4. *v.* 29. *&* 30.) „.

40. SIXTUS SED. ANN. VIIII. M.III. D. XXI. *ex Picturis Leonianis in Basilica S. Pauli Via Ostiensi*. Franciscus Blanchinus Patruus meus Chronologiam Sixti, in ea distantia, quam diximus (num. 33.) ducentorum fere palmorum a conspectore posito in pavimento navis mediae Basilicae memoratae, discernere minime potuit; licet, ipso intuente, paries pleno lumine perfunderetur per solis radios, a fenestris amplioribus in fronte Occidentali Ecclesiae admissos, horis pomeridianis, & proximis imaginibus vividam lucem distribuerent, remotioribus languidiorem. In locis enim, & orbiculis, praesertim iis, qui imagines exhibent a B. Petro proximas, aqua depluens olim per tecti, aut fenestrarum rimas, vitium induxerat, & pulvis adhaerens, parietem ita contexerat, ut ductus literarum, & numerorum essent minus manifesti. Ad tol-

INDICULUS TAB.II.SAEC.II

tollendam hanc difficultatem adspectus, & recessus, frustra etiam quandoque alia subsidia comparavit, Sole clarissimo circa meridiem intendens oculorum aciem (ad recognoscendas imagines, & epigraphes ibi depictas) non solum ea luce adjutam, verum etiam tubis opticis armatam, ad augendum angulum a minutis etiam partibus objecti efformatum, quo evidentius perspicerentur. Longiores item scalas picturis admovere curavit, & per ministros idoneos easdem picturas non solum scopis, ac linteis everri, & pulverem abstergi, (quo clarius literae, & numeri apparerent); verum etiam effecit, ut iidem idonei viri, qui scalas portatiles conscenderant, absterso pulvere digitos admoverent ad literas singulas, easque nominatim inclamarent ipsi e pavimento observanti per tubos opticos, num ejus conspectui eadem indicatio fideliter appareret, quae voce tangentis literas proferebatur. Sed tandem Sanctissimus Dominus noster BENEDICTUS XIV. ut, sordibus parietum majori cura detersis, literae, & numeri evidentius de proximo transcriberentur, singulis imaginibus lignea castella admoveri jussit, plurimis cum impensis, & curis; atque horum ope Cl. Marangonius majori quandoque felicitate assequi potuit numeros, hoc in Archetypo Leoniano Romanis literis coloratos. Mirandum igitur non est, si ipse descripsit ex iisdem Picturis S. Sixti Chronologiam (in Libro Chronologiae Romanorum Pontificum superstitis in Basilica S. Pauli pag. 6. num. 8.), quam nos hoc numero 40. exhibemus. Eam Patruus meus amantissimus ex antiquis Catalogis ita supplevit, *Xystus sed. Ann.* X. *M.* III. *D.* XXI. ex Coss. *Nigro & Aproniano*, ad Coss. *Verum & Ambibulum*; in qua (ut ipse scribit in Notis ad Sectionem VIII Vitae ejusdem S. Sixti Tomo X. *Anastasii Bibliothecarii*) tanta est concordia documentorum, ut nemo non videat, annos X. menses III. & dies XXI. ab Ordinatione Episcopali, ad Martyrium esse illi tribuendos. Annorum decadem omnes Italiae Catalogi perinde legunt. Exteri quoque consentiunt, praeter Colbertinos quartum, sextum, & septimum. In mensium, & dierum numero quandoque discrepant inter se, ob amanuensium incuriam; in quorum mendis tanti non est immorari; cum ea (inquit) facile cognoscantur, & in concordiam revocentur ex ceteris Codicibus, & monimentis tribuentibus Sixto annos X. menses III. dies XIII. Indicare potius praestat cum eodem Patruo meo, qua ratione Consules *Niger & Aproniaunus* aequentur initio Sixti, ejusque termino *Verus & Ambibulus*; cum primi pertineant ad annum Christi 117, secundi vero ad annum 126, novennio tantum (in Picturis Leonianis indicato, ex Marangonio) ab illis dissitum; & Catalogi (ab eodem Patruo meo allegati in Prolegomenis pag. XC.) toto decennio solido, & mensibus ferme quaternis extendant Sedem Sixti. „ Nondum resolvimus (*inquis*) cum Henschenio, distinguentes ordinationem Sixti in Episcopum, Alexandri Vicarium futurum, dum is carceri manciparetur per Aurelianum Judicem, ab electione ejusdem Sixti ad Romanam Sedem promoti, & ad successionem Alexandri, postquam hic Martyrio coronatus in Caelum migravit die 3. Maji anno Christi 117 *Nigro & Aproniano Consulibus*. Aera itaque decennalis, Sixto assignata in Catalogis, ostendit illum annis X. mensibus III. diebus XXI. antequam subiret Martyrium anno Christi 127. die 3. *Nonas Aprilis* (qua etiam in libro Pontificali narratur *depositus in Vaticano juxta Corpus B. Petri*), ordinatum fuisse Episcopum adjutorem, seu Vicarium ab Alexandro. Fuerit igitur dies illius Ordinationis Dominica 14. Decembris anni Aerae Christi Communis 116. Consularis autem Epocha, ex qua supra vidimus figendum Alexandri Martyrium die 3. Maji anno 117, *Nigro & Aproniano Coss.*, producta ad annum solidum 126, ejusque Consules *Verum & Ambibulum* (postremos ex assignatis Sixto) imo & ad diem 3. Aprilis anni sequentis 127, ejusque Consules Ordinarios *Titianum & Gallicanum* tributos initio Telesphori, ex methodo Catalogi referentis annos Pontificales ad Paschale tempus circa Palilia, seu Natalem Urbis, dabit Sixto annos novem, & aliquot menses, ac dies. Nos etiam definiemus, si admittere voluerimus, tempus *Interpontificii* seu vacationis Romanae Sedis post mortem Alexandri fuisse dierum 35, quot scilicet assignant liber Pontificalis, & Auctor Catalogi ab annis sexcentis descripti, quem Patruus meus exhibet in Prolegomenis Opusculo VII. fol. 19. Nam Sixti electio, sive evectio ad Sedem Apostolicam, & ἐνθρονισμὸς ex hac supputatione incidet in diem Dominicam 7. Junii memorati anni 117, & inde ad Martyrium subsecutum die 3. Aprilis

lis anni 127. Pontificatum Maximum administraverit Sixtus annis 9. mensibus 9. diebus 26. qui ab Ordinatione Episcopatus egerit annos X, menses III. dies XXI. & ex his Vicarius egerit menses V. dies XXV. antequam successor eligeretur, & collocaretur in Cathedra Petri Romana.

41. *Altero Christi Saeculo Alexander, Sixtus, Telesphorus, Hyginus, Romana Nobilitate ad Christi fidem perducta, Formatarum Literarum commendatione instituta, Episcoporum magisterio Clerique gradibus illustratis, Ecclesiasticae Hierarchiae Dignitatem asserunt, ac jura tuentur.* Acta S. Alexandri & Sociorum Martyrum genuina, quae ab interpolatis distinxit & vindicavit Cl. Praesul a Schelestratio Tom. I. *Antiq. Eccl.* Dissert. 2. cap. 30, quaeque per summa capita delibavit Patruus meus Franciscus Blanchinus in Notis *ad Anastasium Bibliothecarium* Tom. II. pag. 82, mirifice illustrant historiam Christianae fidei, *accessione Romanae Nobilitatis ad Christi fidem perductae*. Memorant enim (inquit ipse) missum a Trajano Imperatore Seleuciae agente (quando expeditionem susceperat in Parthos ante Consulatum M. Vergiliani Pedonis, incidentem in annum Christi 115) Judicem Aurelianum, qui tum Hermeti Praefecto Urbis, & sorori ejus Theodorae, tum Alexandro Pontifici Romano, & Eventio & Theodulo Presbyteris, tum Quirino Tribuno, atque ejus filiae Balbinae, & aliis compluribus Viris ab Alexandro Papa in carcere baptizatis, martyrium intulit. Istorum Martyrum Corpora, Coemeteria, Tituli, & in eis Inscriptiones pervetustae adhuc superstites, historiam tuentur. Hermetis Praefecti Urbis Coemeterium Via Salaria, ad secundum ab Urbe lapidem, cum Aedicula subterranea spectatur, ut videre licet apud Aringhium lib. 4. cap. 37: Inscriptiones vetustas Reliquiarum indices Hermetis Praefecti Urbis servat Titulus S. Pudentianae in lapide inciso sub Gregorio Septimo: Balbinae, ac Theodorae nomina refert antiquior epigraphes, superstes in pavimento Presbyterii Diaconiae S. Mariae in Domnica, nono circiter Seculo insculpta: quo etiam loco aetate nostra B. Balbinae ossa complura reperta sunt, cum plumbea lamina inscripta, CORPUS S. BALBINAE VIRG., inclusa marmoreo loculamento, sub Ara Maxima constituto: Corpus B. Quirini Tribuni Balbinae Patris, Roma transmissum a Leone IX Gepae Abbatissae circa annum 1050, publicis ex documentis docent Bollandiani Socii ad diem 30. Martii fol. 813: Corpus denique S. Alexandri Papae, cum Sociis martyrii Presbyteris Eventio ac Theodulo, *translatum ex ipsius Coemeterio Via Nomentana milliario VII, in Urbem, ac Titulum S. Sabinae* sub Eugenio II, vetus Inscriptio, ejusdem Corporis custodi capsulae insculpta, comprobat, docente Aringhio lib. 3. cap. 22. Cum igitur constet, inter antiquissima Coemeteria Martyrum Agri suburbani referri ea, quae nobilitarunt Alexander, ac Socii, quorum in Actis memorati, suis Corporibus eo illatis Secundo Saeculo, inde vero translatis Saeculo IX. X. & XI; mirum praesidium ab iis mutuantur ipsorum Acta; & Ecclesiae Romanae Historia in Actis hujusmodi praeservat evincitque Nobilitatis Romanae partem non exiguam sub eo Pontifice ad fidem fuisse conversam, quae scilicet post Consularem Virum Clementem jam inter alumnos numerabat in Hermete Praefectum cum sorore, in Quirino Tribunum cum filia. De Sixto vero legimus in Anastasio Bibliothecario, *hic constituit, ut quicumque Episcopus evocatus fuisset ad Sedem Apostolicam, rediens ad Parochiam suam, non susciperetur, nisi cum Formatis salutationis ad Plebem a Sede Apostolica*, ut videre licet apud Coustantium in Collectione *Epistolarum Romanorum Pontificum* col. 57. n. 5. Porro Secundo Christi Saeculo firmam fuisse persuasionem obsequii hujus, supponit Irenaeus eodem tempore vivens, ut animadvertit Bencinus in Notis ad recitatum Bibliothecarii locum: ipse enim Sanctissimus Martyr constanter asserit, *Ad Romanam Ecclesiam propter potentiorem principalitatem necesse esse omnem convenire Ecclesiam*. Necessitas conveniendi ob potentiorem principalitatem, exigebat etiam evocationem. Recurrisse vero in gravioribus causis Ecclesias ad Sedem Apostolicam, probat missio ejusdem Irenaei ad Pontificem, facta ab Episcopo & Ecclesia Lugdunensi, cum Epistola, in qua sic apud Eusebium lib. 4: *Has literas ut ad Te perferret, fratrem & Collegam nostrum Irenaeum hortati sumus. Quem quidem, ut commendatum habeas, rogamus, utpote aemulatorem testamenti Christi*. Et in fine ejusdem Saeculi Tertullianus de istiusmodi evocatione Ecclesiarum Africanarum ad Sedem Apostolicam non obscure

INDICULUS TAB.II.SEC.II.

loquitur *de Praescr.* c. 36. Ejusdem Saeculi Dionysius quoque Corinthiorum Episcopus testis accedit, qui fratres commemorat commeantes ad Sedem Apostolicam in Epistola Romanis data, dum Soteris beneficentiam laudat. Haec commercia literarum, cum dissitis ab Urbe Provinciis a Sede Apostolica frequentata eodem Saeculo, & sequenti, docet & alter Dionysius Alexandrinus apud Eusebium lib. 7. cap. 5. Vide item Epistolam Cleri Romani, datam, Sede vacante, Carthaginiensi Ecclesiae, apud Cyprianum Epist. 3. aliaque plura insignia testimonia, quae in hanc rem congerunt laudatus Bencinus, & Patruus meus amantissimus in Notis Anastasianis ad Sectionem VIII Vitae S. Sixti. *Episcoporum* vero *magisterium assertum* a Telesphoro, spectat jejunium Quadragesimae ab Apostolica traditione dimanans, & de scripto confirmatum per eumdem Telesphorum: item, ut nihil in Titulis Presbyteri inducerent, ab eo, quod servari per Episcopum viderent in quotidianis Sacris, exemplo Apostolorum. Pari enim cura, ac sollicitudine, postquam curatam vidit providenter legem quotidiani Sacrificii, ejusque rituum in Titulis per Alexandrum, Telesphorus censuit sibi esse consulendum, ut in iisdem Titulis annua sacra potiorum solemnitatum Paschatis, & Pentecostes, occasione baptismi solemnis tunc administrandi, frequentiores coetus Fidelium habitura, certam legem rituum obtinerent; qua pietas confluentium aptius disponeretur per easdem celebritates ad gloriam Deo exhibendam, ut Apostoli nns monuerant. Demum Sacrorum Librorum census, seu Canon, jam vulgatior sub Telesphoro, non in Romana modo, sed etiam in recentius fundatis Ecclesiis, auxit ipsius fiduciam, ad impetrandum a Deo spiritum consilii, ut certis Lectionibus utriusque Testamenti praescriptis pararet Domino Plebem perfectam. Conversus etiam ad Dominicae Nativitatis mysteria cultu celebriori disponenda, iterandum ea nocte Divinum Sacrificium praecepit; fortasse ut consuleret affluentiae Fidelium, plurimum auctae sub Alexandro, ex conversione Romanae Nobilitatis ad Christum; quo scilicet copiam Sacris assistendi paratiorem praeberet in tanta solemnitate. Ritus quoque scrutiniorum, quos usurpamus in Quadragesima, Telesphoro coaevos habendos esse, perspicue contemplari possumus in Apologia I. S. Justini sectione 85, ubi recentes baptizatos deducens e sacro Fonte ad Synaxim, cum ceteris Fidelibus celebrandam, describit seriem rituum, & precum, aetate Telesphori ac sua servatorum, ut fusiori calamo ostendit Patruus meus Tom. II. *Aaasi. Bibl.* in Notis ad Sectionem IX Vitae ejusdem S. Telesphori. *Hyginus* denique, *Cleri gradibus illustratis, Hierarchiae Dignitatem asseruit, ac jura tueri fategit*; ut scribit *Anastasius Bibliothecarius* in ejus Vita: *hic* (inquit) *Clerum composuit, & distribuit gradus*: quae verba cum idem Patruus meus satis luculenter illustraverit in dicto Tomo II. pag. 107, nihil heic attinet scribere.

42. *Ezechiel, Daniel, Esdras, inter Assyrios, Chaldaeos, Medos, Persas, Divinorum Oraculorum mysteria praevident, temporu describunt, instaurant Exemplaria.* Ezechiel Propheta, Buzi Sacerdotis filius, in terra Serara ortus, cum Jechonia Rege in Chaldaeam deportatus, futura praedicere exorsus ad oram amnis Chobar, per viginti annorum decursum ibi vaticinatus est, ut Auctor *Vitarum Prophetarum* retulit in literas sub nomine Epiphanii. Hic ad aetatem suam superfuisse docet Ezechielis sepulcrum miraculis clarum, & magno Judaeorum concursu frequentatum. Insignis vero est vaticiniorum ejus locus c. 31. v. 3. 6. *Ecce Assur, quasi cedrus in Libano, pulcher ramis, & frondibus nemorosus. Cumque extendisset umbram suam, in ramis ejus fecerunt nidos omnia volatilia caeli, & sub frondibus ejus genuerunt omnes bestiae saltuum, & sub umbraculo ejus habitabat coetus Gentium plurimarum.* Confer Interpretes. Huic vaticinio concinit Daniel, qui quarto capite sic differit: *Magna arbor, & fortis, & proceritas ejus contingens caelum: aspectus illius erat usque ad terminos universae terrae; folia ejus pulcherrima, & fructus ejus nimius, & esca universorum in ea: subter eam habitabant animalia, & bestiae, & in ramis ejus conversabantur volucres caeli, & ex ea vescebatur omnis caro.* Tum deinde: *Arborem, quam vidisti sublimem, atque robustam, cujus altitudo pertingit ad caelum, & aspectus illius in omnem terram, & rami ejus pulcherrimi, & fructus ejus nimius, & esca omnium in ea, subter eam habitantes bestiae agri, & in ramis ejus commorantes aves caeli: tu es, Rex, qui magnificatus es, & invaluisti, & magnitudo tua crevit, & pervenit usque ad caelum, & po-*

& potestas tua in terminos universae terrae. Locus Eacchielis ex cap. tricesimo primo ejus Prophetiae superius allegatus, ante ab ipso scriptus est, quam quartum Operis sui caput Daniel lucubrasset. Illustee praeterea ad fidem Prophetiae Ezechielis faciendam, testimonium est Siracidae, cum ait (*Ecclesiast.* 49. v. 10.), *Eacchiel, qui vidit conspectum gloriae, quam ostendit illi in curru Cherubim: nam commemoratus est inimicorum in imbre, benefacere illis, qui ostenderunt rectas vias.* Respiciebat nempe ad initium Ezechielis, ubi gloria Dei, & currus Cheeubim describuntur: maxime vero ad illa e decimo Capite v. 18. *& egressa est gloria Domini a limine Templi, & stetit super Cherubim; & elevantia Cherubim alas suas, exaltata sunt a terra coram me, & illis egredientibus rotae quoque subsequutae sunt.* Confee etiam Ezechielis cap. 13. v. 13. & Librum III. Regum c. 14. v. 9, ubi luculentas habemus de Christo Eacchielis Prophetias. Cum enim (inquit Huetius Prop. VII. pag. 313. num. 19.) tricesimo quarto Capite pastorem Populi sui de avacitia, & injustitia expostulasset Deus; exauctoeatis iis, se gregis sui euram gesturum ipse promittit, moebidas oves sauaturum, ereantes quaesiturum, & in uberrima pascua, laetissimasque sedes deducturum, ubi summa pace fruantue: tum subjicit: *& suscitabo super eas Pastorem unum, qui pascat eas, servum meum David: ipse pascet eas, & ipse erit eis in pastorem. Ego autem Dominus ero eis in Deum, & servus meus David Princeps in medio eorum: ego Dominus locutus sum. Et faciam eis pactum pacis*: Deinde, *& suscitabo eis germen nominatum; & non erunt ultra imminuti fame in terra, neque portabunt ultra opprobrium Gentium. Et scient, quia ego Dominus Deus eorum cum eis, & ipsi Populus meus domus Israel, ait Dominus Deus. Vos autem greges mei, greges pascuae meae, homines estis, & ego Dominus Deus vester, dicit Dominus Deus.* Iterantue haec eadem 37 Capite, *servus meus David, Rex super eos, & pastor unus erit omnium eorum.* Rursum: *David servus meus, Princeps eorum in perpetuum: & percutiam illis foedus pacis, pactum sempiternum erit eis; & fundabo eos, & multiplicabo eos, & dabo eis sanctificationem meam in medio eorum in perpetuum. Et erit tabernaculum meum in eis, & ero eis Deus, & ipsi erunt mihi Populus. Et scient Gentes, quia ego Dominus sanctificator Israel, cum fuerit sanctificatio mea in medio eorum in perpetuum.* His vero praedictionibus ad Messiam respexisse Ezechielem multis ostendit ibidem laudatus Daniel Huetius. Danielis vero comprobant Prophetiam verba Salvatoris nostri, cum diait apud Matthaeum (cap. 24. v. 15) *cum ergo videritis abominationem desolationis, quae dicta est a Daniele Propheta, stantem in loco Sancto (qui legit, intelligat); tunc, qui in Judaea sunt, fugiant ad montes.* Quae sic a Daniele expressa sunt: *& erit in Templo abominatio desolationis.* Quare S. Hieronymus de Daniele scribit in Prooemio Commentariorum, *Illud in Praefatione commoneo, nullum Prophetarum tam aperte dixisse de Christo. Non enim solum scribit, eum esse venturum, quod est commune cum ceteris; sed etiam quo tempore venturus sit, docet, & Reges per ordinem digerit, & annos enumerat, ac manifesta signa praenuntiat*: quae totidem fere verbis etiam Theodoretus declaravit. Unde Porphyrius (ut animadvertit idem Huetius), qui Danielem sibi insectandum proposuerat, non tam ventura diaisse illum, quam praeterita nareasse jactabat. Verum ejus *impugnationem, testimonium veritatis esse*, optime dictum est a Hieronymo. Vaticinia ejus de Christo, in nostris Tabulis Chalcogeaphicis adumbrata, ut illustremus, Lectorem adire volumus Danielis cap. 2. v. 34. & c. 7. v. 14, ubi de Regno Christi aeterno & nullis nnquam mutationibus obnoxio Propheta loquitur: Posteriorem quoque Cheisti adventum spectat nobilissima Danielis peaedictio, quae continetue eodem Capite septimo. At omnem eaceptionem superat (ut inquit Huetius) splendidum & memorabile testimonium, Capiti nono insertum, quo Danieli, postfuturarum rerum noscendaeum avido, Gabeiel non quaesita solum sequentium annorum mysteeia, sed alia quoque longe abstrusioea declarat; *Septuaginta*, inquit, *hebdomades abbreviatae sunt super Populum tuum, & super Urbem Sanctam tuam, ut consummetur praevaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur justitia sempiterna, & impleatur Visio, & Prophetia, & ungatur Sanctus Sanctorum.* Implendam Christi temporibus Peophetiam tradit Daniel, quod & de se Dominus teadidit apud Matthaeum: *Omnes enim* (inquit cap. 11. v. 13.) *Prophetae, & Lex, usque ad Joannem prophetaverunt.* Adde, etiam vetustos Hebraeos, (quorum sententiam Hieronymus suis in Danielem Commentariis inseruit) verba illa Danie-

INDICULUS TAB. II. SEC. II.

INDICULUS TAB II. SEC. II.

Danielis cap. 9. v. 26. & 27 *& post hebdomades septuaginta duas occidetur Christus, & non erit ejus Populus, qui eum negaturus est* de Messia esse interpretatos. De Sacris denique Exemplaribus ab Esdra instauratis vide *Librum Historicum* cap. v.

43. Imago S. Telesphori Papae, qui SEDIT ANN. XI. M. III. D. XXI. *ex Picturis Basilicae S. Pauli Via Ostiensi*. In Bucheriano Catalogo legitur, *Telesphorus annis XI. mensibus III. diebus III. Fuit temporibus Antonini Macrini, a Consulatu Titiani & Gallicani usque Caesare & Balbino*, hoc est ab ann. Chr. 127. usque ad 137. Quod si ita esset, Telesphorus non Antonini, sed Hadriani tantum temporibus Ecclesiæ præfuisset. Antoninus quippe post Hadriani dumtaxat mortem, quae anno 138, Julii 10. die contigit, rerum potiri coepit. Palmare saltem in praedictis verbis notatur mendum, ex Libro Pontificali ita corrigendum, *fuit temporibus Macrini, & Marci*. Cl. Marangonius *in Chronologia Romanorum Pontificum* iisdem Picturis Leonianis subnexa p. 7. scribit: *Notas numerales in epigraphe integras intactasque reperimus, ejus Sedem exprimentes: quibus etiam respondet Liber Pontificalis, excepto quod una die illas excedit; idemque praestat Anastasius Bibliothecarius. Baronius concordat in annis; menses vero ad novem producit, tres minus dies. Catalogi Vaticani a Vignolia relati variant in mensibus, ac diebus, excepto tertio, qui concordat in omnibus. Ex aliis relatis a Blanchinio, undecim assignant Telesphoro annos XI. octo menses III. septem dies XXII. unus vero dies XXI. Codex Reginae Sueciae, apud Schelestratium, sicuti & duo Vallicellani relati a Blanchino Juniore Tom. V. Anastasii, consonant in omnibus nostrae epigraphi. Pagius Junior in Breviario habet annos XI. M. III. dies vero III. Ex quibus apparet, quam praestans sit Epocha relata in Picturis Basilicae S. Pauli. Nam & Eusebius annos XI. exactos tribuit, idemque Indices Cresconiani indicati a Baronio ad annum* 154, *qui tamen non approbat sensum eorum, qui tribuunt Telesphoro Sedis annos XI. M. III. ac dies XXI. quod tamen expresse apparet in nostra epigraphe*. Plura vide in Notis Patrui mei ad *Anastasium Bibliothecarium* Tom. II. pag. 86, & confer nostrum *Chronicum*. Hic Beatissimus Pontifex, Sancto Irenaeo teste lib. 3. cap. 3, illustri Martyrio vitam finivit, & eam quidem, ut Eusebius docet lib. 4. *Histor.* cap. 10, Pontificatus sui anno undecimo, Una tantum circumfertur S. Telesphori Epistola, & ea quidem ab Isidoro Mercatore conficta. In Pontificali autem Libro tria eidem Pontifici attribuuntur Decreta, Primum, ut septem hebdomadum ante Pascha jejunium observetur: Alterum, ut in Natali Domini nostri Jesu Christi noctu Missa celebretur; cum omni alio tempore ante horae tertiae cursum nullus praesumeret Missas celebrare: Postremum, ut ante Sacrificium Hymnus dicatur Angelicus, hoc est *Gloria in excelsis*. De singulis tamen consule Eruditissimum Petrum Coustantium in Collectione *Epistolarum Romanorum Pontificum* col. 57. & seqq.

44. *Pio, & Aniceto sedentibus, Justinus Apologiam, Hegesippus Historiam in Urbe condunt, Polycarpus & Irenaeus Polaemicae Theologiae contra Haereticos exercendae constituunt disciplinam*. S. Justinus Martyr, cum Romae domicilium haberet, Antonino Imperatori, ejusque filiis adoptivis, & Senatui Populoque Romano primam obtulit pro omnibus Christianis Apologiam circa annum Christi 150. Eusebius *Histor. Eccles.* lib. 4. c. 11. de eo haec scribit: *in Urbe Roma domicilium habebat. Ubi nam cubaret, & quid domi ageret, ex ipsius Martyrii Actis discimus. „ Ego, inquit, prope domum Martini cujusdam ad balneum cognomento Timiotinum hactenus mansi. Veni autem in Urbem Romam secundo. Neque aliam quempiam conventus locum, nisi quem dixi, cognosco: ac si quis ad me venire voluit, communicavi cum illo veritatis doctrinam „*. Odium Christianae Religionis, sub Hadriano Christianis favente compressum, semper in animis Ethnicorum residebat; ac violenter erupit sub Antonino. Nullo sane optimi Imperatoris Edicto saeviit Persecutio; sed eam videntur incendisse populares tumultus (ut constat ex literis Antonini), in primis vero exortae in variis Imperii partibus calamitates, quas stulte Christianorum sanguine averti posse sperabant. Pluribus ex locis delatae Antonino a Christianis querelae; nec difficilis fuit ad illius aures tam justae causae auditus. Enituit hac in re studium Justini, qui primam prolixiorem Romae obtulit Apologiam. Hanc, ut ipse testatur in Dialogo num. 120. ad Acta obtulit, ac petiit ut commentariis publicis inscriberetur. In ipsa num. 26. postulat ab Imperatore, ut Senatum Populumque Romanum hujus Libelli supplicis cogni-

tores

tores adſciſcat. Vide Praefationem Monachorum Congregationis S.Mauri ad Opera ejuſdem S. Juſtini Philoſophi & Martyris Par.III.c.iv.& v.Hegeſippus Juſtini & Athenagorae aequalis, ſub Marco Antonino Imp. floruit. Romae converſatus uſque ad Aniceti Pontificis tempora, Hiſtoriam Eccleſiaſticam libris v, diſtinctam compoſuit ſermone ſimplici; ut quorum vitam ſectabatur, dicendi quoque exprimeret characterem. De eo plura habet Euſebius Hiſtoriae lib. 2. cap.22, lib.3. cap.27, lib.4. cap.20.25.22.& alibi ſaepe, Vide Card. Baronium ad annum Chriſti 167. numeris 11. 12. 13. 14. & 15. S. Polycarpus vero Smyrnae Epiſcopus (ut ſcribit Auctor Chronici Alexandrini ad annum Chriſti 158, Conſulibus Tertullo & Sacerdote) *vir fuit admiratione ſuſpiciendus, Apoſtolorum auditor, & ab ipſis Epiſcopus inſtitutus: adhuc ſuperſtite Aniceto Pontifice, Romam venit ob controverſiam de tempore, quo celebrandum eſſet Paſcha*: quod tradunt etiam Euſebius *in Hiſt.* lib. 4. cap. 23, Hieronymus *de Script. Eccl.*, Ado in Chronico, & Suidas in Polycarpo. De eo autem S. Irenaeus lib.3. *contra Haereſes* cap.3. haec ſcribit: *Eſt & Epiſtola Polycarpi perfectiſſima, ad Philippenſes ſcripta, ex qua & characterem fidei ejus, & praedicationem veritatis, qui volunt & curam habent ſuae ſalutis, poſſunt diſcere*. Scripſit S. Irenaeus contra Haereſes libros ſuos ſedente S. Eleuthero, ut ipſe de ſe teſtatur libro 3. Confer Pagium in Critice ad annum Chriſti 182, num. 3.

45. Auctores Profanarum Literarum, de quibus agitur ſingillatim *in Libro Antiquario*, atque in conſequentibus numeris hujus Tabulae, quae exhibet in Antoninis Lararium Caeſarum Auguſtorum.

46. *Joannes Zachariae filius, vox Verbi, Propheta, & plus quam Propheta, quo major non ſurrexit inter natos mulierum, Agnum Dei Diſcipulis indicat in Apoſtolos evaſuris.* „ Anno XV. Imperii Tiberii Caeſaris, procurante Pontio Pilato Judæam, Tetrarcha autem Galilaeae Herode, Philippo autem fratre ejus Tetrarcha Ituraeae, & Trachonitidis Regionis, & Lyſania Abilinae Tetrarcha, ſub Principibus Sacerdotum Anna & Caipha, factum eſt Verbum Domini ad Joannem, „ qui poſtremo anno miniſterii quod acceperat, praedicandi in ſpiritu & virtute Eliae baptiſmum poenitentiae omni Populo Iſraelis, intuitus Jeſum ambulantem, dixit, *Ecce Agnus Dei*. Quod duo ex Diſcipulis ejus audientes, Jeſum ſecuti, apud eundem manſerunt diem illam: hora enim erat quaſi decima. Horum unus Andreas, fratrem ſuum Simonem perduxit ad Jeſum; qui eum intuitus, dixit, *tu es Simon Bar-Jona: tu vocaberis Cephas*. Alter vero, nempe, ut videtur, Philippus, (qui erat ex Bethſaida Civitate Andreae, & Simonis Petri) poſtero die Nathanaelem ſubter ficum inveniens, perduxit eum ad Jeſum, a quo dictus eſt vere Iſraelita.

47. Imago S. Hygini Papae, qui SEDIT ANN. IIII. M. III. D. VIII. ex Picturis Leonianis in Baſilica S.Pauli Via Oſtienſi. S.Irenaeus lib. I. cap.27. *al.* 28, Hyginum *octavum* Pontificem Summum appellat, ut & in eodem libro Xyſtus ab eo *ſextus ab Apoſtolis* praedicatur. At a Sancto Cypriano Epiſtola 74. *ad Pomponium*, ab Euſebio lib.4. *Hiſtor.* cap. 11, & ab Epiphanio Haereſi 42, *nonus* Romae Epiſcopus nuncupatur. Legitur in Catalogo Bucheriano *Hyginus annis XII. menſibus III. diebus VI: fuit temporibus Veri, a Conſulatu Gallicani & Veteris, uſque Praeſente & Rufino*, hoc eſt ab anno Chriſti 150. ad 153 (ubi manifeſta eſt verborum pugna): at in Libro Pontificali *Hyginus ſedit annos IV. menſes III. dies IV. Fuit autem temporibus Veri & Marci, a Conſulatu Magni & Camerini, uſque ad Orphitum & Priſcum*, hoc eſt ab anno Chriſti 138. ad 149. Cl.Marangonius *in Chronologia Pontificum Romanorum* ſuperſtite in Baſilica S.Pauli, &c. pag. 7. ſcribit: *Blanchinius, cum integram haud potuiſſet videre Epocham Sedis ejus* (in parietinis ejuſdem Baſilicae S.Pauli Via Oſtienſi), *ſed tantum tria elementa; quartum, parvo charactere, optime addidit; quod poſtea nos propius conſpeximus adfuiſſe. In textu Anaſtaſii* legitur, AN. IIII. M. III. D. VIII. *Vignolius annotavit in Codice Vaticano, corrupte quidem*, legi AN. X., *quod ſic corrigendum eſſe notavit* ANN. IIII. M. III. D. VII. *& Vaticanum ſextum, habere* ANNOS IV. M. II. D. VIII. *Baronius habet* ANN. IV, duobus minus diebus. *Codices a Blanchinio Seniore relati, aſſignant* ANNOS IV. M. III; *& eorum ſex*, D. VIII. *Catalogi duo Vallicellani a Blanchinio Juniore* (Tom.5. Anaſt.) *in omnibus cum epigraphe noſtra concordant: Euſebius quoque Caeſarienſis, Hiſt. lib. 4. cap. xi. in annis iv. convenit, ſcribens*: poſt quartum Pontificatus annum moritur. *Pagius in Breviario ei annos quatuor tantum attribuit* „. Hygino Pontifice Valentinus &

INDICULUS TAB.II.SEC.II.

Cerdon Haeretici Romam venerunt, ut scribunt Sanctus Irenaeus lib.3. cap.4, & S.Cyprianus ac Eusebius in locis paulo superius allegatis. Epistolas Hygini non habemus, nisi duas, in Isidori officina procusas. In Editionibus Conciliorum quinque circumferuntur ejus Decreta, ex Gratiano descripta, de quibus vide Coustantium in Hygino, in Collectione *Epistolar. Romanor. Pontif.* col. 63. & seqq.

48. *Sother, Eleutherus, Victor, beneficiis, hospitio, muneribus Ecclesiam ubique gentium afflictam fovent, ad ultimos Britannos extendunt, &, indictis Paschalis rei ergo Conciliis, etiam in Oriente procurant.* Sother, Clementem imitatus, ad Corinthios Romanae Ecclesiae nomine scripsit, quemadmodum ex ea intelligitur Epistola, quam ei Dionysius Corinthiorum Episcopus rescripsit. Epistolam Sotheris tanti fecerunt Corinthii, ut eam sibi cum priore Clementis perpetuo legendam esse constituerint; quo praeceptis ac documentis optimis abundarent. Verum injuria temporis intercidit pretiosissimum illud monimentum. Ejus tantum Epistolae, quam Corinthiorum Praesul Romano Clero rescripsit, fragmenta quædam nobis asservavit Eusebius lib.4.c.23, quae vide in eadem Collectione Epist. *Romanorum Pontificum* col.75. & seqq. In illis vero fragmentis sic inter cetera habetur: *haec enim vobis ab exordio consuetudo est, ut fratres omnes vario beneficiorum genere afficiatis, & Ecclesiis quamplurimis, quae in quibusque Urbibus constitutae sunt, necessaria vitae subsidia transmittatis. Et hac ratione, tum egentium inopiam sublevatis, tum fratribus, qui in metallis detinentur, necessaria suppeditatis; per haec, quae ab initio transmittitis munera, Romanorum morem a majoribus acceptum retinentes. Atque hunc morem Beatus Episcopus vester Sother non solum servavit, sed & auxit; tum munificentiam sanctis destinatam copiose impendendo, tum etiam fratres peregre advenientes, tanquam liberos suos, Pater amantissimus beatis sermonibus consolando.* Dionysius quoque Sotheri gratulatur, quod, cum decessores ejus subsidia indigentibus mittere sine ullis literis satis habuissent, ipse consolatoriis quoque scriptis munera missa cumularit. Eandem subsidiorum consuetudinem servarunt & Sotheris successores. Basilius Caesareae Episcopus de Dionysio Romano Pont. scribit, viros ab eo in Cappadociam missos, qui captivos redimerent. Dionysii decessor Stephanus apud Eusebium lib. 7. cap.5. eandem ob causam laudatur. Eusebius ipse generatim pium illum morem, quem in mox allegata Epistola Dionysius Corinthiorum Episcopus commendat, ad suam usque aetatem a Romanis Pontificibus perpetuo custoditum testatur. Anno 17 Imperii Antonini Veri, Christi vero 177, Viennensis, & Lugdunensis Ecclesiae Martyres, dum in vinculis adhuc essent, pro pace Ecclesiarum legatione fungentes, literas ad Eleutherum scripsere, ut tradit Eusebius lib.v. *Historiae* cap. 3. Et cap. 4. addit, eosdem Martyres eo anno, quo passi sunt, Irenaeum, qui tunc temporis adhuc Presbyter Lugdunensis erat Ecclesiae, supradicto Eleuthero commendasse per literas. Quod ad Britannos attinet, Lucius eorum Rex, teste Beda lib. I. *Histor. Angl.* cap.4, Epistolam ad Sanctum Eleutherum Romanae Ecclesiae Pontificem misit, *obsecrans, ut per ejus mandatum Christianus efficeretur. Et mox piae petitionis effectum consecutus est.* Idem quoque traditur in Pontificalis libri Codicibus, qui Beda exiſtimantur antiquiores. Nec inficiari quisquam potest, Christianam fidem Eleutheri aevo in Britannias jam illatam: Tertullianus quippe, qui cum hujus Papae, tum Victoris temporibus florebat, lib. *adversus Judaeos* cap.vii. *Britannorum inaccessa Romanis loca, Christo vero subdita* dixit. Id ipsum confirmat & Origenes Homil. 6. *in Lucam.* Addit Beda, Fidem ibi integram ad persecutionem usque Diocletiani perseverasse. Neque hanc Persecutione illa penitus extinctam fuisse persuadet Hilarii *de Synodis* liber, quem clarissimus ille Confessor, Christi causa in Phrygiam relegatus, non modo *Gallicanis*, sed & *Provinciarum Britanniarum Episcopis* inscripsit. De indictis demum Paschalis rei ergo Conciliis sub Victore, vide *Librum Antiquarium* cap. XI, & *Chronicum* ad an. Chr. 196.

49. *Aron*, seu Arca, in qua Liber Legis in Synagogis asservabatur, ex antiquissimo vitro in Romanis arenariis effosso, de quo eruditissime scribit Senator Florentinus Amplissimus Philippus Bonarrotius in libro *Osservazioni sopra alcuni frammenti di vasi antichi di vetro, ornati di Figure, trovati ne' Cimiterj di Roma* Tab. II. num. 5. pag. 19. & seqq. Aliud vitrum Coemeteriale huic fere persimile extat in nostro Museo Bibliothecae Vallicellanae Congregationis Oratorii. Pars Synagogae, ubi reponebatur volu-

volumen Legis (inquit Doctissimus Bernardus Lamy in Opere *de Tabernaculo Foederis, de Sancta Civitate Hierusalem, & de Templo ejus* lib. 4. cap. 8. sectione 4.), sanctior reputabatur; & ideo eam Judaei appellabant *He-ebal*, quod nomen erat Templi: Armarium, Hebraice appellant *Te-và*, quo nomine appellata est Arca, in qua Noe servatus est a Diluvio. Ut Synagogae referrent similitudinem Templi, Armarium, sive Arcam voluminis Legis, Judaei appellant *Ha-ròn*, perinde ac Arcam Foederis, cui volunt Arcam suam librariam similem videri, quod pariter contineat Legem Dei: sed frustra, ut dicit B. Jo. Chrysostomus in suis contra Judaeos Orationibus: *Ne vero mihi dicas* in defensionem Synagogarum, *Legem ibi, & Prophetarum libros repositos esse. Id non sufficit ad locum aliquem sanctum efficiendum.... mihi quidem Judaeorum, quam nunc habent,* [illegible] *Arca, nihil melius habere videtur iis, quae veneunt in foro, imo pejus habet.* Arcam suam nunc Judaei locant in plaga Orientali. Tertullianus *de Habitu muliebri* cap. 3. *Scio*, inquit, *Scripturam Enoch, quae hunc ordinem Angelis dedit, non recipi a quibusdam, quia nec in Judaicum Armarium admittitur.* Nunc quoque Judaei in Synagogis Sacrum Legis volumen includunt Armario, & depromunt identidem, ac Populo spectandum ac venerandum praebent.

50. Siclus argenteus Judaicus. Hebraei nullum habuisse videntur proprium Nummum ex argento, praeter Siclum, & ejus partes. Pondus Sicli exquisite semiuncia fuit, idest dragmarum quatuor, ut Josephus lib. 3. *Antiquitatum* cap. 9, S. Hieronymus in *Comment.* ad cap. 4. *Ezechielis* atque ad cap. 17. Matthaei, & Hesychius in *Vocab.* verbo [illegible] prodiderunt, deprehenderuntque viri docti nostra aetate, facto experimento. Licet autem LXX Interpretes Sicli vocabulum saepe reddant [illegible], ut videre licet in Genesi, Exodo, & Levitico; non reddiderunt tamen cum respectu ad Dragmam Atticam, sed ad Hebraeam, vel Alexandrinam. Etenim, cum Interpretes ipsi Hebraei essent, & Libros Sacros Alexandriae Graece converterent, omnino credibile est, aut ad Regionis suae, aut ad Alexandriae pondera eos respexisse. Drachma autem Hebraea, etiamque Alexandrina, Atticae dupla fuit, ut ostendit Edovardus Brerewood in libro *de ponderibus & pretiis veterum Nummorum, eorumque cum recentioribus collatione* cap. 1. Siclus, quem heic exhibemus, in antica vasculum ostendit, quo manna servabatur in Tabernaculo. Vasculo est superinposita Alphabeti litera *Aleph*, cum inscriptione Samaritica SCHECKEL ISRAEL, *Siclus Israelis*. In postica, visitur ramus florentis amygdali, Aaronicae Virgae efflorescentis monimentum. Siclos Judaicos illustrarunt Henricus Guntherus in Opere *de variis Siclis & Talentis Hebraeorum* edit. Francof. 1676, Kircherus Tom. 2. *Oedipi* Parte I. pag. 98. & seq., Waltonus in *Apparatu ad Biblia Polyglotta*, Villalpandus in *Apparatu ad Templum Ezechielis*, Waserus II. 3. & seq. *de Nummis Hebraeorum*, Ezechiel Spanhemius pag. 334 *de usu Numismatum*, Joannes Leusdenius in *Philologo Hebraeo mixto* Disser. 28, & alii. Vide etiam Jo. Andreae Schmidii Dissertationem Helmstadii editam *de re monetali Hebraeorum*. De Siclo Sanctuarii adde quae scripserunt Interpretes ad *Exodi* c. xxx. v. 13, Jo. Wulferus ad *Tractatum Talmudicum Shekalim* impressum Norimb. 1680, Buxtorfius *Lex. Talmud.* pag. 2032. 2068. & seq. & Andreas Beyerus in Libello edito Lipsiae 1667. qui inscribitur *Siclus Sacer & Regius appensus & ostensus &c.* [illegible] Tab. II. Sac. II.

51. Semisiclus Judaicus duarum drachmarum Atticarum pondere, cujus mentio habetur in Exodo. Fuit Tributum a viris singulis Tabernaculo & Templo pensitatum annuatim, &, post Templum dirutum, Capitolio Romano, ex decreto Vespasiani, ut Josephus testatur *de Bello Judaico* lib. 7. cap. 26. Hic, etiam Siclus Regius & Publicus dictus fuit. Ubi enim, Lib. I. *Machab.* cap. 10, Demetrius remittit Judaeis 5000 Siclos, Josephus lib. 13. *Antiquit.* cap. 5. pro iis posuit 10000. drachmas. Ponderabat itaque drachmas duas Attico didrachmo pares. Semisiclus, quem heic exhibemus, a superiori Siclo in eo tantum differt, quod, loco *Aleph*, supra vasculum seu mensuram *Gomor* scalptam habet literam *Beth*.

52. Alius Semisiclus Judaicus, cum vasculo, quo manna servabatur, ut supra. Hujus aliquot literae in inscriptione Samaritica exesae sunt, quae tamen ita redduntur a Calmetto in Lexico, *Semisiclus Israel*.

53. Item alius, eumdem ectypon, & epigraphen exhibens, ut Siclus supra relatus num. 50.

54.) Duo Sicli aerei Simonis, Judae

55.) Machabaei fratris, praeferentes in antica, quam heic exhibemus, palmam Ju-

INDICULUS TAB.II.SAEC.II.

Judaeae symbolum. Epigraphes in posteriori Nummo, est *Simeon*: in priori vero, duae ultimae literae desiderantur. In postica utriusque, cernitur vitis folium. Inscriptio Sicli 54, habet *Jerusalem*, reliquis elementis detritis. Alterius vero (nempe 55) compendiarias notas ita interpretatur laudatus Augustinus Calmettus in Lexico Biblico p. 599 *Anno secundo liberationis Israel.* Hermannus Conringius Helmstadii an. 1675 edidit *Paradoxa de Nummis Hebraeorum*, in quibus contendit, Siclos omnes olim fuisse argenteos, tum addit, nullum Nummum Hebraeum, qui refert hominis imaginem, esse genuinum: characteres vero Assyros, sive Samaritanos, non fuisse olim Hebraeis ad Civilia negotia usurpatos, nec, ante Captivitatem Babylonicam, Nummos signatos fuisse in usu, (ut asserunt etiam Relandus Disser. I. *de Nummis Samaritanis* pag. 49. & seq., & Salomon Deylingius *Observationum Sacrarum* Parte III. pag. 176. & seq.). Itaque nullum Nummum Samariticis, aut Hebraicis literis inscriptum, qui ex illa aetate jactetur, ait Conringius esse bonae notae, aut multum vetustum; nec posse certis argumentis demonstrari, Nummos Samariticis characteribus inscriptos Captivitate Babylonica antiquiores esse, sed omnes Hasmonaeorum sive Machabaeorum & Herodum aetate cusos videri.

56. Siclus aereus Judaicus, in quo visitur Aedificii tetrastyli prospectus, cum epigraphe SIMEON, Hic quoque Nummus ejusdem Simonis est, qui in patris sui, fratrumque honorem insigne hoc Mausoleum in Urbe Modin construendum curavit. Legitur in postica, *ob libertatem Jerusalem*; ejusque typus exhibet manipulum circumligatum, & uvae racemum, atque vitis folium.

57.) Duo Sicli argentei Judaici, In an-
58.) tica, quam heic exhibemus, cernitur fumans acerra (ad eam repraesentandam, quam super Aram thymiamatum in Tabernaculo Summus Sacerdos quotidie deponebat), cum epigraphe Samaritana SICLVS ISRAELIS, In postica vero extat Aaronis virga, seu olivae ramus, cum literis IERVSALEM SANCTA.

59. Siclus argenteus, cum typo, ut supra numeris 50. 51. 52. & 53. Scypho imminent literae *Schin*, & *Thau.* Ejus epigraphen (inquit Calmettus in Lexico Tom. II. pag. 599.), *nonnullas literas vel supplendo, vel mutando, explicant alii* SICLVS DAVID, alii SALOMON REX, *veluti seu Davide, seu Salomone regnante fuerit cusus*, Otto Sperlingius lib. de Nummis non cusis, inter alia cum memorato Conringio contendit, apud Judaeos ante Captivitatem Babylonicam nullum signati aeris usum valuisse, quod ex Genes. 23. v. 16. & Jerem. 32. v. 9. confirmare nititur etiam allegatus Relandus Dissert. I. *de Nummis Samaritanis* pag. 7. adversus Fortunatum Scacchum II. 3. *Myrothec*: sed & post Captivitatem, & nostri Salvatoris Christi tempore, contendit rude tantum ac informe argentum forcipe dissectum, ac libra appensum, monetae locum tenuisse; atque ita Siclos omnes esse suppositios, Verum Nummos cusos fuisse a Judaeis, non sinit nos dubitare locus I. *Machab.* xv. vers. 5. 6. ubi Antiochus Demetrii filius Syriae Rex cum aliis immunitatibus Simoni Pont. Max. permittit Ποιῆσαι κόμμα ἴδιον νόμισμα τῇ χώρᾳ αὐτοῦ. Vocabula μνᾶ, δραχμὴ, & ὀβολὸς Hebraicae esse originis, notat Jacobus Duportus ad Theophrasti characteres pag. 324.

60. Nummus Plotinae, Legitur in antica, quam heic exhibemus, PLOTINA AVG. IMP. TRAIANI, Caput Plotinae Augustae, In postica vero FIDES AVGVSTI S. C. Figura muliebris stans, quae dextra spicas, sinistra canistrum florum, & frugum gerit. Plotina Trajano Civi adhuc privato nupsit. Nihil ei felicitas Imperii addidit. Palatium ascendens, ex gradibus ad Populum conversa, (ut scribit Dio *Hist.* lib. 68. pag. 771) talis, inquit, huc ingredior, qualem me etiam egredi opto. Haec una fortassis ex Augustis ita modeste in summa potestate se gessit, ut de ea nullus jure conquestus sit. Augustae titulum recusasse, auctor est Plinius in *Paneg.* cap. 84; sed ante Annum Christi 112 *Augustam* appellatam fuisse, ex Nummis discimus. Vide Vaillantium *Num. Imp. Rom.* Tom. I. pag. 54. postremae Editionis, & Patinum pag. 188.

61. Nummus Marcianae, cum epigraphe in antica, quam heic exhibemus, DIVA AVGVSTA MARCIANA. Caput Marcianae. In postica vero, CONSECRATIO S.C. Aquila insistens scipioni. Marciana, Trajani soror fuit, ut in Arcu Auconitano legitur. Plinius eam summopere commendat in Panegyri c. 84. Conjugem amisit, antequam frater Imperio potiretur. Vidua, in Palatio sine rixa & contentione cum Plotina in pace degit. Augustam a Senatu dici, atque post mortem inter Di-

Divas referri promeruit. Vide Inscriptionem relatam a Panvinio in lib. *de Civitate Romana* apud Graevium Tom. I. cap. 27. pag. 299, Spanhemium *de Praestant. Numis.* Dissert. xi. pag. 271, Vaillantium *Num. Imp. Rom.* Tom. I. pag. 55, Theupolum *Mus. Antiq. Numis.* Tom. I. pag. 167, & Tillemontium *in Trajano* Art. 1.

62. Nummus Matidiae. Legitur in antica MATIDIA AVG. DIVAE MARCIANAE F. *Caput Matidiae*. In postica vero PIETAS AVGVSTA S.C. *Figura muliebris stolata stons, quae manus supra duas icunculas extendit*. Matidia Marcianae Trajani sororis filia, Juliae Sabinae, quae nupsit Hadriano, soror, Decreto Senatus Augusta renunciata est post matris obitum, ut arguit iste Nummus. Vide Spartianum in Hadriano, Vaillantium Tom. I. *Numism. Imp. Rom.* pag. 56, Museum Theupolum Tom. I. pag. 168, & Museum Musellianum To. I. Tab. 71. num. 2. & 3. Basilica Matidiae fuit condita, & Templum illi dicatum, postquam ab Hadriano adscripta est inter Divas. Pars ingentis fistulae non longe a Pantheo Agrippae reperta est, in qua fusilibus literis inscriptum erat TEMPLO MATIDIAE. Confer Publium Victorem in Regione viiii.

63. Signum Nervae Trajani Imperatoris, ex marmore Capitolino egregiae formae. Procerae staturae fuit, & firmis viribus; ut testantur Dio *Histor.* lib. 68. pag. 772, Plinius Secundus *in Panegyri* cap. 22, Aurelius Victor *in Epit.* cap. 13, & Eutropius lib. 10. *in Trajano*. Caput ejus, magnitudinis Colosseae, extat in Aedibus Farnesianis. Tertius a Nerone Imperator fuit, qui Ecclesiam exagitarit. Etsi enim minus esse crudelis Ethnicis videbatur; tamen cum injuria a Christianis affici sua Numina putaret, esse in eos animadvertendum constituit. Est illud exploratum, Plinium Secundum in Asia quosdam quidem damnasse, alios gradu pepulisse: sed deterritum multitudine, literas tandem dedisse ad Imperatorem, ut, quid factu esset opportunum, agnosceret. Imperator, quod esset imbutus superstitione, Plinium, quasi recte omnia gessisset, laudavit. Hoc tantum ab se decerni dixit, conquiri Christianos non oportere. Esse eos puniendos, si accusati, Christianos se esse minime negassent, Diisque supplicare recusassent. Trajanus nempe cavit, ne quis in Christianos inquireret; quod magnum esse eorum numerum accepisset, qui mori potius, quam Idolis, Imaginibusque Imperatorum sacrificare statuerant; ac periculum proinde esse vidisset, ne Urbes, Vicique desolarentur. Quo sane pacto imitatus est exemplum Vespasiani, Titi, ac Nervae, quibus Principibus, quamvis non deerant qui Christianos quandoque aggrederentur, atque ad supplicium raperent, Edicta tamen nulla vulgata fuerunt, quibus accusari nostri, occidique praescriberetur, ut scribit Cl. Mamachius *Orig. & Antiq. Christianar.* To. I. lib. 2. cap. 4. §. 2. num. 3. pag. 426, & Tom. II. lib. 2. cap. 21. §. 4. pag. 247.

64. Inscriptio Columnae Trajani, Publico Decreto scalpta in stylobate anno Tribuniciae Potestatis ejus XVII, nempe Urbis Conditae 867, Chr. vero 114 (quo, usque ad exitum Octobris, Trajanus annum agebat Trib. Pot. XVII, nondumque fuerat cognomine *Optimi*, ante Titulos *Germanici* & *Dacici*, donatus, ut ostendit Em. Norisius *de Epochis Syromacedonum* To. 2. pag. 298.). Mutila in ima parte, sic habet, TANTI... ...IBVS. Supple TANTIS OPERIBVS, non modo auctoritate Itinerarii Anonymi noni Saeculi, editi primum a P. Mabillonio, dein a Patruo meo in *Proleg.* Tomi II. *Anast. Biblioth.*; sed & alterius Codicis MS. relati a Montfauconio, quem ipse asserit fuisse exaratum, cum nondum haec Inscriptio diffracta esset. Marlianus quoque, & Mazochius, qui tempore Francisci Primi scripsere, similiter legerunt: item Comes Landus, qui anno 1559. de re Nummaria Librum conscripsit, editum Lugduni Batavorum anno 1695. Demum Raphael Fabrettus in lib. *de Columna Trajani* pag. 51 Geometrice probat, diffracti lapidis spatium eas solum literas capere potuisse, quae lectioni *tantis operibus* responderent. Quare illi, qui lacunam restituere voluerunt, aut *tantis opibus*, ut Egnatius, vel *tantis ruderibus*, ut Gruterus, seu *tantis ex collibus*, ut Donatus, sive *tantis molibus*, ut alii, proculdubio aberrarunt.

65. Stylobates ejusdem Columnae Trajani, quae Romae in Foro ipsius stat. Inscriptio Dedicationis ejus factae an. Aerae Ch. Vulg. 114, in nostra Tabula numero praecedenti exhibetur. Elegantissimum hoc Veterum monumentum, quo tam multa ad Antiquitatem spectantia docemur, per singulas anaglyphorum partes typis aereis vulgatum est. Inciduntur in circuitu res gestae a Trajano bello Dacico, & aliis Expeditionibus mili-

INDICULUS TAB.II. Sæc.II.

taribus. Alta est Columna pedes cxxviii, praeter basim, quacum efficit cxl. Structa est lapidibus xxiiii. tantae vastitatis, ut opus videatur non hominum, sed Gigantum. Singuli lapides, sive partes Columnae, continent gradus octo: per hos patet ascensus ad superiora per interiorem partem concavam. Lumen praebent ascendentibus fenestellae xliiii. Vide Franc. Modium *de Triumphis Veterum* lib. 1. cap. 36, Pagium *in Critice* ad an. Chr. 113, Marlianum *de Topographia Urbis* lib. v. cap. 1, Donatum *de Urbe Roma* lib. 2. pag. 174, Nardinum *de Roma Vetere* apud Graevium Tom. iv. pag. 1186, Montfauconium Tom. iv. Parte I. pag. 124 *Antiq. Expliq.*, & Doctissimum Fabrettum in laudato Opere *de Columna Trajani* cap. 9. pag. 294. & seqq. Supra hanc Columnam, vel infra, ut scribunt Cassiodorius in Chronico, & Eutropius lib. 8, ossa Trajani condita fuerunt, singulari praerogativa, seu privilegio, nemini antea concesso ut in Urbe sepeliretur: *solusque omnium* (inquit Eutropius) *intra Urbem sepultus*.

66. Inscriptio Trajani in impluvium Vaticanum translata anno 1704. Extabat olim in Hortis Fabiani Montii, ut legitur apud Gruterum *Inscript. Rom.* pag. 198. num. 3. Fuisse Alvei, Riparum, Cloacarumque Curatores, discimus ex hoc Trajani marmore, atque ex alio filii ejus Hadriani edito a Marliano in *Topographia Urbis* cap. 13, quod heic proferendum decrevimus, quoniam est quamsimillimum nostro, de quo loquimur:

EX AVCTORITATE
IMP. CAESARIS. DIVI
TRAIANI. PARTHICI. F.
DIVI. NERVAE. NEPOTIS
TRAIANI. HADRIANI
AVG. PONTIF. MAX. TRIB.
POTES. V. IMP. IIII. COS. III.
MESSIVS. RVSTICVS. CVRATOR
ALVEI. ET. RIPARVM. TIBERIS. ET
CLOACARVM. VRBIS. R.R. RESTITVIT
SECVNDVM PRAECEDENTEM
TERMINATIONEM. PROXIM. CIPP.
PED. CXV. S.

Ab Augusto inventus est Curator Alvei & Riparum Tiberis. Suetonius in ejus Vita cap. xliii *Quo plures*, inquit, *partem administrandae Reipublicae caperent, nova Officia excogitavit, curam Operum Publicorum, Viarum, & Aquarum, alvei Tiberis, frumenti populo dividendi Praefecturam Urbis*. Hæc ille. Utile autem hoc Officium fuit, quia ripas Fluminum publicorum reficere, munireque expedit, *l. 1. §. 1. ff. de ripa munien.* dandaque est opera, ne in illis aliquid fiat, per quod navigatio, aut usus publicus impediatur: sic & alveum Tiberis purgare, ut aqua facilius currat, Reip. interest. Hic Curator, postmodum *Comes riparum*, atque *alvei Tiberis* est appellatus.

67. Signum Homeri Poetarum & Historicorum Profanorum antiquissimi, a quo nostrum Lararium Caesarum Antoninorum capit exordium. Prodit ex marmore Musei Capitolini. Tatianus Assyrius in Oratione *contra Graecos* §. 31. *Nunc autem* (inquit) *convenire arbitror, ut Philosophiam nostram Graecorum disciplinis antiquiorem esse demonstrem. Termini nobis erunt Moses, & Homerus, quod uterque fit vetustissimus; at iste quidem Poetarum & Historicorum antiquissimus, hic autem Barbarae omnis Sapientiae Princeps. Eos ergo in comparationem vocemus. Nostra enim reperiemus non solum Graecorum disciplinis, sed etiam literarum inventione antiquiora. Testes autem non domi assumam, sed potius Graecis utar adjutoribus*. Iisdem antea fundamentis Sanctus Justinus Martyr superstruxerat suae Paraenesis basim, cum propositum sibi fuisset de vera Religione differere: *Quare*, inquit, *praeclarum factu judicavi, prima quidem de Religionis nostrae simul, atque vestrae Magistris inquirere, qui, & quales, quibusque temporibus fuerint; ut, & qui prius falso appellatam Religionem a Majoribus acceperе, nunc, re cognita, inveterato illo liberentur errore; sed & nosmetipsos clare & aperte demonstremus eorum Religionem sequi, quos in Dei cultu progenitores habuimus*. Utrumque hoc testimonium ostendit connexionem Methodi hujus Tabulæ Secundæ cum Propheticis atque Euangelicis Scripturis, & aptam superstructionem nostrae Demonstrationis Historiae Ecclesiasticae, inchoatae ab enumeratione & descriptione Auctorum tum nostrae Religionis, tum Ethnicae superstitionis, & Literarum; ut comparatio utriusque cultus, Divini scilicet, domi nostrae residentis, & alterius mendacis illorum, qui Ethnicae disciplinae Magistros sequi profitebantur, Ecclesiae aedificium a Sapienti Architecto delineatum ex Judacis ac Gentibus patefaceret. Quare producendi erant in publicum lumen ex nostris quidem partibus Apostoli, & Prophetae, & omnium Doctor

& Do-

& Dominus Jesus Christus, in quo reparata credimus universa; ex adversa vero Schola Ethnicorum, Poetae, Sapientes, Legislatores, Philosophi, quos enumerant expenduntque Justinus, & Tatianus; ut comparatis indicationibus temporum, doctrinae, morum, cognosci posset, utra ex parte pietas, veritas, sapientia haberetur. Descendendum igitur fuerat ad Homerum, & Hesiodum inter Poetas; ad VII. Graeciae Sapientes; ad Pythagoram inter Italicos Philosophos; ad Platonem, & Aristotelem inter Socraticos. Singulorum aetas erat expendenda, & conferenda cum nostris Auctoribus, Dogmata comparanda; adscitis etiam in commune certamen Oraculis, ubi hominum praestantia defuisset. Praeter Graecae eruditionis Magistros, tentandae etiam erant origines Aegyptiorum, ac Phoeniciae disciplinae, unde Graeca profecta est, Cadmi literae, Solonis leges, Orphaei Theologia, quidquid denique Antiquæ Eruditionis jactabat Ethnica superstitio; ut consona, & dissona singulorum, collata cum armonica Scripturarum nostrarum compage, demonstrarent Propheticam atque Euangelicam veritatem. Sed ad Homerum redeamus, Poetarum & Historicorum Ethnicorum, ut diximus, antiquissimum. S. Justinus Martyr *in Cohort. ad Graecos* pag. 20. de ipso haec scribit: *Homerus fabulose plures Deos commemorat, ne discrepare videretur ab Orphaei poesi..... At paulo post suam ipsius, de uno & singulari Deo, clare & aperte exponit sententiam, nunc per Phoenicem, sic Achillem alloquens* (Iliad. I.),

Non Deus ipse mihi si spondeat auctor,
Facturum abstersa juvenem florere senecta;

per pronomen, eum qui vere est, Deum indicans: nunc per Ulyssem, sic ad Graecorum multitudinem verba faciens(Iliad. B. v. 206.):

Non bonum est multorum Principatus: unus Princeps esto:

Porro non bonum esse multorum Principatum, sed potius malum, re demonstrandum sibi proposuit, eorum bella ob Principum multitudinem, & pugnas, & seditiones, & mutuas insidias enarrans. Nam Monarchia his incomodis caret. Haec quidem Homerus Poeta. Et pag. 24. *in eadem ad Graecos Cohortatione* num. 24. ait: *Quomodo ergo Homerum Civitate sua ejicit Plato, quod Phoenicem, suscepta ad Achillem legatione, haec Achilli dicentem induxerit*, mutabiles & ipsi sunt Dii; *cum Homerus non de Rege, & Deorum secundum Platonem Opifice, id dixerit* (Iliad. I.); *sed de Diis quibusdam, quos Graeci plures esse existimant; ut discere est ex ipso Platone, cujus haec sunt verba:* Dii Deorum. *Uni enim & primo Deo potestatem & imperium omnium Homerus per auream illam defert catenam: ceteros autem Deos tantum ab illius Divinitate abesse putat, ut eos una cum ipsis hominibus nominare non dubitet. Ulyssem enim inducit haec de Hectore Achilli dicentem* (Iliad. I. v. 239.),

Dira furit Jove confidens, nec jura veretur
Ulla hominum, atque Deum.

Omnino mihi videtur hoc loco Homerus, eum in Aegypto, non secus ac Plato, de singulari Deo cognovisset, clare id & aperte significare, si quis ei, qui est, Deo confidat, illum eorum, qui non sunt, rationem nullam habere. Sic enim & alibi Poeta per aliam vocem ejusdem ponderis, idest per pronomen, allato utitur a Platone participio, eum, qui est, Deum designante, de quo dixit Plato, quod sit illud, quod semper est, ortum autem non habet. Neque enim temere mihi dictum videtur a Phoenice,

Non Deus ipse mihi si spondeat Auctor,
Facturum abstersa juvenem florere senecta.

Nam pronomen ipse, *eum, qui vere est &c. designat Deum*: & pag. 25. num. 25. *Quomodo igitur* (inquit) *Philosophus Plato, eum Poetam Homerum*, mutabiles Dii & ipsi, *dicentem condemnaverit, ipse opificem Deorum tam facile mutabilem inducit; ut nunc Deos mortales, nunc eosdem immortales esse dicat ... non enim advertit, se ipsis illis, quae in Homero reprehendit, implicatum teneri, ut qui opificem Deorum tam facile dicat immutari, cum de eo Homerus contraria dixerit. Illum enim inducit haec de se ipso dicentem* (Iliad. A. v. 526.),

Non enim meum revocabile est, aut fallax,
Aut irritum, & infectum, quidquid capite annuero.

Haec, & quammulta alia ex Hebraeis didicit Homerus in Aegypto, ut idem Sanctissimus Martyr scribit pag. 27. num. 28. ejusdem Cohort. *Nec solus Plato, sed & Homerus, cum eadem & ipse in Aegypto didicisset, Tytium similiter cruciari dixit. Referens enim Ulysses editam sibi apud Inferos Divinationem, ita narrat Alcinoo* (Odyss. A. v. 576.),

Et Tytium vidi terrae gloriosae filium
Prostratum in pavimento, hic novem jacebat jugera.

Vul-

Vultures ipsi utrinque assistentes jecur
fodiebant.

Eodem etiam modo Sisyphum, & Tantalum scripsit poenas cum corpore persolvere. Homerum autem in Aegypto versatum, & ex his, quae ibi didicerat, multa in suam Poesim trasstulisse, praeclare docet Diodorus Historiae Scriptorum celeberrimus. Multa, inquam, Homerus praeter profana, ex divina etiam Prophetarum Historia in suam Poesim transtulit. Trasstulit autem imprimis, quae a Mose de Mundi creationis initio ducuntur. Sic enim scripsit Moyses (Gen. 1. v. 1.), In principin creavit Deus Caelum, & Terram: deinde Snlem, & Lunam, & Stellas. *Haec Homerus cum in Aegypto didicisset, issque delectaretur, quae a Mose in Genesi, sive in libro de Mundi creatione scripta sunt, finxit Vulcanum in clypeo Achillis imaginem, quamdum Mundi creationis descripsisse. Sic enim scripsit* (Iliad Σ. v. 483.),

In en quidem Terram effinxit, & Caelum,
& Mare,
Solemque indefessum, Lunamque plenam,
Sideraque omnia, quibus Caelum cnronatum est.

Fecit etiam, ut Paradisi imaginem servaret Alcinoi hortus; semper floribus ornatum, ac fructibus refertum hac imagine Paradisum exhibens: Sic enim scripsit (Odyss.H.v.116.),

Ibi vero arbores procerae. crescebant
flnrentes,
Pirus, & malus punica, et aliae mali,
pulchrum fructum producentes,
Ficusque dulces, et nleae virescentes &c.

Annon haec verba eorum, quae de Paradiso a Principe Prophetarum Mose dicta sunt, claram & apertam imitationem designant? Quod si quis ipsius quoque Turris constructionem considerare velit, per quam homines illius aetatis ascensum in Caelum sibi communire posse videbantur; id quoque apte a Poeta in Oto, & Ephialto imitatione per allegoriam expressum reperiet: loquitur enim de illis (Odyss.A.v.3.). *Similiter & de praecipitata a Caelis Humani Generis hoste, quem Scripturae Divinae Diabolum vocant; quod el nomen ex prima illius adversus hominem calumnia impositum, si quis considerare velit accuratius, reperiet, Poetam Diaboli quidem appellationem non usurpare, sed nomen ei ex pessima illius actione imponere: Noxam enim eum appellans, e Caelo ab opinato apud illos Deo praecipitem datum esse dicit; quasi eorum, quae de illo a Propheta Esaia dicta sunt, accurate meminisset. Sic igitur scribit in sua Poesi* (Iliad. T. v.126.),

Illico corripuit Atem, capite nitentibus
capillis ornato,
Iratus animn sun; & juravit firmum juramentum;
Nunquam in Olympum, & Caelum Stellatum
Redituram Atem, quae omnes infortunio
afficit.
Sic fatus, jecit a Caelo stellatn,
Manu rntans: mnx pervenit ad opera
hominum &c.

Quod autem Homo ex terra formatus est, id etiam Homerus ea antiqua & Divina Historia cum cognovisset, ita dicente Terra es, & in terram reverteris, *exanimem Hectoris corpus surdum terram appellat. Alicubi enim in Achillem Hectoris mortui corpus raptant eum haec dicit:* (Iliad. Ω. v. 54.),

Insensibilem enim terram contumelia
afficit furens.

Et alibi Menelaus, his, qui Hectoris provocationem ad singulare certamen minus alacriter acceperant (Iliad. H. v.99.),

Sed vos quidem omnes aqua, & terra
fiatis.

prae irae magnitudine in antiquam eot & primam ex terra originem resolvens. Hec in Aegypto ex vetustis Historiis praecepta Homerus in suis libris scripsit. Confer etiam Cl. Huetium, qui *Demonst. Euan.* Prop. IV. p. 43 item attendit, Homerum studinrum causa Aegyptum petiisse, ut tradit Diodorus *Lib.* 1. imn & Aegyptium a plurimis existimatum, ut asseverat Clemens Alexandrinus *Strom.* 1. Cum autem dubitare nns non sinant ea, quae retulimus ex Justino, quin tum apud Aegyptios vigeret Mnsis memoria, atque illuc jam penetrassent ipsius scriptinnes; quis illas, unde tantarum rerum nntitiam poterant cnmparare, neget ab iis lectas & sublectas, qui illuc discendi gratia proficiscebantur? Uetius id cnfirmat (praeter allata a nobis testimnnia) ex libris ejusdē Homeri, in quibus sexcenta alia deprehendere licet ex Mose deprompta: velut cum scribit, Deos peregrinorum habitu urbes circumire, ad exploranda hnminum bene vel male facta. Id ipsi suppeditavit Moses, cum tres Angelos Abrahamn apparuisse scribit. Augurium, ejusque expositin, quae habentur in Homeri Odyssea, cum, aquilas in capita procorum invnlantes, mortem ipsis Augur portendere declarat; nonne similis ostenti imitatin est, quod Aegyptio pistorum magistrn in somnis cnn-

contigit, & in paris eventus significationem traxit Josephus? Multa etiam hujus generis apud Hesiodum nanciscare. Graecanicae Theogoniae architectos fuisse Homerum, & Hesiodum disertis verbis Herodotus *Lib. 2. cap. 53.* pronunciat. Septimum diem sacrum esse, & hic docuit, & Homerus; qui & eo cuncta perfecta fuisse addit, ut ab Aristobulo adnotatum est. Hominem luto formatum, & primorum hominum vitam nostra hac fuisse diuturniorem, scripsit Hesiodus, quae mere Mosaica sunt. Ate Homeri, Pandora Hesiodi, Eva est parens Generis Humani. Omnia Homerum ex Oriente deprompsisse, demonstraturum se spoponderat non semel Heinsius in Aristarcho Sacro *Par. 1. c. 1.* Prodiit Libellus ante annos aliquot, quo locutiones Homericae & Hesiodeae Mosis, aliorumque Scriptorum Sacrorum colliguntur: ex quibus cognoscitur, tantam Hebraismorum segetem, nonnisi ex Librorum Sacrorum lectione suboriri potuisse. Atque hinc factum opinor, Aristaeae Proconnesii, (qui saepe confunditur cum Aristaeo Apollinis filio, quem Mosem esse ostendit idem Huetius) discipulum creditum fuisse ab aliquibus Homerum, ut Strabo *Lib.* XIII. & Eustathius *in Hom.* N. B. prodiderunt.

68. Signum Hermetis, sive Mercurii Hierogrammatei Aegyptiorum & Phoenicum, ex Xysto Vaticano. Quinque Mercurios Vetustas coluit, ut tradit Cicero *de Natura Deorum* lib. 3. Vide *Librum Antiquarium* nostrae *Demonstrationis Historiae Ecclesiasticae Quadripartitae* a cap. I. ad VI. in quo agitur de quarto & quinto Mercurio omnium praestantissimo, ab Aegyptiis *Thoth*, a Phoenicibus *Taauto*, a Graecis *Hermete*, a Latinis vero *Mercurio* appellato, literarum inventore, in quem Ethnicorum licentia Moysen transformavit primum Auctorem vocum scribendarum per literas. Confer etiam Platonem, Diodorum, & Plutarchum. Cl. Huetius *Demonst. Euan.* Prop. IV. pag. 77. scribit: „ Inter Aegyptiorum Deos celebrabatur inprimis Mercurius, Theuth ab iis dictus, ut est apud Platonem, vel Thoyth, ut apud Ciceronem & Martianum Capellam; qui ex ἰσοψήφω, hoc est arithmetico literarum vocabuli hujus valore, per eam artem, quam Geometriam Rabbini appellant, collecto, mira quaedam comminiscitur. Idem Alexandrinis Thoth dicitur, Taautus Phoenicibus; quem Varro, Togatorum licet Doctissimus, rerum sane exoticarum valde rudis, cum Caelo, & Saturno perperam confundit. Hunc Mercurium, non vanis opinationibus, & verisimillimis ductus conjecturis, ipsum esse Mosem existimat idem Huetius; atque ea sane est copia argumentorum ejus, ut iterare heic non attineat, quae ipse attulit, cum Taautum Mosem esse probavit. Ad nomen Thoyth quod spectat (inquit ipse) persuasum fuit Scaligero, & aliis, factum illud ex *Tohu*, quae dictio inter primas Geneseos Mosaicae dictiones occurrit. Nempe Auctori de scriptione sua nomen finxerunt. Et pag. 79. ejusdem *Demonstrationis Euang.* „ Vidimus, inquit, nomina Mercurii ex Mose esse profecta; nunc videamus res ipsas. Mercurium Thebaeum fuisse narrat Clemens Alexandrinus: Cicero vero, Nilo patre natum: Moses Aegyptius fuit; & infans Nili aquis impositus, atque inde extractus a Thermutide Pharaonis filia, ejusque famulabus. Id etiam causae fuit, cur in Tricrenis lotus a Nymphis Mercurius creditus sit; quemadmodum Pausanias in Arcadicis scriptum reliquit. Vulcanus, in Luciani Dialogis, Apollini praedicat Mercurii recens nati venustatem, eamque omnibus placere ait; formae quoque suae elegantiam illic jactat Mercurius: scitulus quippe infans fuit Moses, & pulchellus, uti legitur in Exodo, cujus rei fama & ad Ethnicos manaverat; sic enim de eo Justinus: *Quem, praeter paternae scientiae haereditatem, etiam formae pulchritudo commendabat.* Mercurio sexum utrumque tributum esse ab Antiquis, cum utriusque insignibus lancea, & colo, Albricus observat: Leges Judaeos a Muliere, cui nomen Moso, scripsit Alexander Polyhistor, ut habetur apud Suidam. Horae nascentem Mercurium exceperunt, & aluerunt; lac suum Juno ipsa praebuit: Moses a Regiis puellis Nilo extractus, ab ipsa Regis filia educatus est. Quidam Mercurium Arcadem dixerunt, propter Aegyptiorum, & Argivorum, qui Arcadibus vicini fuerunt, affinitatem, ab Aegypto, & Danao Beli filiis prognatorum, ut est in fabulis. Erat in Troade, quemadmodum refert Pausanias, ad sepulcrum Herophiles Sibillae, in loco Sminthei Apollinis, Statua Mercurii, ad laevam aquas habens in labrum defluentes: propter aquas nimirum a Mose ex rupe eductas. Observavimus supra (scriptumque reliquit Philo Biblius), Taauto deberi inventionem literarum, primamque commentariorum lucubrationem. Idem de Mercurio Aegyptio, praeter Ciceronem, Dio-

INDICULUS TAB.II.SEC.II.

Diodorum, Plutarchum, & alios, memoriae prodidit Plato in Phaedro, & Philebo. Ait ille, scribendi ac legendi artem excogitavisse Theuth Aegyptium, & variarum rerum fingendis nominibus operam dedisse: quia, opinor, Mosaicos libros omnium quos cognovisset antiquissimos esse acceperat. Vide Abrahamum Ortelium *de Deorum Dearumque capitibus* lib. I. apud Gronovium Vol. VII. pag. 268.

69. Signum Herculis Aegyptiae ac Phoeniciae Disciplinae propagatoris, ex Museo Vaticano. Hic, ut animadvertit Huetius *Demonstr. Euang. Proposit. IV.* pag. 151. fingitur Nilo patre natus, & Mosis aequalis; in eumque Veteres Ethnici fabulatores Josua transformarunt, qui item in Aegypto natus est Mosis temporibus. Tyrius quoque dictus est Hercules: nam Phoenices cum Judaeis confundere Graeci solent: quippe & Palaestinam Phoenicem esse dictam, & Judaeos Phoenicibus permixtos, perhibent veteres Geographi &c. Ea Tyriis tribuit Theophrastus in lib. *de Legibus*, quae Judaeis solis convenire docet Josephus disputans contra Apionem: nec Phoenices, & Syros Palaestinam incolentes, a Judaeis distinguit Herodotus, ut ibidem Josephus adnotavit; nec distinguit Aristophanes, cum Phoenices appellat ψωλοὺς, *recutitos*; cum non ipsi, sed vicini eorum Judaei praeputia ponerent. Hinc ergo patet, cur Herculi, qui Josue est, patria Tyrus assignetur. Idaeus quoque, & Cretensis dictus est Hercules; quod *Keretim*, appellentur Palaestini, & Idaei cum Judaeis confundantur. Trinoctio genitum eum ferunt, propter moram Soli a Josua injectam per Gabaonitanae pugnae tempus: unde & finxerunt auctores Fabularum, Solis radiis aliquando adustum Herculem, arcum in eum intendisse: unde & Astronomiae peritus Hercules habitus est, adeout Astrologus cognomine sit dictus, ut habet Festus: unde & Sol ipse a Graecis creditus est, ut est apud Eusebium, & Macrobium: unde & Atlantem Caelum humeris gestantem sublevasse, & oneri successisse commenti sunt; vel fortasse quod in partem curarum, ac dignitatis Josuam asciverit Moses, quando capiti ejus impositis manibus partem illi gloriae suae transcripsit (quemadmodum habet Liber Numerorum), atque is, Mose demum defuncto, Israeliticae Reipublicae administrationem capessivit; vel quod montem Sinai subeuntem Mosem solus Josue sit comitatus. Mercurii, Osiridis, Aesculapii, & Evandri, quos Mosis figuram gerere inquit Huetius, aequalis Hercules ponitur. Nec aequalis dumtaxat, sed socius quoque est Mercurii dictus: unde & communia olim utriusque fuisse Simulacra tradunt Aristides, ac Leonides; et communes utrique visuntur Inscriptiones; et utriusque Statuae in triviis collocabantur. Liquidum etiam est, quamobrem scripserit Diodorus, Osirim ad bella proficiscentem copiis suis Herculem praefecisse. Quod vero addit, eumdem in exercitu Anubin habuisse, id Calebum notat, unum ex Terrae promissae exploratoribus Josuae socium; cujus nomen *Keleb*, cum *canem* sonet, idcirco Anubin Cynocephalum mendax vetustas confinxit: atque hinc etiam nata est fabula de cane Herculis purpurae repertore. Arma accepisse Herculem a Mercurio, et Apolline, et Vulcano, fabulatur Apollodorus: hos tres unum Mosem esse liquet, cujus imperiis arma sumsit Josue, et tractavit. Hesionem ab irruente ceto tutam praestitit; Andromedam Perseus, qui Moses est. Magum et praestigiatorem fuisse Herculem, idem Diodorus asseverat; quod inusitatis prodigiis Josuae victorias Deus promoverit. *Musarum Dux* vocatus est, perinde ut Apollo, qui Moses est, cum quo communia multa habet Josue. Hercules Musarum appellatur apud Macrobium, & in Inscriptionibus: quo nomine Romae cultus fuit. *Antesignanus* etiam nuncupatus est, quemadmodum & Mercurius, altera Mosis imago. Discas hoc ex Pausania. Philosophus eximius habitus est, Suida teste; quod in Mosem aptissime quadrare docet idem Huetius. Refert Cleodemus adversus Antaeum gigantem cum filiis Abrahami Herculem esse profectum: Josue adversus Enacaeos gigantes cum Israelitis Abrahami nepotibus bellatum ivit. Post devictum Antaeum coronatus dicitur Hercules a Mercurio, qui Moses est: hic Josuam, ob res praeclare gestas, meritis praemiis & laudibus prosecutus est. Παραστάτης cognomento dictus est Hercules Idaeus, ut narrat Pausanias, hoc est Satelles, & Stipator, & Comes, & Custos, quemadmodum appellatur in Marmoribus antiquis; quod hoc officium Mosi Josue praestiterit. Ideo adversus Indos bella gessisse dicitur, & adversus Aethiopas; quod hos bello lacessiverit Moses; illos vero sub Bacchi persona expugnasse fingatur. Ideo etiam Vatem Herculem, & naturalium rerum scientem fuisse tra-

tradit Herodotus apud Clementem Alexandrinum; quippe Mosis pleraeque dotes, Josuae propter individuam societatem adscriptae sunt. Atque haec pensanti mihi, probabile fit, Columnas illas celebres Herculis ex Columna ignea Hebraeorum exercitui praeeunte originem habuisse: quanquam valde incerta sunt, quae de Herculeis Columnis jactantur. Unicam quidem Columnam ab Hercule Aegyptio in Africa positam, Diodorus commemorat. In Gaditano Herculis Templo Columnas fuisse auro & argento fusas, Philostratus testatur: numerum Columnarum non apponit, nec Strabo, qui non alias ad fretum Gaditanum positas fuisse arbitratur, Posidonii auctoritatem secutus. Duas In Tyrio Herculis Templo Columnas, alteram ex auro, ex smaragdo alteram, positas fuisse perhibet Herodotus. Neque heic praetermittendum est, quod ex Sanchoniathone tradit Philo Byblius. Usoum Hypsuranii fratrem duas Columnas Tyri, Igni, Ventoque consecrasse, & adorasse, ac ferarum sacrificiis coluisse. Aperte vides Columnam illam ignis, & nubis, in qua ducem se Hebraeis praebuit Deus, qui crebris animantium immolationibus ex instituto Mosis placabatur. Adde, fratribus his defunctis, eos qui superstites fuere, virgas consecrasse, eosdemque Columnas adorasse &c. Sed redeamus ad Herculem. Scribit Menander, a quo Tyriorum Annales e Phoenicio sermone in Graecum translati sunt, in fragmento, quod libris suis *Historiae Antiquitatum* Josephus intexuit, in Tyrio Jovis Templo dedicatam fuisse ab Iromo Rege auream Columnam, in gratiam, ut puto, Herculis, quem impense idem Iromus coluit, ut habet ibidem Menander, primusque ipsum statua honestavit; cum in Templo ipsius Gaditano nullam fuisse effigiem doceant Silius, & Philostratus. Addit Eupolemus, auream hanc Columnam Tyri in Templo Jovis consecratam, donum fuisse Salomonis. Hoc si verum sit, jam tum in profanos Gentium ritus declinasse Salomonem dicendum est, cum Ethnicis impietatis instrumentum subministravit. At credendum potius Theophilo, qui narrat, Salomonem residuum ex Templi fabrica aurum ad Tyrium Regem muneri misisse, hunc filiae simulacrum ex eo conflavisse, & in aurea Columna sic tanquam theca conclusisse. Manavit & ad alias Gentes isthaec Columnarum consecrandarum religio. In Templo Jovis Triphylii visebatur Columna aurea, ab ipso Jove, ut indicabat titulus, posita; ex cujus praecipue inscriptionibus Euhemerus antiquus Auctor, Jovis, ceterorumque Deorum historiam compilavit. Testes Diodorus, & Lactantius. Fuisse & in Fano Junonis Laciniae Columnam auream, scripsit Cicero ex Coelio; quam a Tyriis positam, persuadet recepta apud Veteres opinio, Fanum hoc ab Hercule fuisse extructum. Hercules enim magno in honore erat apud Tyrios; ut credibile sit, gesta sua, & reperta, velut inventionem purpurae, ipsi nonnunquam adscripsisse. Addit Cicero, Hannibalem, Columnam hanc cum exterebrasset, & solidam invenisset, auferre voluisse; verum, monitu Junonis absterritum, ex eo auro, quod extritum fuerat, buculam conflari jussisse, & in summa Columna collocari. Quo facto geminum videtur conjunxisse Mosaicae Historiae symbolum, & Columnam, & buculam. Nam ad hanc quod attinet, nihil aliud fuisse puto, quam Apidis simulacrum, quem Mosem esse diximus. Hanc Aegyptiorum Populorum religionem, quam & ante Mosem jam in Aegypto receptam fuisse supra diximus, imitati sunt Aaron, & Jeroboam, cum vitulos aureos adorandos proposuerunt Hebraeis, qui mores Aegyptios nondum penitus dediscere potuerant. Imitatae videntur & finitimae Gentes, atque eam deinde a Tyriis Carthaginienses, eorumque Dux Hannibal accepisse. Praeter memoratas Columnas, alias quoque ab Hercule, item ut a Baccho, qui Moses est, in India positas fuisse, legitur in Epigrammate Antipatri Sidonii; legitur & apud Servium, Herculem Columnas in Ponto, ut & in Hispania, statuisse. Germanos etiam Columnarum effigie imitatos esse Herculem, Witichindus memorat: & sua aetate prope Frisios Herculis Columnas superfuisse, testatur Tacitus. Et nos jam observavimus ex Clemente Alexandrino, Bacchum & Apollinem, qui Mosis icones sunt, Columnae symbolo, propter eamdem Columnam Israelitarum Ducem, fuisse expressos. Queritur praeterea Josephus, Apionem Grammaticum Mosaicarum rerum non satis peritum scripsisse, Mosem Heliopoli Columnas quasdam statuisse ad Solis motus explorandos. Tot commentitias Columnas peperit una haec Columna, in qua delitescens Dominus, Ducem se itineris Hebraeis praebuit. Ac pro una quidem, duas ab aliquibus videmus fuisse confictas; quod Israelitica haec per diem nubi-

INDICULUS TAB.II.SEC.II.

nubilo esset colore, per noctem vero igneo; atque ita quasi duplex haberi posset, juxta illud Mosis ad Deum: *In Columna nubis praecedas eos per diem, & in Columna ignis per noctem*. Alexicacon Graeci Herculem appellabant, Coi contractius Alexin, hoc est Averruncum; ita alludentes ad nomen Josuae, *Josecaa*, quod Servatorem & Salutiferum sonat. Sed & Herculem *Servatorem* cognominatum ferunt in Nummis Thasiorum, qui fuerunt Phoenicum coloni; &, uti par fuit & testatur Pausanias, Herculem eumdem colebant, ac Tyrii; quemadmodum & Tyrios Herculis Thasii Templum habuisse perhibet Herodotus. Hinc saepe in Inscriptionibus appellatur Hercules Conservator, & Hercules Defensor, quo nomine Romae Templum habuit. Quaedam habet, DEO HERCVLI COMITI ET CONSERVATORI. Alia, HERCVLI COMITI CVSTODI &c. Haec ex Huetio.

70. Nummus quantivis pretii a Clarif. Praesule Leone Strozzio dono datus Francisco Blanchino Patruo meo, in quo Hermetis nomen legitur. In aversa parte visuntur Hieroglyphicae notae, a Phoeniciis seu Cananaeis, Aegyptiisque Hermetibus usurpatae ante Mosen primum elementorum auctorem, ut ostenditur in *Libro Antiquario* c.3. quod illustrat inventa Mercurii, sive Hermetis, nempe Chanaani, & Phoenicum ejus posterorum, ex Nummo Hadriani, atque ex isto M. Aurelii, ipsius Hermetis nomine, ac notis inscripto. Plures fuerunt Hermetes. Tres primi habendi sunt Chanaan, ejusque liberi, ab Ethnicis deformati in Hermetes. Vide supra num.68. hujus Tabulae.

71.) Antiquus niger lapis ex Museo Vatica-
72.) no, Aegyptius hieroglyphicis insculptus in postica. In antica vero parte visitur Anubis, sive Mercurius Thoth, vel Taautus, canino capite expressus, utraque manu gestans rudimentum literae principis in Alphabeto Phoenicum, aliorumque Orientalium, unde Graeci suum *Alpha*, Latini A sunt mutuati. P. Kircherius *Interpr. Obelisci Sacc.* sive *ad Minervam* pag.69. haec profert ex Plutarcho *Sympos.*5. „ *Mercurius primus Deorum in Aegypto traditur invenisse literas, atque adeo Ibim Aegyptii primam literam faciunt, Mercurio videlicet Agathodaemoni convenientem*. Vide *Librum Antiquarium* cap. VII.

73. Lapis admirabilis Homeri Sacerdotis Musarum, in Marinensi Excellentissimorum Principum Columnensium Ditione effossus, qui assuetum tantae Familiae in elevandis Literis patrocinium abunde testatur. Hic Princeps Poetarum a Cibele, vel ab Iside coronatur: ad ejus latus ΧΡΟΝΟΣ adstat, sive is Saturnus sit, ac aeternitatem significet; sive *quod annis saturetur*, ut Cicero, & Lactantius tradunt; sive Tempus, utpote alas gestans, aeternitatis item imaginem, juxta Platonem, & Pythagoricos; sive demum Caelum ipsum, unum & idem cum Saturno, ex Varrone; ut animadvertit Doctissimus Praesul Raphael Fabrettus in lib. *de Columna Trajani* pag. 346, ubi hoc monumentum illustrans, haec addit: *totam Homeri sedentis imaginem heic repeto, quam alteri Bellorii sociam dedi? Hanc itaque, quam ex autographo in Aedibus Columnensibus Illustrissimus D. Marcellus Severolius semel & iterum mecum recognovit, (ut eundem, ob ingenii praestantiam, & amoeniorum studiorum societatem, in examen omnium meorum cogitationum adhibere soleo) hanc inquam, si cum Kircheriana conferas, in pluribus illam emendandam esse patebit. Et primo, sub priori muliebri figura, nos rupto marmore* ... ΚΟΥΜΕΝΗ, *eoque suppleto* ΟΙΚΟΥΜΕΝΗ, Terram Matrem, Cibelem, *sive* Rheam *plane & perspicue legimus: ipsi vero (consentiente Spanhemio male oculato teste Dissert.*v. de Praest.& usu Numism. *pag.*489) ΕΥΜΕΛΙΑ *nescio unde emersit; hancque ob* dulcia cantica *Homero coronam imponere fingit; quam nos* consensu totius Orbis *sibii traditam inserimus. Cibeli autem, seu Magnae Matri*, capitis summi praeclarum insigne, *Turrim nimirum, emendatio nostra restituit, ubi apud Kircherium, Columna inter hanc, & virum alatum a laeva stantem, erecta est. Quod si Aegyptia interpretamenta cum Kircherio magis arrideant*, Iisdem *cum modio in capite (quam eandem cum Terra Servius, & Macrobius constituunt) heic agnoscendam, retenta eadem significatione, non abnuerim: & fortasse proprior modio, quam turritae coronae, hic capitis ornatus dici potest &c. Ad latus hujus* ΟΙΚΟΥΜΕΝΗΣ *ei jungitur* ΧΡΟΝΟΣ: *Kircherii interpretationem effugit, quia ipse, nulla significatione,* ΚΙΡΟΝΟΣ *legit: & docte, sed inoportune Spanhemius,* τὸ ΧΡΟΝΟΣ *aperte expressum, ex duabus literis* KH, *vetusto more locum* X *literae occupantibus, intelligi voluit. Nos igitur Caeli Terraeque in Homeri venerationem consensum, seu utriusque Poematis ejusdem (qualibet enim*

manu

manu suum volumen gestat) aeviternitatem, & nunquam interituram memoriam polliceri credimus. Quos Kircherius ad Homericae sellae latera Genios adstantes Aegyptiaco vestitu, & gestu, & in manu alterius flagellum [illegible], symbolum energiae in profligandis Tyrannorum vitiis, & vitiosorum hominum flagitiis *commentus fuit; nos mulierum specie, eam, quae ad dexteram,* Iliadem, *quae ad sinistram,* Odysseam, *ex subjectis titulis* ΙΛΙΑΣ ΟΔΥΣΣΕΙΑ, *& ex utriusque symbolis, facili, nec longe petitu conjectura, judicamus. Ensis namque, hujus Heroum gesta,*

Et pugnata sacro bella sub Ilio

exprimit; prout aphlastum hujus formae in alterius manu, navigationes, & maritimos Ulyssis errores, atque adeo ipsam Odysseam demonstrat. Aphlastum, inquam, quale in maritimae potentiae ostentationem Tyrios in Nummis usurpasse, pluries observat Vaillant. in Hist. Reg. Syriae, *& praesertim in Demetrio Nicatore pag. 285. & 289. & proprie, ad maris trajectus significandos, Neptunum cum eodem aphlasto in manu expressum videmus, tam in Nummo Vespasiani 4. apud Tristanum p. 287, quam in alio Titi apud Oiselium Tab. 36. n. 12, pro reditu eorumdem ex Oriente ad capessendum Imperium percussis. Adscribitur quoque ab Auctore hujus marmoris Homero illud obscuri argumenti poematium Batrachomyomachia, (dubitantibus sane Vitae Homeri Scriptoribus, hoc est tam Proclo, quam Auctore anonymo apud Allatium de* Patria Homeri *in fine suae Praefationis), ut ex muribus in imo folio, volumen hinc inde arrodentibus, infertur; quod nec pariter Kircherius advertit, Aegyptiis mysteriis, in Graeco quamvis Poeta & statuario, evolvendis intentus. Asserta cum Allatio, ni fallimur, veriori Homeri effigie, ad nonnulla adhuc circa eam consideranda cum eodem summatim procedemus. Ponderat enim vittarum honorem cum Regibus, Imperatoribus, ac Sacerdotibus communem: Musarum siquidem Sacerdos, quin & totius naturae Mysta Homerus fuit; quem propterea pallio amictam dicit, Philosopho etiam conveniente. Subdit Allatius, ideo sedentem expressam, sive doctrinae caussa decreta illi cathedra, sive quasi Apotheosis indicio, quam Templa illi erecta, & integrae tertiae Tabulae apud P. Kircherium contentae, ara & victima statuta, luculentius probant. Rarum etiam, & ipsa, ut puto, vetustate exoletum postea morem, Chiorum Nummus, & Bellorii Tabella revocant, volumine non in communem modum conscripto, lineis transversa ductis, ut in hoc primo exemplo.* Vide etiam Gronovium *in Thesauro Graecarum Antiquit.* Volumine II. fol. 21. & nostrum *Librum Antiquarium.*

74. Signum Pittaci, ex Xysto Vaticano. Pherecides Syrus ex Schola Philosophorum Italica (cujus auctor Pythagoras), hujus e Septem Sapientibus Pittaci auditor fuit. Tanti viri imaginem Bellorius in Tabula ex ære incisam nobis expressit, depromtam, ut ipse scribit, *ex antiquo aeneo Nummo, quem Mytilenaei in honorem illustrium suorum civium Pittaci, & Alcaei percussere. Circa ipsam imaginem, nomen Pittaci inscriptum est* ΠΙΤΤΑΚΟΣ. *Hic Nummus olim visebatur apud Fulvium Ursinum, apud quem etiam Pittaci ipsius ex marmore caput extabat.* Pater Harduinus inter Mytilenaeos Nummos hunc non recenset, ut animadvertit Gronovius *in Thesauro Graec. Antiq.* Tom. II. fol. 32. Marmoris Ursiniani meminit quidem etiam Joannes Faber, illudque inspexit postea Gevartius: *Sed cum Pittaci pro vera habendam* opinatur *imaginem* laudatus Gronovius, *quae ab Gallaeo accuratissime ex Numismate excepta fuit; quod facile colligitur ex cognominibus Pittaco ab Alcaeo datis, quibus eum appellavit,* tum ΦΥΣΚΩΝΑ ΚΑΙ ΓΑΣΤΡΩΝΑ, eo quod crassus esset, ut notat Diogenes Laertius; tum ΑΓΑΣΥΡΤΟΝ, quia dissolutus, negligens, atque etiam sordidus erat. Consule nostrum *Librum Antiquarium* capite primo. Stanlejus *in Historia Philosophiae* pag. 65. cap. 1. & seqq. de Pittaco scribit: *Pittacus patriam Mytilenem habuit Lesbi Metropolim* (ut tradit idem Laertius 1. 74.), *patrem Caicum, vel Cyrradium potius, Thracem* (Suida id affirmante v. [illegible]), *matrem Lesbiam feminam. Natus videtur* Olympiade XXXII. Laertius tamen, eum XLII. *Olympiade,* ait, *floruisse, quo tempore magni animi & amoris in Patriam argumenta dedit,* teste Suida loco citato: *a fratribus Alcaei Poetae adjutus, Melanchrum Lesbi & Mitylenes Tirannum interemit; quo facinore illustrior Pittacus, a Mitylenaeis factus Imperator, cum classe contra Athenienses missus fuit.* Vide Strabonem lib. XIII. pag. 599, & Herodotum lib. 5. p. 204. ac seq. *Ad istud bellum Athenienses ducem miserunt Phrynonem corporis mole roboreque conspicuum &c. Pittacus variam belli fortunam identidem expertus, Phrynonem postremo ad singulare certamen provocavit,*

INDICULUS TAB.II.SAEC.II.

eique piscatoriis armis instructus occurrit, rete clypeo tegens, quo Phrynonem imprudentem involvit, eumque tridente ac hasta sua peremit. Atque hoc Pittaci stratagema pugnae exemplum Romanis dedit gladiatoribus, qui retiarii *appellabantur, quos Lipsius* (Saturnal. II. 8.) *describit, ut observatum diserte fuit Festo* (v. Retiar.), *& Polyaeno* (Stratagem. 1. 25.). *Magno post haec in honore Pittacus apud Mitylenaeos extitit* (vide Laertium 1. 75.); *quos, cum exules invaderent Antimenide duce, & Poeta Alcaeo,* ejus aut meritis cives tantum debuerunt, aut moribus crediderunt, ut communibus suffragiis (*quod tamen negat Alcaeus*) *tirannidem ei, inter ingentem magnumque populi concursum deferret, id non negante Alcaeo, qui eum ob rem in eos animadvertit. Reipublicae dum praeesset, varias fecit leges.* Vide Ciceronem de Legibus lib. 11. cap. 26, & Aristotelem Poli. II, 12. *Principatum in Republica decem annis tenuit, indeque decem annos privatam vitam egit,* (teste Laertio 1. 75.). *Inter scripta Pittaci,* refertur ab eodem 1. 78. & 1. 97. liber de Legibus ad Cives. *Vixit Pittacus ad profundam senectutem, septuaginta amplius annis,* ut idem Laertius scribit 1. 79. *vel octoginta, si Suidae sequenda sit de ejus natali sententia. Lucianus excedit, & ejus vitam ad centum annos differt.*

75. ORPHEUS, ex Nummo Musei Erizzi sub Antonino Pio percusso, quem Gronovius *in Thesauro Graecarum Antiquitatum* Tom. 1. fol. Fff. ita describit: „Hujus magni nominis luculentam memoriam posteritati reliquit Nummus unus, ut mihi videtur, ex praestantissimis ejus generis reliquiis, ab egregio illo Erizzo primum publicatus, & nuper non modo bis per publicam Editionem repositus (idcirco ut nihil super eo diceretur, prout haec aetas fert); sed & inter Regios in Gallia Nummos exhibitus. Est autem imprimis non omittenda litera Δ ipsi lyrae apposita; unde videtur dari aliquod indicium loci, ubi sub Antonino Pio illa moneta prodiit, nempe ΔΗΛΟΥ. Delii enim ob hanc causam sepe primam appellationis suae literam adfixerunt Nummis apud ipsos cusis, ut patet ex duobus postremis Nummis apud Goltzium in Graeciae Insulis; ubi praesertim notabilis est postremus, non tantum significans id, quod dixi, sed etiam formam insulae Deli esse triquetram, & omnia tria ejus latera esse pariter splendentia. Delii igitur aeterna certe in basi, quae sicut ad nos perennavit, sic perennaturam esse confido, posuerunt hunc Theologum, quem Higinus etiam occasione Argonautarum describens, ait esse Oeagri & Calliopes Musae filium, Thracem urbe Flevia, quae sit in Olympo monte ad flumen Enipeum, Martis citharistam. Eustathius ad Iliada Φ ait in Libethris vixisse [illegible] hunc Orphea. Haec Libethra conjungit quoque cum Olympo Pomponius Mela, ut sic Higinus quoque scripsisse videatur. Is ergo sic sedet medius ferarum, & volucrum, non advocatis etiam arboribus, & saxis, nisi quo illis insistant, aut insideant ferae alitesque: quod certe meretur notari, quum vere proprieque efficiant titulum theatri Orphei; & dictum fuisse Orpheum *lenire tigres rabidosque leones* testetur Horatius, omissis saxis, & arboribus, quas tamen in Ode comites fuisse statuit, etiam apud alios Poetas & fabulatores addi solitas. Quinimmo sculpi & pingi hoc modo solitum fuisse Romae, manifestum est ex Martiale x. 19.

Illic Orphea protinus videbis
Udi vertice lubricum theatri,
Mirantesque feras, avemque regis
Raptum, quae Phryga pertulit Tonanti.

Adeo nulla adfuere saxa, quae potius attribuenda erant Amphioni; licet ipse Martialis in Spectaculis num. 21. scopulos repsisse, & sylvam in Ludis Domitiani cucurrisse scribat, & cum Orpheo comparet. Satis miror non plura Orphei istius monumenta ex ruderibus antiquis prorupta; quum multa sane extitisse colligas vel ex Martialis exemplo, vel ex Regione postmodum Orphea dicta, cujus mentionem in donatione Constantini publicavit Ciampinius cap. 57. *de Sacris Aedificiis*. Unum novi ex gemma vulgatum ab Leonardo Augustino, ubi Cerberum demulcet. „Christianis placuisse praecipue videtur Orphei hujus aenigma in Sepulcrorum ornamentis, (quales sunt *in Roma Subterranea* expressi apud Bosium, Severanum, & Aringhium); quoniã Ethnicorum superstitio Mosem in Orpheum transformavit. Vaticinia in Aegypto a se edita esse, profitetur Orpheus ipse in Argonauticis, quod vere praestitit Moses. Quare inter gnaros futurorum Vates Orpheum, Museum, & Mosem Strabo collocavit; veriusque dixit Celsus, quam censuit, eum Orpheum *haud dubie sancto afflatum fuisse Spiritu* affirmavit. Vide Origenem contra eundem Celsum lib. 7. Lyra a Mercurio inventa, ab Apolline Orpheo

tradita

tradita est. Quippe unus Moses tribus his exprimitur: propterea que in Caelum translata esse fertur Orphei lyra, quia Dei laudes hymnis suis Moses concelebravit. Feras cantu mansuefacere dictum esse Orpheum, testatur Horatius *de Art.*, quod sylvestres homines victu foedo, & caedibus deterruerit: quo, Mosis in Israelitis deliniendis, & ad obsequium suum flectendis, ac per deserta circumducendis, notatur industria, & eloquentiae vis ad persuadendum efficax. Leges etiam itidem, ut Moses, Orpheus scripsisse fertur. Vide Huetium *Demonstrationis Evangel.* Proposit. IV. cap. VIII. §. 19. Sanctus Justinus Martyr *in Cohortat. ad Graecos* pagin. 18. & 19. §. 15. *de Orphei* Ethnica Theologia haec scribit: *Orpheus igitur, qui vestrae, ut ita dicam, plurimae divinitatis primus magister extitit, quid postea filio suo Musaeo, ceterisque germanis auditoribus de uno ac singulari Deo praedicaverit, necesse est, ut vos submoneam,*

Loquar quibus fas est: portas occludite profani
Omnes simul. Tu vero audi luciferae fili lunae
Musaee; dicam enim vera; nec te, quae prius
In corde meo animadvertisti, privent beata vita.
Ad Verbum Divinum respiciens, illi asside,
Dirigens cordis intelligens profundum, & rectam incede
Viam, & solum respice Mundi Regem.
Unus est ex se genitus: ab uno, quaecumque sunt genita, creata sunt:
In illis ipse versatur, nec quisquam illum
Videt mortalium, ipse autem omnes videt.
Hic post bonum hominibus dat malum.
Et bellum horribile, & dolores lacrymosos.
Nec ullus est alius, praeter magnum Regem.
Illum autem non video. Nam circa illum nubes constituta est.
Omnibus autem mortalibus mortales sunt pupillae in oculis
Infirmae videre Jovem omnium regnantem.
Hic enim aereo in Caelo constitutus est
Aurato in solio, ac terram pedibus calcat,
Manum autem dexteram ad terminos Oceani
Undique extendit. Circum enim tremunt montes magni,
Et fluvii & cani profundum caerulei maris.

Et rursus alicubi sic ait:

Unus Jupiter, unus Pluto, unus Bacchus,
Unus Deus in omnibus. Quid haec tibi seorsum praedico?

Et rursus in juramentis:

Per Caelum te adjuro Dei Magni Sapientis opus,
Adjuro te per vocem Patris, quam primum pronunciavit,
Cum Mundum universum suis firmavit consiliis.

Quid sibi vult, cum dicit:

Adjuro te per vocem Patris &c.

Vocem hoc loco appellat Dei Verbum, per quod Caelum, & Terra, & universa condita est creatura; ut nos docent Divina Sanctorum hominum Oracula, quibus & ipse aliqua ex parte in Aegypto animadversis, Verbo Dei omnem creaturam conditam esse cognovit. Quaprop ter postquam dixit:

Adjuro te per vocem Patris &c.

protinus subjungit:

Cum Mundum universum suis firmavit consiliis.

Hic Verbum appellat vocem propter poeticam mensuram: ac rem ita se habere ex eo perspicitur, quod paulo ante versu concedente Verbum illud appellet. Dixit enim:

Ad Verbum Divinum respiciens, illi asside.

Hactenus S. Justinus loco citato.

76. Fragmentum Tabellae Homericae, Ilii excidium continentis. Ista autem Tabella (quam nos heic, & numero 90. ex parte tantum exhibemus) est celebris illa apud Bovillas reperta, ubi Sacrarium Gentis Juliae fuit, & Trojanarum rerum Scriptores vetustissimos memorat, Homerum, Archeinem Milesium, Leschen Pirrhaeum, & Stesicorum. Anaglyptico opere insculptis figuris, rerum seriem exprimentibus, sociat incisa singillatim nomina Virorum, ac Mulierum ibidem expressorum: unde Trojani belli memoria argumentum Historicis suppeditasset, nisi praeripuissent Poetae, ut suis Fabulis admiscerent. Vide nostrum *Librum Antiquarium* pag. CCCII. & seqq. Haec Tabella a Cl. Montfauconio *Antiq. Expliq.* Tom. 4. Par. 2. Tab. ult. pag. 297. ejusdem repraesentatur magnitudinis, qua Romae reperta fuit; atque ad fidem exemplaris a Raphaele Fabretto anno 1683 Romae editi denuo

INDICULUS TAB.II.SEC.II.

denuo cuditur, atque ita illustratur.„ Est autem, ut inquit Fabrettus, ex ea materia, quam tectoriam appellabant, de qua sic Vitruvius 7. 3. *Graecorum vero tectores non solum his rationibus utendo faciunt opera firma; sed etiam mortario collocato, calce & arena ibi confusa, decuria hominum inducta ligneis vectibus pinsant materiam, & ita ad certamen subacta tunc utuntur. Itaque veteribus parietibus nonnulli crustas excidentes pro abacis utuntur: ipsaque tectoria, abacorum, & speculorum divisionibus, circa se prominentes habent expressiones.* In hac Tabella Trojanum bellum exprimitur non docta manu, cum inscriptionibus Graecis ad singula gesta, rem, quae agitur, indicantibus. Mutila est Tabula, totumque latus alterum excidit. In latere autem illo parastatam remanenti similem habuit, in qua literis descripta erat pars Iliadis, & e regione parastatae duodecim Tabellas Iliadem repraesentantes a recessu Achillis, qui in suprema Tabula depingitur: itaut singulae Tabellae libros singulos Iliadis continerent, totidem literis numeralibus Graecis notatos, quemadmodum & aliae duodecim, quae supersunt, ab ima Tabula pergendo ad summam, ubi funus Hectoris Homeri Iliada terminat. In media Tabula Trojae excidium exhibetur a Stesichoro descriptum, ut habet inscriptio. Ima vero Tabula extremam belli Trojani ab Homero non descriptam partem complectitur, secundum Arctinum Milesium & Leschem Pyrrhaeum parvae Iliadis auctorem, ut altera inscriptione fertur. Fabrettus in hanc Tabulam longam Dissertationem edidit, quam jure vocaveris Commentarium in Iliadem. Begerus post Fabrettum eadem de re scripsit, & Fabrettum pene sequitur, additis aliis monumentis ad res Iliacas spectantibus, quae fere omnia in hoc opere hinc & inde sparsa reperias. Nobis porro commentarium in Illiada novum edere non est animus. Satis erit indicasse quid quaevis historia (sequentibus numeris a Fabretto, & Montfauconio annotata) repraesentet. Num. 1. 2. Chryses ante Apollinis Smiuthei Templum dira Graecis imprecatur, filiam reddere nolentibus: viri duo taurum victimam adducunt. 3. Lues in Castra Graecorum immissa per mulierem, aut fortasse virum, canem ad pedes habentem, designatur. Graeci convocati, de lue avertenda deliberant. 4. Achilles sententiam dicit. 5. Calchas vates. 6. Agamemnon Briseidem Achilli vult eripere in locum Chryseidis, quae patri restituitur. Achilles iratus gladium stringit. 7. Pallas frendentem sistit. 8. Hector rixam sedare satagit. 9. 10. Hecatombe ab Ulysse adducta ad placandum Apollinem. 11. 12. Chryseis patri restituitur. 13. Templum Apollinis. 14. Thetis Jovem rogat, ut Graecos de filio suo male meritos plectat. 15. Meriones Acamantem occidit. 16. Idomeneus Othrioneum necat. 17. Asius ipsi terga vertit. 18. Aeneas Aphareum interficit. 19. Ajax hastam vibrat in Polydamantem: hic declinat ab ictu, quo Achelochus interficitur. Hic sculptor aberravit, qui locrum Ajacem pro Telamonio posuit, contra Homeri historiam. 20. Neptunus Ajacem, 21. Apollo Hectorem ad pugnam acuunt, 22. 23. 24. Aeneas, Paris, & Helenus, in pugna contra Graecorum naves: ubi sculptoris error, ut & alibi depraehenditur. 25. 26. Hector naves Graecorum oppugnat. 27. 28. 29. Ajax Caletorem, Teucer Clitum interficit. 30. 31. Legatio ad Achillem, qui rogatur, ut opem ferat Graecis. Hic Patroclum, Phoenicem, & Diomedem sculptor locat; etsi certum est, Diomedem non missum legatum fuisse. 32. 33. 34. Patroclus, qui ab Euphorbo vulneratus recedit, ab Hectore occiditur. 35. Automedon cum equis Achillis secedit. 36. Hector curru vectus corpus Patrocli auferre conatur, 37. Obsistit Ajax. 38. Menelaus Patrocli cadaver sublevare creditur: in hac quippe Tabula nulla adest inscriptio. 39. Menelaus & Meriones corpus Patrocli in curru ponunt. 40. Achilles, Phoenix, Myrmidon, & Mulieres duae circa corpus Patrocli. 41. Thetis Vulcanum precatur, ut nova arma Achilli cudat. 42. Vulcanus sedens rem curat. 43. 44. Cyclopes arma malleis cudunt. 45. 46. Thetis, filium, cui arma offert, alloquitur. 47. Scutum Achillis gestatur. 48. Achilles curru vectus. 49. Automedon auriga. 50. Nescio qui sit is, qui ante currum Achillis stat: Minervam esse putat Fabrettus; sed existimo virum esse. 51. Neptunus Aeneam Achilli abripit. 52. 53. 54. 55. 56. Pugnae Achillis variae, qui omnes sibi obvios interficit. Numerus 57 secundum Fabrettum, Hectorem, qui contra Achillem pugnaturus accedit, denotat: sed viros duos video se mutuo amplectentes sine ulla inscriptione. 58. Scamander inversum hominem per tibiam arreptum tenet. 59. 60. Achilles vi fluminis raptatus, a Neptuno servatur. Trojanos persequitur, qui sese in

urbem

urbem recipiunt. 61. Hector Achillem expectat. 62. Achilles contra Hectorem pugnat. 63. 64. Coesum Hectorem casside apprehendit. 65. 66. 67. Achilles Hectoris cadaver alligatum bigis raptat. 68. Patroclus rogo impositus: putatur Achilles exsectos crines suos super eum ponere, secundum morem descriptum a Montfauconio. 69. Ludi funebres, & decursiones equorum in honorem Patrocli. 70. Eumelus filius Admeti cum aliis currit: currus evertitur, ipseque prostratus jacet. 71. Putat Fabrettus eum, qui juxta rogum hastatus stat, esse Phoenicem. 72. 73. Mercurius Priamum ad tentorium Achillis ducit, ut corpus Hectoris redimat. 74. Achilles annuit. 75. Automedon & Alcimus munera a Priamo allata accipiunt. 76. Achilles cum suis corpus Hectoris sublime agit, ut currui imponat; sed currus heic non comparet. Quid ex hac Tabula Iliaca discamus non utique video: tam exigua quippe ibi schemata sunt, ut nec vestium formam, nec alia quaeque sat perspiciamus. Ad haec vero tanta cum negligentia haec Tabula concinnata est, ut, etsi ipsam Iliadem exprimat, non infrequenter tamen ab illa deflectat. Aliquot loca supra depraehendimus, in queis cum Homero non consentit: suntque etiam alia plurima hujusmodi. Certe si Commentarium edere esset animus, mallem in ipsam Iliadem Homeri, quam in hanc Tabulam edere. Post haec occurrit columna descripta Graece, aliquot in locis erasa, quam hic Latine describam. *Achivi muro & fossa naves muniunt. Armatis utrinque exercitibus, pugnaque commissa, Troes adusque murum Achivos persequuntur, & nocte illa prope naves castrametantur. Achivorum Principibus visum est Legatos ad Achillem mittere. Agamemnon & Briseiden ei munera offert multa. Oratores erant Ulysses, atque Phoenix, & cum illis Ajax: hi conditiones Agamemnonis proponunt, quas non accipit Achilles, & ferre opem recusat. His auditis, Principes, Ulyssem, & Diomedem exploratum mittunt: his occurrit Dolon Hectoris explorator, ex quo ediscunt ordinem eorum, qui exercitum custodirent, Dolonemque occidunt, atque Rhesum Thracum Regem, & alios, ipsiusque abreptas equas in naves adducunt. Illucescente die, pugnam conserunt. Principum nomina sunt, Agamemnon, Diomedes, Ulysses, Machaon, Eurypylus, qui ad naves propugnandas stant. Patroclus ab Achille missus a Nestore, rerum statum ediscit. Hector fractis portis ante naves praeliatur: dum pugna committitur, audito Achilles pugnae statu, narrante Patroclo, ab eoque rogatus ut mittat auxiliatum Graecis, cum etiam videret Protesilai navem jam combustam, mittit cum Myrmidonibus Patroclum, quem & equis, & armis suis instruit. His conspectis, Troes omnes fugiunt; quibus terga vertentibus, Patroclus multos interficit, interque alios Sarpedonem Jovis filium: reliquos ad muros usque persequitur. Ab Hectore tandem occisus, armis ab ipso spoliatur. Circa cadaver ejus pugna conseritur: (sed sola Achillis voce Troes depelluntur.) Vulcanum Thetis adit, petitura arma: hic libenter arma cudit. Achivi corpus Patrocli ad naves deportant. Hinc postquam arma attulerat Thetis, Briseidem Agamemnon Achilli reddit. Achilles... Scamandrum persequutus, ... occidit: vitatoque fluminis periculo, Hectorem, singulari pugnans certamine, occidit, arma recipit, & cadaver bigis alligans, per campum raptat ad naves; Patrocloque sepulto .... Priamus ad navem adventans, Hectorem redimit ab Achille: ipsoque Priamo in urbem reverso, Hectori Troes parentant, ipsique sepulcrum erigunt.* Jam ad Iliados seriem redeamus, quam ad usque Hectoris funus Homerus prosequutus est. 77. Trojae excidium a Stesichoro descriptum. Nomen Τρωικὴ appositum, erat fortasse libri ejus titulus. 78. Ilias secundum Homerum: Aethiopis secundum Arctinum, cujus liber Aethiopis vocabatur, quia Aethiopes duce Memnone Trojanis auxiliatum venerunt. 79. Parva Ilias auctore Lesche Pyrrhaeo: de illius Auctore antehac non constabat: ex Tabula videtur Lesches auctor ejus vere fuisse. 80. Dirupta Tabula, postrema tantum syllaba remanet ...ΚΗΣ, crediturque esse Πόδαρκην a Penthesilea occisus. Ibidem conspicitur Penthesilea ab Achille occisa. 81. Achilles Thersiten occidit. 82. Antilochus a Memnone occiditur, 83. Memnonque ab Achille. 84. Achillem Paris sive ipse Apollo interficit. 85. 86. Corpus Achillis ab Ajace & ab Ulysse defenditur. 87. Luctus ad Achillis cadaver. 88. Musa Achillem peremptum luget. 89. Achillis sepultura. 90. Ajax Telamonius furens. 91. Sepulcrum Ajacis, qui sibi ipsi manus intulerat. 92. Qui cadit, videtur Niraeus esse, ab Eurypylo caesus. 93. Turris, putatur esse Niraei sepulcrum. 94. Neoptolemus Achillis filius Eurypylum occidit. 95. Ulysses & Diomedes Palladium furantur. 96. 97. Equus

INDICULUS TAB.II.SEC.II. ligneus a Trojanis atque Phrygibus adductus. Priamus prior procedit. 98. Simon manibus a tergo vinctis. 99. Cassandra incassum vera vaticinatur. 100. Equus ligneus intra Trojam; in quem per scalam ascenditur, & ex eo pari modo descenditur. 101. Templum Minervae. 102. Ajax Oileus Cassandram crinibus raptat supplices manus ad Minervae Templum tendentem. 103. Hic putatur esse Coroebus, a Diomede, aut Peneleo occisus. 104 105. 106. Neoptolemus, occiso Polite Priami filio, Priamum ipsum, in ara sedentem, & filium caesum amplexantem, perimit. 107. Demophoon, & Acbamas Thesei filii, Aethram aviam reperiunt, pene in servitutem ab Helena redactam. 108. Aeneas heic bis repraesentatur; Primo cum patre, amboque Penates Deos in Sacrariolo gestant: 109. Secundo Aeneas patrem Anchisem bumeris bajulat Sacrariolum hujusmodi tenentem: Aeneas altera manu Ascanium tenet, Mercurio duce. 110. Sepulcrum Hectoris. 111. Circa sepulcrum sunt Talthybius praeco, qui pro more suo vaticinatur; Andromacha, Astyanactem puerum gestans; Cassandra lugens, & Helenus. 112. In alia sepulcri facie Hecuba, & Polyxena, Andromacha iterum. 113. Helenus Ulyssem alloquens. 114. Neoptolemus Polyxenam prope sepulcrum Achillis immolat, praesentibus Ulysse, atque Calchante. 115. 116. Graecorum classis prope promontorium Sigaeum, cum turre ad praesidium. 117. 118. 119. Aeneas navem conscendit cum patre, Deos Penates gestante, & Miseno remum tenente. Vix certo dicatur quo tempore haec Tabula concinnata fuerit, Raphael Fabrettus putat eam post Virgilii Aeneidem factam, quod & ego libenter crediderim. Quae res suadere posset, illam sub primis Imperatoribus Romanis adornatam fuisse, haec est; litera a, ε, & ω hac forma depinguntur; quae forma aetate priorum Imperatorum mutata fuit. Aliud observatu dignum occurrit, nempe hanc vocem Α'ινίας, sic semper scribi Α'ινίας, similemque vocalium commutationem etiam alibi in hac Tabula occurrere.

77. Nummus Homeri, cum epigraphe in antica, AMACTPIANΩN MEAHC. Ex parte altera OMHPOC. Societatem concordiamque Amastrianorum cum Smyrnaeis hic Nummus significat. Quod Smyrnaeorum civis Homerus, amois Meles fuit. Uterque Numinis vice, seu Divi Indigetis habitus est ab Amastrianis, ut animadvertit Pater Harduinus. De Patria Homeri inter nobilissimas Graeciae Civitates magnam contentionem fuisse constat. Chii, qui Homerum Civem dicebant suum, ejus imaginem in Nummis procuderunt, ut scribunt Aristoteles lib. II. Rethor. cap. 23. & Julius Pollux lib. x. Smyrnaeos vero, quod prope dictum Meletem Smyrnae fluvium natum esse confirmarent, non solum Nummos, sed etiam Delubrum eidem Homero dedicasse tradunt Cicero in Orat. *pro Archia Poeta*, & Strabo lib. XIV. pag. 646. Itaque Amastrianorum in Ponto Civitas, Smyrnaeorum ut opinor Colonia, non aliam ob causam in altera Numismatis parte Meletem ipsum fluvium impressit. Vide Gronovium *in Thes. Graec. Antiq.* Tom. 11. fol. 19.

78. Tabula anaglypha Apotheoseos Homeri, Principum Columnensium in Aedibus asservata, de qua vide *Librum Antiquarium* cap. v. Plurium Eruditorum Virorum scriptis fuit ornata, videlicet a P. Kircherio, a Spanhemio, a Fabretto, a Cupero, a V.Cl. Schotto qui ann. 1714. datam de ea Dissertationem edidit. Postremus omnium P. Montfauconius *Antiq. Expliq.* To. v. P. I. Tab. 130. p. 165. & seqq. eam ita describit: „Imaginem pene totam mons occupat: Kircherus Parnassum esse putat; Olympum mavult Cuperus: an trum vero Musarum Kircherii opinioni favere videtur: res non est tanti momenti, ut in ea indaganda tempus diutius teramus. In cacumine pene montis, Jupiter visitur rupi insidens seminudus, dextra sceptrum tenens: aquila ad pedes ejus posita, est avis ipsi perquam familiaris. Multi credunt, Homerum ipsum Jovis forma comparere: id vero sat verisimile est; sicque Homerus in ima parte repraesentatus, in cacumine quoque montis comparebit. Intermedium vero spatium a Musis occupatur, quo significabitur, Homerum per Musarum viam ad immortalitatem atque ad divinitatem pervenisse. Ex undecim feminis, quae in secundo inferiore, seu in tertio superiore ordine conspiciuntur, novem constituere Musarum chorum confitentur omnes. Quantum vero ad duas alias, opinionum facta sunt divortia, quibus referendis supersedens, puto eam, proxime Homerum Jovis forma depictum, in cacumine positam, quae ipsum respicit, non esse Musam; ut neque aliam huic vicinam, quae brachium erigit, vestemque sustollit, ut securius pedem figat; quia in declivi montis parte graditur: hanc etiam qua ratione pro salta-

saltatrice&proEratoMusa habuerit Vir quispiam eruditus, non satis percipere me fateor: hae porro duae feminae quae tandem sint, ne conjectura quidem dicere possum. Ex Musarum autem numero illas excludo, non modo quia absque illis, novem Musas reperio; sed etiam quia nullum Musarum signum vel symbolum gestant. Musas novem agnosco, quatuor videlicet hoc ipso gradu positas, & quinque in gradu inferiori. Jam vidimus, cum de Musis ageremus, quam sit difficile ipsas singillatim internoscere; non modo quia diverse illae ab Auctoribus describuntur; sed etiam quia marmora aliaque monumenta multum variant in earum forma. Heic autem major difficultas occurrit; quoniam larvae, quae Euterpen & Thaliam ab aliis distinguunt, non comparent. Urania certo dignoscitur, quae orbem seu globum Caelestem tangit, forteque etiam Terpsichore a fistulis indicatur. Quod spectat autem ad duas illas, quae in antri ostio stant adversae, Musas certe agnosco, quales exprimuntur in monumentis: ne statim autem in Musarum choro accenseam, prohibet auctoritas viri eruditi Domini Schotti, cujus argumenta prius sunt expendenda, quam aliquid ea de re statuamus. Putat autem ille, eam, quae citharam tenet, esse Apollinem; ad eamque rem comprobandam Numismata non pauca dicit Apollinem muliebri forma exhibere; quod sane verum est. Sed in hoc monumento sinus muliebris, & mammae, tam aperte mulierem produnt, ut nullo modo pro Apolline haberi possit. Sinus etiam muliebris apertius sese prodit in Tabula, curante Bellorio Romae, ubi monumentum illud est, excusa. Itaque, uti jam dixi, hae ambae in antri ostio positae, Musae sunt; septem vero aliae Musae ex antro sunt egressae. Inter duas autem illas, quae in antri ore consistunt, est machina nescio qua, pilei formam referens. Et certe Ulyssis pileum esse putavit V. Cl. Cuperus, & Homeri Odysseam significare dicit; quia nempe Ulyssis pileus in aliis monumentis ejusdem est formae: arcus vero, inquit ille, & pharetra, quae hoc pileo inniti videntur, significant Iliadem, quae Trojanum bellum continet. Verum haec machina, si cum capitibus omnibus, quae in hac imagine comprehenduntur, conferatur, longe major esse videbitur, quam ut pileus existimari possit. V. Cl. Schottus cortinam esse censet. Notandum autem est, in ea machinae hujus parte, quae adversa conspicitur, duo esse quasi lora sese mutuo decussantia, & quorum extrema pertingere videntur, aliud ad pharetram, aliud ad arcum; itaut machina posita videatur, ut in illa alligentur arcus, & pharetra, ne in terra jaceant. Antrum porro illud pro Kircherii opinione pugnat, qui putat, hunc montem esse Parnassum. Objicit Cuperus, montem hunc uno tantum cacumine surgere, cum contra Parnassus duo cacumina separata habuerit. Vere quidem mons, ut in Cuperi Tabula repraesentatur, uno tantum cacumine gaudet; sed in Tabula nostra, & in ea, quam Bellorius Romae protulit, duo sunt cacumina admodum conspicua: sed cacumen illud primum, quod inspicienti offertur, cum alterum cacumen operiat, non sinit amborum separationem, & inter utrumque distantiam, oculis percipi; sed tamen separata esse cacumina, aperte ex umbra cernimus. Majora etiam fuere opinionum divortia circa virum illum, qui e latere antri in stylobate consistit: nam alius Engastrimythum dixit; alius Homeri Sacerdotem; alius Linum, vel Lycurgum, vel Pisistratum; alius praeceptorem Homeri Aegyptium: longe verisimiliorem ego puto Spanhemii sententiam, qui putat, esse Biantem Prieneum unum ex septem Graeciae Sapientibus. Hunc enim lapidem sculpsit Archelaus Apollonii filius & ipse Prieneus, ut inscriptione fertur, qui videtur civem popularemque suum in tam celebri coetu honoris causa posuisse: vereque ille Philosophum veste & habitu refert: quodque hanc confirmat opinionem, pone illum magnus tripus est; at nemo nescit, tripodem, qui oraculo jubente sapientissimo Graecorum offerendus erat, Bianti Prieneo datum fuisse. Quae inferiorem anaglyptici operis partem occupant figurae, non sunt tot difficultatibus obnoxiae, quoniam singulae inscriptionem appositam habent. In duabus primis vocibus error suberat, lectumque fuerat ΕΥΜΕΛΙΑ ΚΙΡΟΝΟΣ: sic legerunt Cuperus, & alii, qui mirum quantum in explicanda voce Ευμελία laboraverint. At Fabrettus ad Tab. Iliados pag. 346. cum marmor vidisset & examinavisset, veram restituit lectionem, (ut diximus supra num. 73. hujus Tabulae, ubi idem Homerus Musarum Sacerdos a Cibele, vel ab Iside coronatus exhibetur ex hoc ipso marmore). Prima vox est ΚΟΥΜΕΝΗ (duae enim literae cum frusto lapidis exciderunt), legendumque ΟΙΚΟΥΜΕΝΗ, Orbis, Mundus, Terra: secunda vox, est ΧΡΟ-

INDICULUS TAB.II. Sac.II.

ΧΡΟΝΟΣ,Tempus. Terra,atque Tempus,simul sunt: Terra Cybelis forma pingitur, praealtam capite turrim gestans. Ea vero Homeri ante se sedentis capiti lauream imponit coronam;quo significatur,a toto Orbe Homerum quasi Poetarum Principem coronari. Tempus, viri formam habens, alis pro more instructum est; videturque volumen tenere, quod ab altero latere in semicirculum desinit. Tempus vero, significat, Homerum aut Poetarum antiquissimum esse, aut antiquiorum temporum historiam scripsisse, aut ejusOpera per omne tempus celebranda, & immortalitati consecrata esse. Homerus inter duas puellas sedet,scilicet inter Iliadem, &Odysseam,quod inscriptione ipsa significatur,ΙΛΙΑΣ, ΟΔΤΣΣΕΙΑ,ΟΜΗΡΟΣ. Ilias, & Odyssea altero genu terram contingunt: Ilias quodpiam gladii genus tenet; quo indicatur bellum Trojanum in illa descriptum: Odyssea navis aplustre manu tollit; quia Ulyssis navigationem continet.In ima sella duo mures sunt, Homeri Batrachomyomachiam, ut credere est, significantes: alii putant muribus subindicari Zoilum, ipsique similes, qui Homeri famam quasi corrodere voluerunt. In solio sedens Homerus, sceptrum tenet, alteraque manu volumen: caput ejus diademate ornatur; quod in aliis etiam ejusdem Poetae imaginibus occurrit: postea conspicitur sacrificium, quod in ara rotunda peragitur; pone altare, taurus est mox immolandus.Personae vero,quæ præcipue ad sacrificium offerendum concurrunt, suntFabula,Historia,&Poesis,hisGræcis suppositis verbis indicatæ,ΜΓΘΟΣ,ΙΣΤΟΡΙΑ, ΠΟΙΗΣΙΣ.ΜΤΘΟΣ masculini generis, per juvenem exprimitur, qui in sacrificio camilli officium praestat; altera manu praefericulum tenet, altera ut puto, pateram. Historia, mulieris gerens formam,sacrificat, &aliquid in aram injicit, alteraque manu librum tenet: alii acerram putant, quibus ego non admodum repugnabo. Poesis item muliebri forma, faces duas accensas tenet, atque erigit, ut in sacrificiis fieri solebat. Hic fortasse allegoria quædam latet;sed allegoriae hujusmodi pro cujusque arbitrio alio aliove torquentur: quamobrem allegoriam mittimus aliis explorandam. Hinc in ordine suo stantTragoedia,&Comoedia,suis & ipsae inscriptionibus gaudentes, ΤΡΑΓΩΔΙΑ, ΚΩΜΩΔΙΑ: eae sacrificio adstant; singulae in Homero hauserunt. Tragoedia velata est, itaut velum in summo capite, in acumen a parte anteriore erigatur: majoris dignitatis ea vestibus exornatur, quam Comoedia;quia Personae illius, Heroes sunt & Principes. Quinque aliis feminis turmatim positis tota celebritas terminatur, quae his indicantur vocibus, ΦΙΣΙΣ, ΑΡΕΤΗ, ΜΝΗΜΗ, ΠΙΣΤΙΣ,ΣΟΦΙΑ,Natura,Virtus,Memoria,Fides,Sapientia. Haec omnia Homerum comitantur: hae dotes ejus Operum sunt. Natura puerulo repraesentatur, qui manum ad Fidem extendit: Virtus manum erigit: Memoria omnium remotissima est: Fides digitum ori apponit: Sapientia manum mento admovet.Mirum quantum circa haec omnia exerceri ingenia possint.

79. Hesiodus Musarum Sacerdos, quem in Georgicis Virgilius est imitatus, ex marmore Fulvii Ursini. In epigrammate sexto Anthologiae lib. 5. dicitur Byzantii in publico gymnasio Zeusippi extitisse Statuam æream, quae Hesiodum canentem carmina referebat.Pausanias quoque triumStatuarum Hesiodi meminit lib.5.c.26.& l.9.c.28 ac 30. Duas egregii artificis protomas ex marmore retulit Bellorius *Illust.Imag*.n.50.&51,insuper & Hermam sine capite,cum inscriptione ΗΣΙΟΔΟΣ ΔΙΟΤ ΑΣΚΡΑΙΟΣ *Hesiodus Ascraeus* filius *Dii*. Licet enim Cumae natus; Ascraeus tamen dictus est, quod Ascrae vixerit, eo adhuc puer ductus a Dio, & Picimide parentibus. Vide Gronovium *in Thes. Graec. Antiq*.Vol.II.fol.22,*Museum Capitol.* pag. 27, & nostrum *Librum Historicum* cap. 1. itemque *Indiculum* hujus Tab. n.67. S. Theophilus lib. 11. *ad Autolycum* (inter Opera S. Justini pag. 373. §.5.) sententiam Hesiodi de Diis, & Mundi creatione ita exponit: *Hesiodus, utpote Homerus, non solum Deorum ortum, sed ipsius etiam Mundi exposuit. Ac Mundum quidem creatum eum diceret, non valuit dicere a quo creatus foret. Deos praeterea vocavit Saturnum, ejusque filium Jovem, Neptunum, & Plutonem, quos Mundo natu minores invenimus. Narrat etiam, Saturnum a Jove proprio filio debellatum. Sic enim ait v.* 74. Theogon. *Hesiod.*

Strenue victo patre Saturno; bene attamen singula
Aeternis ordinavit legibus, & distribuit honores.

Postea infert Jovis filiarum commemorationem, quas & Musas appellat, iisque supplex invenitur, discere ex eis volens, quomodo facta sunt omnia. Ait enim ibidem versu 504.

Sal-

Salvete filiae Jovis, date amabilem cantilenam.
Celebrate immortalium sacrum genus semper existentium,
Qui tellure prognati sunt, & Caelo stellato,
Nocteque caliginosa, quos item salsus nutrivit pontus.
Dicite, ut primum Dii, & Terrae nati sint,
Et flumina, & pontus immensus aestu fervens,
Astraque fulgentia, & Caelum latum superne,
Et qui ex his nati sunt Dii datores bonorum:
Utque opes diviserint, & honores partiti sint:
Utque initio multis implicatum sphaeris tenuerint Caelum.
Haec mihi dicite Musae, Caelestia tecta tenentes
Ab initio: & dicite, quid horum primum ortum sit.

Haec autem quomodo Musae novissent, quae Mundo natu minores fuit? Aut qui poterant Hesiodo narrare, cum pater eorum nondum genitus foret? Et §.6. *materiam quidem statuit quodammodo, & Mundi creationem Hesiodus, cum ait*:

Primum quidem Chaos extitit, ac deinde
Tellus lato pectore praedita, omnium solum tutissimum semper
Immortalium, qui tenent juga nivosi Olympi,
Tartaraque tenebrosa intercessu terrae spatiosae.
Atque amor qui pulcherrimus inter immortales Deos,
Solvens curas, ac omnium Deorum, omniumque hominum,
Domat in pectoribus mentem, & prudens consilium.
Ex Chao autem Erebus, nigraque nox editi sunt;
Rursus ex nocte ether, & dies prognati,
Quos peperit, cum concepisset Erebo amore mixta.
Terra vero primum quidem genuit parem sibi
Caelum stellis ornatum, ut ipsam totam obtegat,
Utque esset Diis sedes tuta semper.
Genuit praeterea montes altos, Dearum gratas speluncas
Nympharum, quae habitant montes concavos.
Atque etiam infrugiferum pelagus peperit aestu furens,
Pontum sine amore delectabili: at vero postea
Caelo concumbens, genuit Oceanum vorticosum.

Quae cum diceret, ut illud quidem demonstravit, a quo condita essent. Nam, si initio Chaos erat, & materia quaedam genita praecutiit; quis tandem eam disposuit, ac ordine & forma donavit? Utrum materia sibi ipsa formam, & ornatum addidit (nam Juppiter multo natu posterior est, non solum materia, sed etiam Mundo, & hominum multitudine, imma ipsius etiam pater Saturnus), an potius causa quaedam princeps extitit, quae eam faceret, Deum dico, a quo etiam ornatum accepit. Quin etiam omni prorsus ratione nugari invenitur, & secum pugnare: nam cum Terram, Caelum, & Mare divisset; ex his ortos esse Deos intendit; ex istis vero homines quosdam horribiles Deorum cognatos praedicat, genus Titanum, Cyclopum, & Gigantum turbam, necnon Aegyptiorum Deorum, velpotius hominum levissimorum, quorum meminit Apollonides cognomento Horapius, tum in eo libro, qui inscribitur Semenouthi, *tum in aliis Historiis ab eo scriptis de Religione Aegyptiaca & Regibus Aegyptiis.* Hactenus S. Theophilus, qui p.382. §.13. subdit: *Quod autem idem Hesiodus a terrenis rebus initium ducit narrandae creationis, humana, & humilis, ac prorsus jejuna ejus cogitatio est, quantum ad Deum attinet.* Et pag. 377. §. 8. in fine dicit, Homerum, & Hesiodum a Musis fuisse afflatos, atque idcirco ex impuro spiritu loquutos: *Profecto Poetae, Homerus scilicet, & Hesiodus, a Musis, ut ipsi dicunt, afflati, ex falsis animi visis loquebantur, nec ex puro spiritu, sed fallaci. Quod quidem clare ex eo demonstratur, quod, qui a Daemonibus interdum corripiuntur, ii etiamnum adjurentur per Nomen veri Dei, tuncque fallaces ipsi illi Spiritus daemones se esse fateantur, qui etiam olim in istis Scriptoribus operabantur: nisi quod interdum eorum nonnulli animis expergefacti, consentanea Prophetis dixerunt; ut tum in ipsos, tum in omnes homines testimonio essent de singulari Imperio, de judicio, ceterisque rebus, quas pertractarunt.*

80. Signum Publii Virgilii Maronis, ex marmore Capitolino. Hunc Alexander Severus

INDICULUS TAB.II.SEC.II.

verus Imperator Poetarum Platonem appellavit; atque ejus Effigiem in Secundo Larario posuit, ut scribit Lampridius in ejus Vita cap. 31. pag. 124. Edit. Paris. 1620: *Virgilii Imaginem*, inquit, *cum Ciceronis Simulacro in Secundo Larario habuit, ubi & Achillis, & Magnorum Virorum. Alexandrum vero Magnum inter Divos & Optimos in Larario Majore consecravit*. Lararium Imperatorum erat duplex in interiore parte Domus Augustę, *Laribus* dicatum. In primo erant Dii, & homines emendatissimae vitae, ut memorat idem Lampridius in Alexandri Vita capite superius allegato, ubi ait, *Matutinis horis in Larario suo (in quo & Divos Principes, sed & Optimos electos, & animas sanctiores, in queis, & Apollonium, & (quantum Scriptor suorum temporum dicit) Christum, Habraam, Orpheum, & hujuscemodi Deos* (forte *& hujusmodi ceteros*) *habebat, ac Majorum effigies), rem divinam faciebat*. In altero erant homines clari. Olaus Borrichius *de antiqua facie Urbis Romanae* apud Graevium Tom. IV. cap. XII. pag. 1587. scribit: „ In Palatinis Aedibus alibi Coenatio, sive Triclinium Jovis, alibi Apollinis, alibi Diaeta Mammeae, alibi Coenatio Domitiani *Mica* dicta, alibi Coenatio Mercurii, sive Hermaeum; ab Elagabalo etiam instituta ibi Triclinia versatilia. Heic & spectatae balineae publicae sub Domitiano; plateae Palatii stratae saxis Lacedaemoniis, & porphireticis, quod adnotat *Lampridius*. Fortassis & ibi viridarium, in quo montem niveum aestate struebat Elagabalus; item Lararium duplex, in quo Deorum Larium, & Magnorum aliquot Virorum imagines: In editiori loco Palatii Lararium Augusti eminebat, quod ipse Princeps Syracusas appellare consuevit, ubi versabatur, narrante *Suetonio*, si quando secreto, aut sine interpellatione agere aliquid instituisset „. Secundum ergo Lararium videtur ab Alexandro Severo fuisse priori Augusti additum. Nos *ad Demonstrationem Historiae &c.* utriusque Lararii imaginem exhibemus in hac II. Tabula Antoninorum, ob eas causas, quas dixi in *Lib. Antiquario* c. I. De priore Larario forsan accipiendus est Plinius l. 36. c. V. ubi de Ctesidoro ait: *Romae ejus opera sunt. Latona in Palatii delubro*: itemque Dionysius Halicarnasseus, qui l. I. *Antiq. Rom.* scribit: *Templum Romae non procul a Foro ostenditur &c. In eo positae sunt Trojanorum Deorum imagines, quas cuivis fas est inspicere, cum Inscriptione*, DENAS, *quae Penates significat: videntur enim mihi Prisci, ante inventum P, usurpasse pro eo D. literam; sunt autem hastati duo juvenes habitu sedentium, admodum antiqui operis*. P. Virgilii imagines passim occurrebant etiam in Romanis Bibliothecis, quas Imp. Caligula dejici jussit, ut scribit Suetonius in ejus Vita cap. 34. Silius eas summopere venerabatur, quemadmodum narrat Plinius lib. 3. Epist. 7. Nonnullae visuntur apud Ursinum, Bellorium, & Joannem Fabrum. Confer ea, quae habet Gronovius *in Thes. Graec. Antiq.* Vol. 3. fol. qqq., & Museum Capitolinum Tom. 2. pag. 8.

81. Effigies Menandri Poetae Comici, ex Bellorio *Illust. Viror. Imag.* pag. 9. Hic Patria Atheniensis, Theophrasti discipulus fuit. Scripsit Fabulas LXXX. aliaque nonnulla. Simulacra Deorum irrisit, teste S. Justino Philosopho in *Apologia prima* §. 20. pag. 56 (Editionis Venetae 1747.), ubi ait: *homines id, quod ipsis pejus est, colere non debere: idem dicimus, quod Menander Comicus, & qui similia loquuti sunt: Majorem enim esse opere Opificem pronuntiarunt*. Id comprobant etiam ejusdem Menandri versus de falsis Diis, quos recitat idem Sanctus Justinus in libro *de Monarchia* pagin. 40. & seq. *Menander* (inquit) *in Misumeno, sive Odioso, de iis, qui in Deos recepti sunt, sententiam exponens, vel potius eos non esse demonstrans*, ait:

Id si viderem, redditum statim mihi
Animum putarem, namque nunc, ubi gentium,
O Geta, justos invenire fas Deos?

Et in Paracatatheca, sive in Deposito:

Videtur ipsos jus iniquum apud Deos.

Rursus in Diphilo:

Qui semper ergo est, Dominus rerum omnium,
Paterque, solus debet hic semper coli,
Ut tot bonorum inventor atque conditor.

Idem quoque in Piscatoribus:

Quod namque nutrit me, illud arbitror Deum;
Nutrire sed quod suevit, id non indiget,
Ut sublevetur sumptibus precantium.

Et in Adelphis:

Semper est Deus bonis
Mens ipsa, quisque censet ut doctissimus.

Et in Tibicinis:

Sunt cuncta rationi bonae

Tem-

Templum: ipsa nam mens est Deus, qui differet.
Et in Phryxo:
Quod si piorum, & qui modum in mirum impii,
Sors una, quis rem pulchre habere se putet,
Si sentit aequi Juppiter nil Optimus?
Et in Philoctete:
Videte ut ipsis lucra honesta sint Diis:
Mirabilisque plurimum in Templis, qui habet
Auri: quid ergo te vetat lucrum sequi,
Cum liceat ipsis esse Dis haud imparem?
Paria habet *in Hacuba, in Hierco, & Henioco*, ut videre licet apud eundem Justinum p. 39.40.&41. Praeterea Menander admisit providentiam in Deo, teste Sancto Theophilo *ad Autholycum* lib. 2. inter Opera S. Justini pag. 377.
Procurat haud quis nostra, ni solus Deus.
De Menandri Signis, vide ea, quae habet Gronovius in *Thes. Antiq. Graec.* Vol.II. fol.98.

82. Signum Euripidis insignis Poetae Tragici, ex Museo Capitolino. Vide ipsius descriptionem apud Bottarium To. I. ejusdem Musei Tab.LXII. pag.33, & Gronovium *in Thes. Graec. Antiq.* To.X.p.837.921.& 922. Natus est eo die, quo numerosus Xersis Exercitus ab Atheniensibus fusus fuit. Primum in Rethorica Prodici discipulus, deinde Socratis in Philosophia, secutus est Anaxagoram. Scripsit Fabulas 75. ex quibus quinque tantum victoriam meruerunt. S. Justinus in lib. *de Monarchia* pag. 40. & 41. de Euripide male de falsis Diis sentiente ait: *Euripides Tragoedus in Oreste dicit*:
Phoebus jubendo, matri uti inferrem necem,
Ipse est honesti, ac juris inscientior.
Quicumque tandem sint Di, honoramus Deos.
Vides ne Phoebum, qui sedens, oracula
In umbilico clara dat mortalibus;
Cuique fidem habemus, quidquid is pronuntiet.
Illi obsequutus intuli matri necem.
Illum sceleftum dicite, & morti date.
Peccavit ille, non ego. Quid me docet
Fecisse? Is, in quem transfero culpam, Deus,
Servare an aptus non erit?
Idem in Hippolyto:
Sed, ut par esset, haec Dii non judicant.
Et in Archelao:
Dant saepe verba ante Di mortalibus.
Et in Bellerophonte:
Si turpe quid Di fecerint, non sunt Dii.
Paria habet Euripides & in *Jone*, teste eodem Sancto Justino, qui pag.38. hos fucco plenos ejusdem Tragici versus, *de judicio Dei* bene sentientis, producit,
Longos dat annos, ut severe judicet.
Mortalium at quisquis in diem admittens mali
Aliquid, latere fidit haec ipsum Deum;
Is stulta sperat, atque sperans tollitur,
Feriata tandem poena cum supervenit.
Videte, quicumque esse non vultis Deum;
Duplex merentes mente non sana scelus.
Est ille, namque est: prosperae res sed cui erunt?
Cum non probus sit, tempus apponat lucro.
Huic namque poenas inferet tandem dies. Dubie & incerte loqui Euripidem de falsis Diis, testatur etiam Athenagoras *in Legatione pro Christianis* pag. 300. num. 5. (inter Op. *S.Just.*) sic scribens: *Poetae quidem, & Philosophi nequaquam Athei visi sunt, dum de Deo quaererent. Euripides de iis, qui inscienter ex praejudicata vulgi opinione appellantur Dii, dubius & incertus*:
Debebat alto Jupiter si est in Polo,
Haud perculisse rebus adversis probum.
De eo autem, qui scientia percipitur, idem Poeta sic decernit, & asseverat:
Videsne sublimem hunc, qui immensum aethera,
Ulnisque terras humidis circum tenet?
Jovem aestimabis hunc, hunc Deum decernito.
Horum enim nec naturas, quibus nomina imponi solent, subesse,
Quis namque Juppiter, haud scio, praeter sonum.
Demum ipse Euripides, ut alii quoque Poetae, & Philosophi Ethnici, teste S. Theophilo *ad Autolycum* lib. 11. (apud S. Justinum pag. 377.) admittit providentiam, canens,
Nihil Deo absque, nil venit mortalibus.
Et rursus:
Servare namque si Deus quondam volet,
Momenta donat ad salutem plurima.

83. Protome Aristophanis facetissimi Poetae Comicorum Principis, ex Museo Capitolino. Fuit maledicus, & in carpendis hominum vitiis liberrimus, ac mordacissimus. Vide Ciceronem lib. 2. *de Legibus*.

Quin-

INDICULUS Tab.II.Sac.II.

Quinquaginta quatuor Comoedias composuisse fertur; sed non extant, nisi undecim. De ejus Patria Auctores dissentiunt: ex Lindo Rhodi Oppido aliqui ortum dicunt; quidam autem Atheniensem asserunt; nonnulli vero Aegyptium. Versus Tetrametri, & Octometri inventor fuit. Deos novos, & peregrinos e Civitate ejecit, teste eodem Cicerone loco citato. S. Justinus Martyr in *Cohortatione ad Graecos* Sybillam ut Vatem ab Aristophane commemoratam fuisse scribit §.16. p.19. *Quid autem* (sunt ejus verba) *per vaticinia de uno & singulari Deo doceat antiqua illa & admodum vetus Sybilla, quam Plato, & Aristophanes, & plures alii, ut vatem commemorant, necesse est referre. Sic autem habet Sybilla*:

Unus Deus, qui solus est, ter maximus, increatus,
Omnipotens, invisibilis, ipse videns omnia.
Ipse autem a nulla videtur carne mortali.

Et rursus alicubi:

Nos autem ab Immortalis viis aberraveramus,
Ac opera manufacta colebamus stulta mente,
Simulacra, & statuas pereuntium hominum.

Et alibi:

Felices homines super terram erunt,
Quicumque diligent magnum Deum, benedicentes
Antequam comedant & bibant; confidentes pietate:
Qui omnia quidem Templa abnegabunt videndo,
Et altaria, inanes lapidum sedes furdorum,
Cruoribus animalium contaminata,& victimis
Quadrupedum: & respicient ad unius Dei magnum decus.

Atque haec quidem Sibylla. Doctissimus Praesul Joannes Bottarius Tom. I. *Musei Capitolini* pagin. 23 Protomen Aristophanis, quam nos heic exhibemus, egregie illustravit. Confer etiam Gronovium Tom. II. *Thesauri Graec. Antiquit.* pag. 68.

84. Effigies Sophoclis Atheniensis Graecorum Tragicorum Principis, ex Bellorio *Illustrium Virorum Imaginum* pag. 14. Natus est Olympiade 73, ante Socratem annis 17. Fuit aequalis Euripidis, & Periclis, atque etiam ejus quandoque collega in Praetura. Vide Ciceronem lib. 1. *Officiorum*. Armis aeque clarus, ac Musis, tanta Orationis suavitate fluebat, ut vulgo apis Attica cognominaretur. Primus Tragicas contentiones, ac compositiones instituit. Exhibuit Fabulas centum viginti tres, & adhuc plures, ut nonnulli volunt: sed nonnisi septem nunc extant. Obiit sexto anno post Euripidis mortem centum prope annos natus, repente ex insperato gaudio, ob victoriam ex Tragoedia Oedipode Colonaeo. De Signis, & Imaginibus Sophoclis vide Gronovium in *Thes. Graec. Antiq.* To. 10. pag. 774.775. 837.& 922. S.Justinus Martyr in *Cohortatione ad Graecos* §. 18. pag. 20, insigne hoc affert Sophoclis de uno Deo testimonium: *Quod si & eorum, qui ex scena sunt, adjicere oportet de uno Deo testimonia, audite Sophoclem sic dicentem*:

Unus profecto est,unus est tantum Deus,
Caeli, solique machinam qui condidit,
Vadumque ponti caeruleum, & vim spiritus,
At ducta caeco errore gens Mortalium,
Commenta cladis in suae solatium est
Formas Deorum saxeas, aut aereas,
Aurove ductas fusili, aut eburneas.
His victimarum sauguinem, his festos dies
Cum dedicamus, esse nos remur pios.

Idem repetit in libro *de Monarchia* p.37. §.2, ubi ait: *Non hic solus Dei cognitione initiatus fuit Aeschylus; sed & Sophocles singularis omnium Creatoris, & unius Dei sic ordinem describit*:

Unus profecto est, unus est tantum Deus &c.

Et p.38.§.3.asserit,Sophoclem bene loquutum fuisse de judicio Dei. *Hunc* (inquit) *solum de rebus in vita gestis, & de Numinis ignoratione judicium institutere posse, domesticis testibus demonstrare possum, ac primo quidem Sophocle, qui sic ea de re loquitur*:

Jam veniet ille, veniet haud dubie dies,
Laxabit ignis eum redundantes opes:
Auratus aether, lege tum spreta, furens
Terras, & illis quidquid est sublimius,
Depascet ardor. Inde cum defecerit
Hoc omne; nulla jam ferent undas vada.
Neque ulla ramos eriget tellus, neque
Exustus aer pascet aligerum genus.
Namque esse scimus duplicem ad Inferos viam,
Unam nefastis, alteram innocentibus.
Tum salva faciet cuncta,quae destruxerat.

Quam.

Quamvis autem alibi providentiam negaverit, tamen eandem postmodum ex Diviuis Libris agnovit, teste S. Theophilo *ad Autholycum* lib. 2. pag. 377. dicente: *Sophocles igitur, qui providentiam alibi tollit, sic ait*:

Mortalis ictum subter haud fugit Dei.,,

Quamplura item in Sophoclis Tragoediis depraehendi ex Libro *Proverbiorum* accersita testimonia, ostendit Cl. Huetius *Demonstr. Euang.* Proposit. 4. num. 3. pag. 191.

85. Signum Piudari Poetae, ex Museo Capitolino. Patria Thebauus fuit, teste Suida, verbo Πίνδαρος, temporibus Aeschyli Poetae, & Persarum expeditionis in Graeciam. Athenienses, quos magnis laudibus est prosequutus, illi adhuc viventi Statuam aeream posuerunt ante Templum Martis, quae Pausaniae temporibus adhuc extabat, eaque Pindarum sedentem repraesentabat diademate redimitum, atque indutum pallio, qui manu Lyram, & super genua apertum Volumen tenebat, ut videre licet apud eumdem Pausaniam lib. 1. cap. 8, & Heschin Epist. 4. Praesul Johannes Bottarius Tom. I. *Musei Capitolini* Tabula XXXVIII. pagina 24 illustrat eam Pindari Protomen, quam nos heic exbibemus, subditque, eo mortuo, Thebanos quoque monumentum Piudaro statuisse in Hippodromo extra Portam Praetidem, stadio uno procul ab Urbe. Ejus tamen faciem ex nullo Veterum Scriptorum nos cognoscere possumus. Marmor Capitolinum robusti hominis imaginem exbibet. Extat apud Fulvium Ursinum Statua quaedam palliata, in cujus basi legitur ΠΙΝΔΑΡΟϹ: sed caret capite. Hæc manu tenet istrumentum, fortasse musicum. Refert quoque Bellorius num. 59. caput diademate oruatum impositum Hermae, quod Piudari esse authumat, extatque in Aedibus Justinianeis. Huic nostro, simile est illud, quod in Aedibus Farnesianis conspicitur. Vide Gronovium in *Thes. Graecar. Antiq.* Tom. 10. pag. 768. 841. & 921.

86. Protome Anacreontis Poetae Lyrici orti ex Teo Urbe Ioniae, ex Museo Capitolino. Ejus meminere Herodotus in *Thalia*, Plato in *Phoedr.*, Pausanias iu *Atticis*, Strabo lib. 14, Aelianus lib. 33 *Histor. Var.* cap. 22, Pliu. lib. 7. cap. 7, Horatius *Epodon* lib. 5. Od. 14. ad Mecoenatem, & Athenaeus lib. 10. cap. 7. Vixit temporibus Cyri, Cambysis, & Darii Regum Persarum. Periit, teste Plinio, acino uvae passae strangulatus annorum quinque & octoginta. Ejus sepulcro impositam fuisse Statuam, habetur ex Theocriti epigrammate, quod in marmore incisum Anglus quidam Venetiis vidit in Aedibus Nobb. Eriziorum, ut scribit Josue Barnes in notis ad Anacreoutem. Memorat idem Pausanias aliam Anacreontis Statuam, Athenis positam prope illam Xautippi patris Periclis. Johannes David Koelerus Anacreontem, Xenophoutem, & Confucium Synarum Philosophum synchronos facit. Cl. Bottarius Tom. I. *Musei Capitolini* Tab. XL. p. 25. ait, penes Fulvium Ursiuum adservatum fuisse Nummum aereum secundae magnitudiuis, qui, teste Fabro *Com. in Imag. Illust. Viror.* num. XI, caput coronatum Anacreontis praeseferebat, circa quod nomen ejus erat inscriptum. Hunc ipsum Nummum refert item Bellorius *Imag. Illust. Vir.* Par. 2. numero 43, atque ejus meminere quoque Gronovius in *Thesauro Antiquit. Graecar.* Vol. 2. num. 41, Gisbertus Cuperus de *Apoth. Homer.* pag. 3, & Maffejus *Gemm. Antiq.* Par. 1. num. 69. Plura vide apud laudatum Grouovium in dicto Opere Vol. 10. pag. 762. 763. & 837.

87. Caput Sapphus insignis Poetriae Lyricae, carminis inventricis, quod ab ea *Sapphicum* appellatur, ex Lesbo Insula. Vixie ea tempestate, qua floruere Alcaeus, Stesichorus, & Pittacus, temporibus Tarquinii Prisci. Ea plectrum prima invenit; scripsitque Lyricos modulos, Epigrammata, Elegidia, Jambos, & Monades. Extat Nummus Lesbiorum cum epigraphe, ϹΑΠΦΩ ΛΕϹΒΙ. *Sappho Lesbia*. Vide Goltium in *Insulis Graeciae* Tab. XIV, & Strabouem lib. 13. pag. 617. Mitylenaei quoque, qui hanc Poetriam Civem dicebant suam, Nummos ei percussere sub *Praetore Hierocle*, in quibus ipsa visitur cum cythara sedens. Julius Pollux lib. 9. c. 6. scribit, *Mytilenaei Sappho monetae suae insculpsere*. Consule Harduinum in *Nummis Antiquis Populorum* pag. 334, & Tomum I. *Musei Capitolini* num. LVIII. & LX. pag. 32. Hi Sapphus Nummi, similes sunt duabus Gemmis penes Ursinum, de quibus lege Gronovium in *Thesauro Graecurum Antiq.* Vol. 2. fol. 34, & Vol. 10. fol. 755. 756. ac 847. Ovidius lib. 3. *de Arte* v. 331. scribit: *Nota sit & Sappho: quid enim lascivius illa?* Quare Tatianus Assyrius in *Oratione contra Graecos* cap. 33 (inter Opera S. Justini pag. 287), ostendens mulieres Christianas Philosophia imbutas frustra irrideri a Graecis, qui Statuas meretricibus posuere, ait: *Praxillam enim, quae nihil utile carminibus*

INDICULI TAB. II. SAEC. II.

dixit, aeream fecit Lysippus; Learchidem Menestratus; Sappho meretricem Silanion; Erinnam Lesbiam Naucydes; Boiscus Mirtidem; Myrum Byzantiam Cephisodotus; Praxigoridem Gomphus; Clitum Amphistratus &c. Sappho quidem meretrix, & impudica muliercula, suam ipsius lasciviam canit.

88. Caput Alcaei Poetae Lyrici Mytilenaei, magnifici, brevis, diligentis, & plurimum Homero similis, ex Bellorio *Imag. Illust. Poetar.* pag. 1. Horatius, *minaces Camoenas, Alcaei* versus vocat. Johannes Faber in lib. *Imag. Viror. Illust.*, *Caput Alcaei*, inquit, *qui unus fuit ex novem Lyricis Poetis, ex antiquo Nummo aeneo exhibitum est, in quo legitur* ΜΥΤΙΛ., *qui Nummus inversus, caput exhibet Pittaci, unius ex septem Graeciae Sapientibus: cusus est autem a Populo Mytilenensi in honorem suorum civium, ut & sibi quoque id honori esset, cum Pittacum, & Alcaeum eo monumento Mytilenenses oriundos ostenderent; sicut & in alio quodam Nummo argenteo Sapphus Poetriae effigiem expresserunt, quod & illa Mytilenaea esset.* Vide Gronovium in *Thesauro Graecarum Antiquit.* Vol. 2. fol. 33, & Vol. 10. pag. 756. 757. ac 841, ubi plura de Alcaeo sunt literis consignata.

89. Nummus Argolicus in honorem Homeri percussus. In antica legitur ΟΜΗΡΟϹ. Caput Homeri: in postica vero, quam heic exhibemus, cernitur ejus Apotheosis. Vide Cuperum in memorato Opere, quod inscribitur, *de Homeri Apotheosi* pag. 7. 8. & 9. ubi loquitur de hoc Nummo: item Fulvium Ursinum *Illust. Vir. Poetar.* II. pag. 21, Bellorium *Imag. Illust. Poetar.* Par. II. num. 53, Gronovium *Antiquitat. Graecar.* Vol. 2. num. 19. & Volum. 10. pag. 749. 750. 819, ac Dissertationem Francisci Ficoroni, *de Nummo Homeri*. Haeretici Carpocratiani hujus Poetae Imaginem apud se habuisse testantur S. Augustinus *de Haeres. ad Quodvultdeum* c. 7, & S. Johannes Damascenus *Haeres.* num. 27. Tom. 1. p. 82. edit. Paris. 1712.

90. Aliud Schema Tabellae Iliacae (de qua supra num. 76.), ex Museo Urbani Rocci. Cl. Fabrettus *de Columna Trajani* pag. 316, & seqq. loquens de hac Iliaca Tabella apud Bovillas reperta, ubi Sacrarium Gentis Juliae a Tiberio Principe aedificatum fuit, ex Taciti testimonio *Annalium* lib. 2, putat, ab eodem Tiberio, sive a Claudio, aut a Nerone ibidem collocatam. Ego malim a Tiberio fuisse positam; non modo, ut Gentis Juliae originem a Troja deductam vetustissimorum Auctorum scriptis illustraret, verum etiam, ut fabularis Historiae colligeret quaecumque vestigia. Vide Suetonium *in ejus Vita* cap. 70, & nostrum *Librum Antiquarium* Capite Quinto, & seqq. Confer etiam ea, quae retulimus ex Montfauconio, qui *Antiq. Expliq.* Tom. 4. Par. 2. pag. 297. hanc eandem Tabulam exhibuit, post laudatum Fabrettum in libro *de Columna Trajani* Romae edito anno 1683, quem librum jure vocaveris Commentarium in Iliadem. Begerus quoque eandem Tabulam descripsit, sed Fabrettum pene sequitur; additis tamen nonnullis monumentis, quibus Homeri Iliades mirifice inclarescunt.

91. Nummus Homeri a Chiis percussus, cujus in parte aversa, quam heic exhibemus, visitur Homerus sedens, librumque lectitans, cum epigraphe ΟΜΗΡΟϹ. Julius Pollux lib. 9. cap. 6. scribit: *Chii Homerum monetae suae insculpserunt*. Notum illud Tullii in Orat. pro Archia: *Homerum Colophonii esse dicunt suum: Chii suum vindicant*. Vide Harduinum in *Nummis Antiquis Populorum, & Urbium* pag. 536, Tomum I. *Musei Capitolini* num. LIV. ac LV. pag. 29, & nostrum *Indiculum* hujus Tabulae num. 67.

92. Elegantissimus Musarum Chorus ex marmore, in Xysto Justinianeo. Cl. Montfauconius *Antiq. Expliq.* Tom. 1. Par. 1. p. 114. Tab. 60. „ In hac (*inquit*) imagine, novem Musae uno coetu omnes comparent: non facile aliae ab aliis distingui possunt. Prior, cippo seu quadrata columna nixa, Clio videtur esse. Secunda, Euterpe, ab ea quam tenet larva, internosci potest. In quatuor aliis mediam tabellam occupantibus nihil signi, quo dignosci possint, animadverto. Septima lyram tenens, Polymnia est. Octava, quae virga globum ostendit, est Urania. Nona, Calliope larvam lauro coronatam in capite gestat, quae Heroicum carmen subindicat „. Vide nostrum *Indiculum* hujus Tabulae numeris 77. & 90. Idus Juniae antiquitus colebantur tanquam harum novem Musarum Natalis dies, ut testatur Kalendarium ab Lambecio editum. Arcanum autem in numero sic aperit Censorinus c. 15: „ Plerique aliter moti duos istos numeros subtiliter discreverunt; ut dicentes septenarium ad corpus, novenarium ad animum pertinere: hunc medicinae corporis, & Apollini attributum; illum Musis, quia morbos animi, quos appellant pathe, musica lenire ac sanare

fanare confueverit „. Hinc igitur (inquit Gronovius in *Thesauro Graecarum Antiq.* Tomo I. fol.C.) illud novemfonorum carmen Mufarum, ex Euripide,notatum ab Stobaeo in Sermone 237.Utique hae funt,quae, non minus quam Sirenes apud Homerum,& Tullium, multa fe fcire profitentes, effecerunt, ut difcendi cupiditate eis adhaerefcentes varii &præftantiffimi quique ex mortalibus,exornarent omne hoc,quidquid eft,liberaliore mentiū cultu: illas dixerunt effe, quæ

Jovis Patris
Cantantes recreant magnam mentem intus Olympo,
Quae funt, quaeque aderunt, quaeque olim facta loquentes
Voce pari.

Dubia apud Eruditos perfonarum, & officii cujufque defignatio. Has tamen difcreviffe Graecos variis diftinctifque artificiis, & cuique Mufae peculiarem Muficam attributam, oftendit jam Plato in Phoedro, cujus locum, ut floridum, excerpfit idem Johannes Stobaeus Serm. 117. Sed & pofteriores diftinxerunt multis fcriptiunculis, ex quibus illa eft, quam in Bibliotheca Oxonienfi ex Volumine fcripto manu Graeci cujufdam defcripfi: „ *Nomina novem Mufarum, & cui arti unaquaeque praefidet, & quis ejus in vita inventor. Clio Hiftoriae, Herodotus. Thalia Comoediae, Menander. Melpomene Tragoediae, Euripides. Euterpe tibiarum, Stefichorus. Terpfichore lyrae, Pindarus. Erato cymbalorum, Mercurius. Calliope Poetices, Homerus. Urania Aftronomiae, Aratus. Polymnia Geometriae, Euclides* „.

93. Alius Mufarum Chorus ex Xyfto Juftiniano. Montfauconius *Antiq. Expliq.* Tom. I. Part. I. pag. 114. Tab. 60. num. 2. eum ita defcribit: „ Hoc aliud fchema longe fingularius eft. Apollo primus ftat dux atque princeps chori, pharetramque fert humeris: ad ejus pedes gryps. Chori medium occupat Minerva, caffide, hafta, & clypeo infignita. Mufarum prima, proxime Apollinem, nullo fymbolo inftructa eft, ut neque quarta, quinta, & octava. Hae quatuor, fortaffis funt Melpomene, Erato, Terpfichore, & Urania, quae tamen globum non habet, quo internofcatur. Secunda, erit forte Polyhymnia, cum barbito feu citbara: tertia,cum clava atque larva, Euterpe: fexta, larvam manu tenens, alteramque larvam ad pedes habens, eft Thalia: feptima, quae lyram plectrumque tenet, erit forte Clio: nona cum volumine, eft Calliope. Ex iis, quae fupra dicta funt, liquet, admodum difficile effe novem Mufas internofcere. Circa earum inftrumenta, earumque cultum, non confentiunt Scriptores: marmorea,aeneaque monumenta, novas pariunt difficultates, nedum ad eas diftinguendas opem ferant. Urania globo dignofcitur: at, quo pacto illa dignofceretur?, quando in Choro nullus adeft globus, ut in hac poftrema imagine; vel quando duo adfunt globi, ut in fchemate? Euterpe larvam,& clavam habet:Thalia item larvam; fed nonnulli clavam etiam illi adfcribunt. Terpfichore tibia diftinguitur: Calliope volumine: quatuor vero ceteras, divinando folum internofcas „. INDICULUS TAB.II.SAC.II.

94. Nummus Apollinis cum epigraphe in poftica, ΝΕΟΠΟΛΙΤΩΝ. Montfauconius *Antiq. Expliq.* Tom. I. Par. I. pag. 104. Tab. 52. num. 7. in Nummis frequentiffime exhiberi ait Apollinem, atque ejufdem Numinis fymbola.Sed ecce (fubdit)typum fingularem in Nummo Neapolitanorum Italiae. Lyra ibi Apollinis confpicitur, caputque bovis: aliud inftrumentum feu machinam non ita facile internofcas. Strobilum ftatim lauro coronatum dicerem.Si ita fe res haberet,cum ftrobilus Magnae Matri Cybeli fit confecratus, bovifque feu tauri caput, Taurobolia, ejufdem fcilicet Deae myfteria,fignificet;dici fortaffe poffet, heic myfteria Apollinis, Magnae Matris myfteriis admifceri: fed neque huic conjecturae acquiefcere aufim, neque aliam quamvis opinionem amplecti; cum ne conftet quidem, quaenam haec machina fit. Haec Cl. Montfauconius. Quoniam vero in Nummo Petroniae Gentis apud Patinum *de Famil.Rom.*pag.201,Parthenope Syren cum tibia cernitur,ea nempe, cujus a tumulo Neapolis alterum nomen accepit, ut fcribit Plinius fect. 9, *Neapolis, Parthenope a tumulo Syrenis appellata*; forte hic Nummus refpexit ad tertiam ex tribus illis Syrenibus filiis Acheloi Fluminis (nomina earum fuerunt Parthenope,Lygia,&Leucofia), quarum prima, voce; tibia, altera; tertia,LYRA cecinit;ut Servius refert lib.v. *Aeneidum.* Sed hæc ex conjectura dicta funto.Verius enim in ifto Nummo Lyra fymbolum Apollinis eft. Ejus namque cultores Poetae, penesquos altioris fapientiae myfteria erant, LYRAM Apollini facrarunt. Sic Sappho in*Heroibus* apud Ovidium, ejufque imitatione Horatius lib. III. Od. XXVI.

Vixi

INDICULUS Tab.II.Sac.II.

Vixi puellis nuper idoneus,
Et militavi non sine gloria,
Nunc arma defunctum bello
Barbiton hic paries habebit.

A quo parum dissimile est marmor Romae apud Caesios, cum Simulacro lyram tenente, & plectrum, hisce literis:

EX . PRAECEPTO
I. O. M. D
PER . ACACIVM
ET . OLYMPIVM
PATREM

In basi ipsius Statuae legitur,

ANTONI.MARIANI. PATER.ET.FILIVS
SIMVLACRVM . APOLLINIS
STRAVERVNT.

95. Fragmentum Tabellae Iliacae antehac ineditae. Ejus materies nihil differt ab illa apud Bovillas reperta, atque edita & illustrata nobili Commentario a doctissimo Antiquitatis interprete Fabretto. Hoc unum interest inter utramque, quod illa ex unica parte insculpta est; nostra vero (Amplissimo Capitulo Veronensi dono data) ab utraque: in una quidem figuris, & literis; in alia vero literis tantum; quemadmodum in hac Tabula duplex Iconismus ostendit numeris 95. & 104. Antica pars, de qua impraesentiarum loquimur, exprimit initium Iliadis Homeri, (quod desideratur in celeberrima illa Fabrettiana ejusdem operis, & argumenti), uti perspicue declarat titulus amplioribus literis ibidem expressus in limbo superiori. In limbo vero laterali, ad laevam descendente, leguntur enumerati singillatim libri ejusdem Iliados; de quibus vide nostrum *Librum Antiquarium* cap. v.

96. Nummus Antonini Pii cum epigraphe in antica, ANTONINVS. AVG. PIVS. P.P. TR.P. COS.III. Caput Antonini laureatum: in postica vero, quam heic exhibemus, legitur APOLLINI AVGVSTO S. C. Apollo indutus stans, dextra pateram, sinistra lyram tenet. Nudus ut plurimum Appollo repraesentatur; sed vestitus etiam quandoque, ut in hoc Nummo. Propertius lib. 2. Eleg. 31.

Pythius in longa carmina veste sonat.

Et Tibullus lib. 3. Eleg. 4.

Ima videbatur talis illudere palla:
Namque haec in nitido corpore vestis erat.
Artis opus rarae, fulgens testudine, & auro,
Pendebat laeva garrula parte lyra.

Vide Angelonum pag. 144, Begerum Vol. 2. pag. 664, Mediobarbum pag. 195, Vaillantium *de Praest. Numism.* pag. 74, Vicum Tab. 29. num. 27, & Montfauconium *Antiq. Expliq.* Tom.I. Part.I. pag.105. Tab.52. num. 10.

97. Signum Hadriani Imperatoris, ex Museo Capitolino. Hic opera Plotinae defuncti Trajani uxoris, Imperium accepit, eoque rem Romanam tenente, Collegia Consulum XXI Fastis nomen dederunt. Fuit procerus statura, forma comptus, & promissa barba, quam primus Imperatorum nutrivit, ut vulnera, quae in facie habebat, naturalia tegeret, flexo ad pectinem capillo. Dio lib. 68. pag. 777 scribit: Hadrianus *primus barbam nutrivit*; quod innuit etiam Julianus *de Caesaribus* in ejus Vita pag. 311. edit. Lipsien. 1696. Passim in Museis hujus Imperatoris Imagines conspiciuntur. In Capitolino extant quinque, quarum duas aeri incidendas curavit Cl. Praesul Johannes Bottarius Tom. 2. *Musei Capitolini* Tabula XXXIII. & XXXIV. p.29, eo quod ceteris essent praestantiores, tum ob egregium operis artificium, tum ob lapidis pretium. Narrat Pausanias lib. 1. c. 3. & 5, Athenienses, praetee Statuam in Ceraunico, & in Templo omnium Deorum Hadriano positam, etiam in illo Jovis Olympici, ab eodem Imperatore aedificato, duas collocasse ex marmore Tasio, itidemque duas ex marmore Aegyptio, & totidem ex aere, ut Dio lib. 69. pag. 795. testatum reliquit. Hic Imperator, etsi Edicta nulla vulgarit, quibus quaerendos ad necem Christianos praeciperet; tamen Ethnicis, cum Athenis praesertim versaretur, causa, cur in nostros impetum facerent, fuit. Eam vexationem diram acerbamque fuisse, traditum est a S. Hieronymo in *Catal. Viror. Illustr.* cap. 19. Quadratus vir in primis doctus, cum Christianus esset, sui, sociorumque defensionem coepit. Eodem in genere laboravit Aristides, quorum libris permotus Hadrianus, sedandam esse tempestatem, quae sui causa coorta esset, putavit. In Italia quoque saevitum in Christianos aetate hujus Imperatoris fuit. Vide *Chronicum* ad annum Christi 118. Proditum ab Aelio Lampridio est, Hadrianum Templa Christo Salvatori extruere, eumque in Deos referre voluisse; idque ne faceret, Ministros falsorum Numinum impedisse, qui dicerent, si ulla dicata Christo Templa fuissent, genus hominum universum Christianum fine dubio

bio futurum. Huetius *Demonstr. Evang.* Proposit. III. pag. 37. §. 23. scribit: „ Lampridium, haud me fugit, Casaubono poenas dedisse, quasi vanis vulgi opinionibus obsecutus, Templa Christo destinata fuisse tradiderit, quae sibi ipse Hadrianus in omnibus Civitatibus condere coeperat, & suo nomini consecrare proposuerat, ut habet Spartianus in illius Vita. Cogitabat autem, inquit Casaubonus, illuc Simulacra mittere Hadrianus, vel praesens ipse consecrare, postquam essent absoluta. Quod cum morte praeventus perficere non potuerit, & Templa complura manserint imperfecta, multis post hanc aetatem annis vulgo creditum est, Templa illa simulacris carentia, Christi Jesu honori ab Hadriano fuisse extructa. Caussam cur haec in animum suum induceret, & Lampridio contradiceret, non aliam habuit Casaubonus, quam Patrum vetustiorum ea de re silentium. Verum Lampridii mentem parum videtur introspexisse vir solers ceteroquin & eruditus: non enim scripsit Historicus, Templa illa, quae extruere coeperat Hadrianus, mansisse sine numinibus, sed Hadrianum *Templa in omnibus Civitatibus sine Simulacris jussisse fieri*: quo significatur, certum destinatumque fuisse Hadriani consilium, ut Templa Christo extruerentur, nullis omnino vel exornata, vel exornanda Idolis; cum ea, quae sibi, suoque nomini ipse condebat, Simulacris insignita essent. Hujusmodi fuit illud, quod, Jovi Olympio, ipsique Hadriano Athenis dedicatum, Aram habuisse, quam ipse sibi Hadrianus erexerat, refert Spartianus *in Hadr. cap.* 13. Inerant praeterea & plurima ejus Simulacra, ut testatur Pausanias in Atticis. Pergit Lampridius loqui de Templis Christo Jesu ab Hadriano excitatis: *Quae hodie*, inquit, *quia non habent Numina, dicuntur Hadriani*. A quibus ita dicuntur? Utique ab Ethnicis; qui cum Templis nomina tribuere soleant a Diis petita, quorum honori consecrata sunt; appellare illa maluerunt de conditoris, quam de famoso inter eos & invidioso Christi nomine. Addit Lampridius, *Quae ille ad hoc parasse dicebatur*; ab Ethnicis nimirum dicebatur: nam quis putet, Lampridiun, hominem itidem Ethnicum, ea de re Christianos consuluisse, fidemve illis tribuisse ullam? Ergo ab Ethnicis acceperat, Hadrianum ad hoc parasse Templa, ut in iis Christus coleretur: verum a Sacerdotibus prohibitum (veritis, ne, si invalesceret Christiana Religio, Ethnica concideret), ab incaepto destitisse: quod adversariis nostris attestantibus credendum est. Fallitur praeterea Casaubonus, cum scribit, jussisse Hadrianum Templa fieri in omnibus Civitatibus, suo nomini sine dubio consecranda, testemque citat Spartianum. Narrat enim Spartianus *cap.* 13, Hadrianum Templa sui nominis consecrasse; non, consecranda solum destinasse. Quae ergo Templa sibi extruere coeperat Hadrianus, eadem absolverat, & instruxerat Simulacris, & suo demum nomini consecraverat. Quae vero Christo aedificari mandaverat, iis simulacra vetuerat inferri, & monitu Sacerdotum imperfecta fere reliquit. Cujus generis fuit Tiberiadense, & aliud Alexandrinum, quae a Judaeis in profanos usus conversa fuisse refert Epiphanius. Verum hoc a Josepho Comite, illud ab Athanasio repurgata ac perfecta sunt, & Christo non tam tributa, quam restituta. Minime vero jactandum id, & extollendum censuerunt Christiani Scriptores; quod Ethnicis parata esset responsio, Templa quidem Hadrianum Christo extruere coepisse, verum poenituisse postea propositi, & mandatum revocasse, proindeque Christo destinata quidem fuisse Templa haec, non dedicata „. *Haec Huetius*.

98. Nummus Herculis Musagetis, seu Musarum Ducis. Visitur in antica Apollinis caput: in postica vero, quam heic exhibemus, legitur HERCVLES MVSARVM. Hercules cum clava, & Leonis exuviis, qui pulsat lyram. Vide Macrobium *Saturn.* lib. I. cap. 12, Gruterum *Inscript.* pag. MLXX. 5, & Montfauconium *Antiq. Expliq.* Tom. I. Part. I. pag. 113. Tab. 59. num. 2. Communis fuit Ara Herculis, & Musarum, de qua consulendi sunt Graevius *in Thes. Roman. Antiq.* Tom. V. pag. 1022, & Gronovius Vol. VIII. p. 1861. Famianus Nardinus *Rom. Vet.* lib. VI. apud eundem Graevium Tom. IV. pag. 1257. scribit: *Aedem Herculis Musarum* (sc. ductoris, seu ducis) M. Fulvius Nobilior condidit, ad exemplum *Herculis Musagetae* Graecorum. Ita Eumenius Rhetor in Orat. pro reparandis Scholis ad Praesidem Galliae: *Aedem Herculis Musarum in Circo Flaminio Fulvius ille Nobilior ex pecunia Censoria fecit; non id modo secutus, quod ipse literis, & summa Poetae amicitia duceretur; sed quod, in Graecia cum esset Imperator, acceperat, Herculem, Musagetem esse, idest comitem, ducemque Musarum. Idemque primus*

INDICULUS TAB. II. SEC. II.

Signa novem, hoc est omnium Camoenarum, ex Ambracia Oppido translata sub tutela fortissimi Numinis consecravit, quia mutuis operis, & praemiis juvari, ornarique deberent, Musarum quies, defensione Herculis; virtus Herculis, voce Musarum: Et haec est illa consecratio, de qua Cicero in Oratione pro Archia loquitur, ubi de Fulvio: *Nec dubitavit Martis Manubias Musis consecrare.* Sed de hac Aedis communione, quae Herculi cum Musis fuit, Plutarchus Probl. LIX. diversimode disputat: forte, quia Evandrum literas docuit Hercules, ut Juba notat: quae expositio, seu ratio, multum habet ingenii: illa vero Eumenii, magis historica est. Quod autem heic FulviumSigna Musarum Ambracia Romam deportasse dicit, a Plinio sine dubio accepit, qui lib. XXXV. cap. X. scribit: *Fecit & figlina opera, quae sola in Ambracia relicta sunt, cum inde Musa Fulvius Nobilior Romam transferret. Aedem porro Herculis Musarum* a Philippo D. Augusti vitrico restitutam, Ovidius, & Suetonius memoriae prodiderunt. Ille lib. VI. Fastor.

Dicite Pierides, quis vos adduxerit illic,
Cui dedit invictas victa noverca manus?
Sic ego: sic Clio: clari monimenta Philippi
Aspicis &c.

Hic in Augusto cap. XXIX: *multaque a multis extructa sunt, sicut a Martio Philippo Aedes Herculis Musarum.* Hos autem de restitutione Aedis locutos esse, omnes censent Antiquarii: neque vero mirum videri debet, Ovidium adulatorio animo honorem dedicatae Aedis restitutori potius, quam aedificatori, auctorique primo tribuisse. In Suetonio autem, si praecedentia considereutur, *sed & ceteros Principes viros saepe hortatus est, ut pro facultate quisque monumentis, vel novis, vel refectis, & excultis, urbem adornarent*, invenimus Philippum non magis conditorem, quam restitutorem a Suetonio fuisse recensitum. Praeterea, cum illam Philippus aut ampliaverit, aut exornaverit, magnificentiamque ei addiderit, jure merito Ovidius eam *Clari monimenta Philippi* appellare potuit, ejusque animi magnitudinem celebrare, quoniam illo tempore Aedes haec inter primas fuit. Effictus autem illic Hercules fuit manu lyram tenens. Probat hoc Laevinus Torrentius e vetere Nummo. Et hinc forsan Ovidius mox subjungit:

Annuit Alcides, increpuitque lyra.

Vide Bellorium *de fragm. Vet. Rom.* Tab. II. & Tomasinum *de Donar. Veter.* cap. 24. ubi ait: Romae ad Viam Appiam in saxo stat Hercules nudus, clavae innixus: pellis ei leonina pendet ab humero sinistro, laeva manus ostentat ramum populeum: hinc symbolum, & ara accensa; inde lyra, & populus arbor, cujus ramis inferioribus dependent coronae duae, una laurea, altera populea: subscribitur, HERCVLI MVSARVM. PYTVS. Altera insuper ex inscriptione Romana comprobatur Musarum cum Hercule dicta societas:

HERCVLI PACIFERO
ET. MVSIS
L. FAB. VALERIANVS
PR. PR. PROV. GALA....
PROC. PROV. AFR....
VIS.... ADMONITVS
REDIENS.....
V. S. D. S. L. M.

99. Fragmentum antehac ineditum alterius Tabellae Iliacae, ex MuseoDD. Canonic. Eccl. Veronensis. Ipsum ad Trojanae expeditionis argumentum pertinere, certum est ex figuris in antica parte, quam heic exhibemus, insculptis, cumGraeca Epigraphe singularum acta demonstrante, quae literas praeservat omnino evidentes. Prima cellula ita inscribitur: ΠΕΝΘΕΣΙΛΗΑ ΑΜΑΖΩΝ ΠΑΡΑΓΙΝΕΤΟ, *Penthesilea Amazon advenit*, Priamo scilicet contra Graecos opem latura. Sufficit haec prima Epigraphe, ut ostendatur, hanc Tabellam figuratam fuisse, non ex Homeri Poemate, ubi nulla Penthesilea, aut Amazonum, subsidio Trojanis oblata memorantur; sed ex supplemento Cointi Smyrnei (quem Quintum Calabrum nostri vocant), & quidem ex ipso initio libri primi ubi educit in campum Trojanorum armatam Penthesileam, ejusque expeditionis causas exponit. Confer Tabellam Iliacam editam & illustratam a Viris Clarissimis Fabretto, Begero, & Montfauconio locis paulo superius allegatis in *Indiculo* hujus Tabulae II. num. 76, ac 90, & nostrum *Librum Antiquarium* cap. V.

100. Nummus Apollinis. In antica vittur Apollinis caput: in postica vero, quam heic exhibemus, legitur, Q. POMPONI MVSA. Thalia heic exprimitur, quae Comoediam invenit, tenetque larvam, & clavam; quia, ut ait Aristophanes, Comoedia Herculi consecrata erat. Thalia bifrons est, ut Janus: *qua de causa* (inquit Montfauconius *Antiq. Expliq.* Tom. I, Par. I. Tab. 59. num. 5, pag. 113.) *ignoro*. Forte tamen ita repraesentatur, quia erat una Gratiarum, quarum nomina sunt, *Aglaje*, *Thalia*, *Euphro-*

phrosynae. Harum una aversa pingebatur, duae vero ad nos conversae. Vide Ficinum *in Conv. Platon.* Alii Musam in nostro Nummo bifrontem, Euterpen esse existimant, cui etiam clavam ascribunt; & vere clava Euterpae convenire videtur, utpote Tragoediae inventrici, quae Tragoedia Heroas celebrat, clava Herculis designatos. Pitiscus in Lexico Tom. 3. pag. 112. col. 2. ait: *Pomponii, a Numae filio fluxisse traduntur*. Plutarchus in Numa pag. 73. E. *Pomponii sobolem esse Pomponios*. Quamquam Plebeii fuerunt, qui cognominibus Mathone, Attico, MVSA, Molone, Flacco, & Vitalo distincti Romae summos honores adepti sunt. Quidam *Pomponios* ante Urbem Conditam fuisse scribunt, majorumque Gentium Patricios existimant eos fuisse, ex qua Gente fuit Faustulus Romuli educator. Duplex forte etiam Pomponiorum gens fuit. Vide Sigonium *de Nom. Roman.* apud Graevium Volume 2. cap. IV. pag. 971.

101. Nummus Homeri cum epigraphe in in antica ΟΜΗΡΟϹ: in postica vero, ϹΜΥΡΝΑΙΩΝ. Smyrnaei hunc Nummum Homero procuderunt, quia Civem esse dicebant suum. Joannes Harduinus *in Nummis Antiquis Illustratis* pag. 463. affert Nummum Sabinae, cum epigraphe ΜΕΛΗϹ. ϹΜΥΡ. Μέλης Σμυρναίων, de quo confer Spanhemium pag. 891. Plinius lib. v. sect. 31. *Smyrna, amne Melete gaudens, non procul orto*. Pausanias in Achaicis pag. 211. ad fontes ejus amnis, ait, antrum extare, in quo fama sit sua carmina scripsisse Homerum. Statius lib. III. Silvar. de Homero:

Smyrna tibi natale solum, potusque verendo
Fonte Meles.

Herodotus lib. de Vita Homeri pag. 559 Melesigenem inde eum appellatum tradit. Nonnulli in dubium revocarunt, an in Smyrnaeorum Nummis scalpta esset Homeri imago: sed ex nostro indubiae fidei dirimitur omnis quaestio. Vide Gronovium *in Thes. Graec. Antiq.* Vol. II. fol. 19, *Museum Capitolinum* Tom. I. Tab. LIV. & LV. in Homero pag. 29. & *Indiculum* hujus Tabulae num. 91.

102. Inscriptio Hadriani, quam dedicavit Nervae Trajano, & Plotinae parentibus suis jam inter Divos relatis, ex Foro Trajani in Impluvium Vaticanum Statuarum translata anno 1705. Extat edita etiam in *Museo Veronen.* March. Scipionis Maffeii V. Cl. pag. 251. num. 1. Hadrianus Tertium Consulatum iniit anno Christi 119, Trib. Pot. 2. 3. Trajanus vero obiit Selinunte in Cilicia die IV. Idus Augusti anno Christi 117. atque inter Divos relatus est. Vide Eutropium lib. VIII, & Spartianum in *Hadriano*.

INDICULUS TAB. II. SEC. II.

103. Nummus Marci Aurelii Antonini. Legitur in antica, ΑΥΤΟΚΡΑ. ΚΑΙϹ. Μ. ΑΥΡ. ΑΝΤΩΝΙΝΟϹ. Caput Marci Aurelii: in postica vero, ΟΜΗΡΟϹ. ΑΜΑϹΤΡΙΑΝΩΝ. Caput Homeri. Homerus Numinis vice, seu Divi indigetis, habitus ab Amastrianis est. Vide Harduinum *de Nummis Antiquis Illustratis* pag. 36, & nostrum *Indiculum* hujus Tabulae numeris 77. 91. & 101.

104. Pars aversa Tabellae Iliacae, de qua supra numero 95. Continet Supplementum Iliadis a Q. Smyrnaeo, aliisque post Homerum adjecto, ut arguimus ex caede Penthesileae Amazonum Reginae ibidem incisa. Vide Laurentium Begerum *de Bello & excidio Trajano* §. 46, post Fabrettum *de Tabella Iliadis* in lib. *de Columna Trajani*. Inscripta fuit duobus exametris versibus, quorum postrema hemistichia adhuc retinet evidentia. Primum ΝΕΟΥ ΠΟΤΕ ΒΟΥΛΕΙ, in superiori limbo juxta communem scribendi morem disponitur. Alterum vero hemistichium ΘΕΟΔΩΡΗΟΣΗΙ ΤΕΧΝΗ peregrina quadam ratione ordinat, ac replicat literas in cellulis quadrilateris singillatim digestas per diagonales literas illius quadrati spatii, quod unicus versus implebat, legendus, tum per strigas, tum per diagonales. Scribendi ratio diversa etiam videtur ab illa vetustissima, & alternis versibus in se recurrente, quam a similitudine bubulci per aratri conversionem sulcos iterantis, antiqui Grammatici dixere *Bustrophedon*. Confer numerum 99. hujus Tabulae, & *Librum Antiquarium* cap. V. ubi plura de hoc insigni fragmento Patruus meus literis consignavit.

105. Ornatus cacuminis ingentis Molis Hadriani, quam is sibi in Sepulcrum erexit in Transtiberino solo, Ponti Aelio adjunctam. Exhibet nucem pineam aeneam inauratam magnitudinis inusitatae, cum duobus pavonibus itidem inauratis, extatque in Viridario Vaticano, vulgo *Belvedere*. Pavones quatuor olim fuerunt nunc vero pinea ideo sepulcro ejus imposita; ut planctum Magnae Deum Matris, occidente Aty Cybelejo, adumbraret, quia necatus est sub Pinu Atys. *Quid sibi vult* (inquit Arnobius *adversus Gentes* lib. V) *illa*

INDICULUS TAB.II.SEC.II. v) *illa pluris, quam semper statis diebus in Deum Matris intromittis Sanctuariumnonne illius similitudo est arboris, sub qua, sibi furens, manus & infelix adolescentulus intulit, & Genitrix Divum in solatium sui vulneris consecravit?* Pavones ideo, ut Augustas illic quoque designaret conditas, quae a morte inConsecratione putabantur alis pavonum in Caelum attolli, ut ex Numismatibus liquet. Vide Borrichium *Ant.Urb.fac.* c.16.ac Pancirolum &Donatum apud GraeviumTo.III.p.425,&884.Capitolinus inAntonino ait: *Hadriano apud Bajas mortuo, reliquias, Antoninus Romam pervexit sancte, ac reverenter, atque in Hortis Domitiae collocavit*, ideft in Sepulcro, quod sibi illic fecerat. Ita enim Dio in Hadriano explicat: *Sepultus est in ripa fluminis juxta pontem Aelium: illic enim Sepulcrum conditum: jam enim Augusti monimentum repletum erat;nec quisquam amplius in eo sepeliebatur.* Forma hujus ingentis Molis describitur a Procopio lib.1.*Belli Goth.*,, *Hadriani*,ait,*Romanorum Imperatoris Sepulcrum extra portam Aureliam extat, jactu lapidis distans a moenibus. Primus ejus ambitus quadrati figuram habet. Constat enim totus ex marmore Pario, summa artificum diligentia aedificatus. In medio vero hujus quadrati rotunda moles assurgit, excelsa altitudine, & tanta, ut in suprema ejus parte area sit, cujus diameter vix ictu lapidis transfigitur,&c.*Item a Cl.Montfauconio,qui *Antiq. Expliq.* Tom.5. Part.I.Tab.103.pag. 121. scribit:,,Longe majus, ornatiusque erat Mausoleum Hadriani, illo Augusti monumento. Ex illo vero unica superest immanis amplitudinis turris, quae in praesidio,quod Castellum Sancti Angeli dicitur, quasi arx erigitur. Estque moles pene tota solida, intra quam tantillum vacui spatii relinquitur; itaut, contra omnes temporum injurias, tuta aeternum mansura videatur. Exornabatur autem olim sublimibus undique columnis; quae columnae adhuc octoginta numero in Ecclesia S. Pauli extra muros conspiciuntur. Harum quadraginta majores in ordine, ut videtur, inferiore erant, & quadraginta reliquae in superiore. Ichnographiam dedit Petrus Sanctes Bartolus, & orthographiam similiter. Ichnographia quidem accurata esse putatur; nec difficile fuit,eam secundum veram sinceramque rationem apparare: non idipsum dixerim de orthographia, in qua multa ex sola conjectura posuisse videtur Bartolus; qui duos solum posuit columnarum ordines, cum contra Laurus, aliique, qui ipsum antecesserant, tertium adjiciant ordinem. Duo certe illi columnarum ordines, quos ex Mole Hadrianea desumptos fuisse affirmarunt Montfauconio Monachi Benedictini, ad Bartoli orthographiam quadrant:nam ii, qui,ad ornandamEcclesiaeSancti Pauli,Mausolei Hadrianei spolia impetrarunt, tertium ordinem columnarum non reliquissent, si adfuisset. Bartolus in secundo ordine parastatas solum posuerat: sed si Benedictinorum S. Pauli dictis standum sit, secundus ordo columnarum etiam erat, sed minorum illis, quae in primo stabant ordine: cum parastatas posuit Bartolus, id ex mero arbitrio fecit. Hoc Mausoleum ornatum erat statuis tum pedestribus, tum equestribus; erant etiam inibi Quadrigae, superbum hoc aedificium condecorantes. Hae porro statuae confractae sunt, ut narrat laudatus Procopius, in *Bello Gothico*, cum Romani, saxis deficientibus, utpote jam in hostes conjectis, hasce statuas confregere, ut telorum vice frusta earum immitterent in Gothos.

106. Inscriptio Antonini Pii, Hadriano Augusto, (a quo ipse fuerat adoptatus), & Divae Sabinae uxori parentibus suis dicata annoChristi 139,quo designatus fuerat Consul III. Vide Gruterum pag. 252. 7. Extat & alius Lapis inter *Donianas Inscriptiones* Classe 2. num. 81. pag. 91. (ex nostro corrigendus), in quo legitur, IMP. CAESARI. DIVI. HADRIANI. FILI. DIVI. TRAIANI. PARTHICI. NEPOTI. DIVI. NERVAE. PRONEPOTI. T. AELIO. HADRIANO. ANTONINO. AVG. PIO. PONT. MAX. TR. POTEST. VI. (lege II.) IMP. IV. (item lege II.) COS. II. DESIGNAT. III. Confer Cl. Georgii Adnotationes ad hunc annum in Critica Pagii.

107. Pars aversa fragmenti, de quo supra num. 99. Haec Tabella Graecis characteribus inscripta est a summo ad imum. Postremus versus, in quo abrumpitur consecutio epigraphis, *Junonis Argivae Sacerdotem Eurydicen* commemorat; quod plurimum interest ad constabilienda fundamenta Chronologiae, & Historiae, qualis haberi apud Graecos potuit temporis Heroici,tot fabulis ab eisdem conspersi. Visitur &inTabella Musei Farnesii,quaeHerculis gestis inscripta est, memorari *Sacerdotem Junonis Argivae Admetam Eurysthei* Regis filiam in ipsa Tabellae dedicatione, sive ut temporis characterem.

Com-

Compertum siquidem est, Hellanicum Mitylenaeum annis duodecim Herodoto vetustiorem, cum vellet Chronologiae probatis documentis prima apud Graecos Historiae rudimenta contexere, *a serie Junonis Argivae Sacerdotio fungentium feminarum fuisse auspicatum*, eamque duobus Libris complexum fuisse, quos Stephanus in voce [Greek] produxit. Vide *Librum Antiquarium* cap. IV, ubi plura habentur de hoc insigni Iliadis fragmento, in quo exprimitur Supplementum Q. Smyrnaei, Genealogicam seriem continens, ad Familiam Cadmi referendam, juxta ea, quae tradit Apollodorus. Extat nunc Veronae in Museo Dominorum Canonicorum ex dono Francisci Blanchini Patrui mei.

108. Signum Pythagorae Samii, ex marmore Capitolino. Jamblychus in hujus Philosophi Vita num. 14. formosum illum fuisse dicit. Ulysses Aldrovandus in Libro, quem inscripsit, *le Statue di Roma*, pag. 191, mentionem facit cujusdam capitis marmorei Pythagorae elegantissime scalpti, quod in AedibusCard.Gaddi adservabatur. Hoc, quod a nobis exhibetur, quamsimillimum est Protomae a Bellorio vulgatae *Imag. Viror. Illust.* Tab. 30. Part. I. Discipulorum concursus ad neminem Philosophorum tantus fuit, quantus ad Pythagoram Italicae Scholae Principem. Ipse Philosophiae nomine, quod studium sapientiae significat, usus; Sapientem solum Deum, Mortalium neminem, dixit. Ex consuetudine vero, quam cum Hebraeis habuit, magnam Scientiae suae partem adeptus est. Praeceptoribus suis Thalete, & Anaximandro jam defunctis, in Aegyptum, uti Thales illi suaserat, commigravit, & per Epistolam (ut refert in Vita ejus Laertius) a Polycrate Samiorum Tyranno commendatus est *Amasidi*, quem *Gemneserteum* appellasse videntur Aegyptii. Eo enim regnante, Pythagoram in Aegypto fuisse, in libri 36. capite 9. notat Plinius. Ibi vero annos omnino XXII. cum Sacerdotibus versatus, Astronomiae, & Geometriae operam dedit, cunctisque eorum Sacris initiatus est, ut scribit Jamblych. in *Vit. Pythag.* cap. 3, & 4. Ea de causa & circumcisus est, ut, ad adyta admissus, mysticam Aegyptiorum addisceret Philosophiam: in quo studio Sonchedis Aegypti Archiprophetae opera praecipue usus est, ut refert Clemens Alex. lib. I. Stromatum (Sonchidis Saitae, ni fallor, cujus & Solonem consuetudine prius fuisse usum, narrat in ejus Vita Plutarchus). Ab Aegyptiis quoque [Greek], sive animarum in quodvis animal transmigrationem, illum didicisse, sub libri primi finem Siculus refert Diodorus. *Et literis Gentis ejus assuefactus, praeteriti aevi Sacerdotum Commentarios scrutatus, innumerabilium Saeculorum observationes cognovit*, inquit Valerius Maximus lib. 8. cap. 7. Babylonem fuisse adductum, ibique cum Magis conversatum, narrat in illius Vita Jamblychus. Addit alius vitae Pythagorae scriptor Malchus, sive Porphyrius, eum Babylone cum aliis Chaldaeis versatum fuisse, & *Zabratum* etiam adiisse, ab eoque pristinae vitae sordibus fuisse expurgatum. Is *Nazaratus*, ille Assyrius fuisse putatur, quem Alexander (Polyhistor, ni fallor,) Pythagorae fecit magistrum, aliique nonnulli *Ezechielem* fuisse perperam sunt opinati, ut in I. *Stromatum* libro idem Clemens Alexandrinus retulit. Cum Babyloniensibus vero Judaeis Pythagoram diu conversatum fuisse, illud quoque ineluctabili argumento fuerit, quod eorum dogmata complura in suas Philosophicas Institutiones traduxerit, iisque areolas suas diligenter irrigaverit. Quod ipsum etiam Aristobolus Judaeus, Disciplinae Peripateticae Philosophus, apud Clementem lib. I. *Stromat.*, & Eusebium lib. 13. *Praeparat. Euangelic.* confirmat; ea, ut videtur, ratione etiam inductus, ut ante Persarum Imperium libros Mosaicos Graece conversos fuisse crederet; quum ex consuetudine, quam cum Hebraeis habuit, eam sapientiae suae partem adeptum fuisse Pythagoram multo fuerit credibilius, ut ostendit Cl. Huetius *Demonstr. Euang.* Propositione IV. cap. II. pag. 44. & 45. §. VII. „ Pythagoras (inquit) non Astronomicis solum, & Geometricis, sed sacris etiam & interioribus doctrinis institutus est, & omnibus Deorum mysteriis initiatus. Chaldaeos quoque, Assyrios, & Persarum Magos audivit, & magna denium disciplinarum merce ditatus, Philosophiam suam instruxit. Quam multa autem Mosaica inter Judaeos, & vicinas Gentes conquisita, illuc contulerit, optimus testis est Hermippus, qui, Judaeorum dogmata, ac leges Pythagoram in suam transtulisse Philosophiam, scripsit, ut ex Josepho, & Origene discimus. Testis & Aristobulus Judaeus apud Clementem Alexandrinum *Strom.* 1. 2. & 5, & Eusebium *Praep.* l. 9, & 13. Horum ille colligit aliquot Pythagorae dogmata, & Mosaicis consentire ostendit; velut

INDICULUS TAB.II.SEC.II.

velut illud e Decalogo, quo sculptilibus interdicitur, expressisse Pythagoram ostendit, cum vetuit imaginem Dei annulo inscribi. Mosem etiam secutos esse docet Pythagoreos, cum hominem ad Dei imaginem conditum esse definierunt. Pythagoras nudis pedibus sacra fieri jussit: cum hoc jussisset, nonne mandatum Mosi de rubo ardenti editum videtur in mente habuisse, quemadmodum ab Ambrosio Epist. lib. 3. Ep. 20. notatum est? integrum quoque praeceptum Mosis repraesentavit Pythagoras, quo, ne frugiferae succiderentur arbores, interdixit. Adde, Timaeum Locrum Pythagoreum, & Platonem, in Libro quem *Timaei* hujus nomine inscripsit, de Mundi Opificio pleraque Mosis doctrinae consona differere. Adde & veri persimilem conjecturam Seldeni, & Wendelini, qua mirificam illam Pythagorae τετρακτύν, ipsum esse suspicantur Dei nomen *Jeova*, atque ejus notitiam a Daniele jam seoe Pythagoram, cum in Babylonia degeret, accepisse. Danieli adjungi poterat & Ezechiel. Notabile hoc habet Plutarchus, Pythagoram, & Platonem asseverasse, Mundum a Deo esse factum, & suapte natura corruptioni esse obnoxium. Idem alibi pleraque Pythagorae dogmata, Numae Pompilii dogmatis consentanea profert; quae ex Mosaicis legibus expressa esse, manifestum est. Velut cum Deum neque corrumpi posse, neque sensu percipi, sed intelligi solum, uterque statuit: & cum vetuit Numa, Deum ad hominis, aut animalis cujuscumque formam exprimi (unde nec centum ac septuaginta prioribus Romani Regni annis ulla Dei effigies Romae extitit): & cum farinam, ac vinum in sacrificiis uterque adhibuit. Adde & referre Malchum, sive Porphyrium, certas quasdam victimarum partes nonnunquam comedisse Pythagoram (qui animatorum ceteroquin esu fere abstinebat) alias victimarum partes constanter respuisse. Sciebat enim quarumdam victimae partium esum ex praescripto Mosis Sacerdotibus concedi. Quamobrem, cum Pythagoram ex Columnis Mercurii in Aegypto doctrinam suam hausisse docet Jamblychus in libro de Mysteriis, pertinere id utique videtur ad libros Mosis. Atque ex hac Mosaicae doctrinae affectatione factum puto, ut Judaeis prognatum eum plerique crediderint; quemadmodum refert Ambrosius in Epistola ad Irenaeum Epist. 20. lib. 3.

109. Signum Numae Pompilii Romanorum Regis II. superstitionum auctoris, ex marmore Xysti Vaticani. Ipse totus fuit in re Divina; &, ad eos Sacerdotes, quos Romulus instituit, ipse alios praeterea adjecit, Flaminem Dialem, Martialem, Quirinalem, Virgines Vestales, Salios, & Pont. Maximum: Populum quoque sacros ritus docuit, ferocesque ejus animos religione, atque institutis civilibus temperavit. Jani Templum constituit: dies Fastos, & Nefastos fecit: creditusque est Pythagorae discipulus fuisse, ut constat ex maxima utriusque dogmatum consensione. Eusebius *Praep. Evang.* lib. IX. cap. VI. scribit, *Numa Rex Romanorum erat Pythagoricus*: & Plutarchus de *Placitis Philosophorum*, ac in *Numa*, pleraque Pythagorae dogmata, Numae Pompilii dogmatibus consentanea profert, quae ex Mosaicis Legibus expressa esse, manifestum est. Vide Huetium in *Demonstr. Evangelic.* Proposit. IV. cap. 2. pag. 45. itemque cap. XI. §. 4. pag. 129. ubi ait: „Far autem tostum ad sacrificia adhibebant Romani a Numa instituti, Mosaicarum disciplinarum haudquaquam imperito. Hinc Festum Fornacaliorum, quibus farra ad sacrificiorum usum torrebantur. Ejusdem Numae tempore farina, & vino sacra fiebant, ut auctor est Plutarchus *in ejus Vita*. Mosaicae sanctioni idem obsecutus est, cum agrorum terminos moveri vetuit. Quae lex ut sanctior haberetur, finxerunt Romani Deum Terminum, & Terminalem Jovem, & Terminalia celebrarunt. Imprimis vero notabile est, quod illic scribit Plutarchus (ut ostendat, maximam fuisse dogmatum Numae, ac Pythagorae consensionem), Numam scilicet opinatum esse, Deum neque sensilem esse, neque quidquam pati posse, aut videri, aut corrumpi; sed animo solum cognosci; eumdemque cavisse, ne qua ad humanam, aut aliam quamcumque speciem elaborata effigie exprimeretur; neque Romae ullum fuisse vel fictum, vel pictum Dei simulacrum, ante septuagesimum & centesimum annum ab Urbe Condita: quae Mosaicam originem satis produnt. Auctor quoque Romanis fuit Numa nudipedaliorum, & molae salsae..... Piscibus, qui squammosi non essent, pollucere vetuit lex Numae, quam refert Cassius Hemina apud Plinium *lib.* 32. *cap.* 2: at hujusmodi pisces, abominabiles & execrandos Moses declaravit „. Cicero Numae sepulti mentionem facit: & saepius recitatus Plutarchus in Numae Vita pag. 74. scribit: „Cor-

pus

pus ex praecepto ejus, ut fama est, non cremaverunt; verum duas arcas lapideas fecerunt, quas condiderunt sub Janiculo: quarum in una cadaver ejus positum fuit, in altera Libri Sacri, quos ipse, ut in Graecia Legum Scriptores, Tabulis conscripserat, in quibus expressa erant ea, quae tradiderat, cum viveret, Pontificibus, omniumque arte & sensu imbuerat eos. Sacras ergo illas Tabulas una cum corpore jussit humari, censens non tuto arcana mortuis committi literis.

110. Signum Jani Aboriginum Legislatoris, quod extat in Xysto Vaticano. Janus geminus apud Romanos bifronte facie, cippo quadrilatero sive Hermae imposita, exprimebatur, teste Servio Aeneidum XII. 198, *quasi ad imaginem duorum Populorum.* Alias rationes afferunt Plutarchus *Quaest. Rom.* 24, Giraldus *Syntag. Deorum* Lib. 4. pag. 154, Struvius *Antiq. Rom.* cap. 1. pag. 106, Ortelius *de Deorum Dearumque capitibus* lib.II. apud Gronovium Tom. VII. pag. 277, & Cuperus *Monumentorum Antiquor.* pag. 204. Janum Regem antiquissimum Aboriginum in Italia fuisse, Historici tradunt: quae Gens postea cum Trojanis in una moenia conveniens, Latino Populo origenem dedit. Gallaeus ad Lactantium contendit, Janum eundem fuisse, ac Noe: &, quod Noachus vidisset utrumque hominum genus (quod nempe Diluvio antiquius fuerat, & quod recentius), bifrontem, & utrinque oculatum eum Ethnici finxerunt. Paria habet Cl. Huetius, qui in sua *Demonstr. Euang.* Proposit. IV. cap. 9. §. 2. pag. 109. & seqq. scribit: „ Bifrons pingebatur Janus, quod Graecus inter Italos degens, pristinae linguae usum, ac vitae rationem mutaverit; vel quod homines agrestes mansuefecerit, inquit Plutarcus; vel *quod & praeterita sciverit, & futura* providerit, inquit Macrobius. Haec Mosi omnia conveniunt, qui Hebraeus in Aegypto diu vixit, qui Hebraicam, & Aegyptiam calluit linguam, qui Hebraeos legibus coercuit, qui veterum peritus, & futurorum praescius, utraque literis commendavit. Mihi vero causa inesse videtur probabilior in velamine, quo Mose de Monte descendens faciem texit: nam hoc fuit velut nova frons, & nova facies, priori & nativae superposita. Ex luce vero, quam ex Dei colloquio retulerat, factum est, ut fulgidus, & radiatus Janus pingi solitus sit, quod factum discimus ex Albrico. Omni etiam observatione dignum est, & rem penitus evincit, quod legitur apud Albricum de Imagine Jani: *In dextra habebat clavem, in sinistra vero habebat baculum, quo saxum percutere, & ex illo aquam producere videbatur.* Baculum contra dextra, sinistra clavem tenet apud Ovidium I. *Fast.* En tibi Mosem virga e rupe aquas elicientem. Memorabile & illud portentum, quo protensa manu effecit Moses, ut aquae Maris Rubri in alveum revolutae imminentem Aegyptiorum exercitum obruerent, hoc adumbratur figmento, quod post Ovidium 1. *Fast.* refert Macrobius: bello Sabino, irruentibus per portam Janualem hostibus, *ex Aede Jani, per hanc portam, magnam vim torrentium undis scatentibus erupisse, multasque perduellium catervas devoratas rapida voragine periisse.* Navis illa in Jani Numismatibus expressa, non navigium, quo Saturnus trajecit in Italiam, sed fiscellam illam scirpeam, pice, ac bitumine oblitam, mihi videtur significare, in qua Moses expositus est. Regem fuisse Janum, auctor est Plutarchus *in Numa*: quamobrem in throno sedentem eum Albricus *de Deorum imag.* repraesentat: in Hebraeos Jus Regium Moses exercuit, & βασιλεὺς a Clemente Alexandrino *Strom.* 2. appellatus est. *Quis te constituit principem, & judicem super nos?* (*Exod.* 11. 14.) ajebat ei rixosus ille Hebraeus in Aegypto. Italorum Janus Legumlator fuit, teste eodem Plutarcho *Quaest. Rom.*, Moses Israelitarum. *Xenon primo Italicorum tradit, Janum in Italia primum Diis Templa fecisse, & ritus instituisse Sacrorum*: ipsa sunt verba Macrobii: praecipua haec Mosis laus est. Jano Divini honores in Italia sunt decreti; Mosi sub aliis nominibus, passim. Ex variis denique, quae de Jano feruntur fabulis, concludamus cum Arnobio, nullum unquam extitisse Janum, credamusque potius, allatis convicti rationibus, nihil aliud, quam impositam Mosi larvam fuisse.

111. Nummus Commodi cum Epigraphe in postica, ΠΥΘΑΓΟΡΗΣ ΣΑΜΙΩΝ. Pythagoras sedet, baculoque stellas in Globo Caelesti signat. Quo habitu Viri, indicari illud videtur, quod Plinius scribit lib. 2. Sect. VI. ubi de stella Veneris agens, *Infra Solem,* inquit, *ambit ingens Sidus, appellatum Veneris, ipsisque cognominibus aemulum Solis, ac Lunae: Praeveniens quippe, & ante matutinum exoriens, Luciferi nomen accipit; ut Sol alter, diem maturans: contra ab occasu refulgens, nuncupatur Vesper; ut prorogans lucem, vicemque Lunae reddens. Quam naturam*

ejus

INDICULUS TAB.II.SEC.II.

ejus Pythagoras Samius primus deprachendit, Olympiade circiter XLII. *qui fuit Urbis Romae annus* CXLII. Bellorius *Imaginum Illustrium Virorum* Par.I. Tab.XXX. Pythagorae imaginem exhibet ex Numismate aereo Thesauri Christinae Reginae, quod mihi videtur istud Commodi, a Samiis cusum. Et optimo quidem jure in aereis Nummis Commodo inscriptis (inquit Patruus meus amantissimus in Libro *de Kalendario, & Cyclo Caesaris* pag.55.) memoriam, imaginem, ac nomen viri, longe a Commodo diversi, nempe sapientissimi concivis Pythagorae Samii, procuderunt. Is certe merebatur, & metallis, & Olympiadibus dare nomen, qui cum transmisisset in Aegyptum, ac Babylonem, & Astronomicis observationibus ibi vacasset (sive a Persis didicisset siderum motus, ut narrat Valerius Maximus), naturam Solis primus depraehendit, Plinio teste, & Scholae Italicae Auctor fuit; in qua scilicet Numa Romanorum Rex eruditus, Anni modum posteris traddidit. Alii extant Samiorum Nummi, in quibus item conspicitur Imago Pythagorae. Consule Gronovium in *Thes. Graecar. Antiq.* Vol.2.fol.40.& Vol.X.p.264.343.348. & 360. Tanti vero Philosophi Protome in Larario hujus secundae Tabulae a nobis exhibetur, quoniam & ab Caesaribus Antoninis illata in suum est. Vide supra n.108, & S. Irenaeum, qui contra Haereses lib. I. cap. 25. tradit, Carpocratis discipulos habere solitos fuisse Imagines quasdam, vel depictas, vel aliter compositas, quas inter, illam Pythagorae; easque veneratione prosecutos, sicut Gentes Idola colere consueverunt. Paria habet S.Epiphanius Haeresi 27: *Habent porro* (sunt ejus verba) *depictas coloribus Imagines, quidam etiam aureas, vel ex alia materia factas, quas esse Jesu Effigies affirmant, easdemque a Pontio Pilato ad Christi similitudinem effictas, quo tempore inter homines degebat. Ejusmodi tamen Imagines veluti occultant: sed quorumdam Imagines Philosophorum, ut Pythagorae, Platonis, Aristotelis, aliorumque, quibus eas, quas dixi, Christi Effigies miscent, erigunt, suspenduntque, & simul omnes adorant, ad easque Gentilium ritus instituunt. Collocatis enim Imaginibus istis, quae a Gentibus fieri solent, deinceps perficiunt. Quinam vero sunt Gentiles ii ritus, quam sacrificia, ceteraque generis ejusdem?* Divus aeque Augustinus de Carpocrate *Haeresi* VII. scribit: *Sectae ipsius fuisse traditur socia quaedam Marcellina, quae colebat Imagines Jesu, & Pauli, & Homeri, & Pythagorae, adorando, incensumque ponendo.* Simili prope modo, (ut animadvertit Doctissimus P. Ansaldus Ord. Praedicatorum in egregio Opere *de Sacro, & Publico apud Ethnicos cultu* p. 91.) traditum a Lampridio est, Alexandrum Mammeae Severum in Larario habuisse suo Christum, Abrahamum, Orpheum, & Apollonium. Animadvertit jam vero Lilius Gregorius Giraldus in Historiae Deorum Syntagmate XV. *duo habuisse Veteres Lararia, in quorum altero Deos immortales a Diis immortalibus progenitos; in altero Divos, qui ex hominibus in Deorum numerum prolati fuissent, venerarentur: quos utrosque Deos, prout ferebat occasio, & salutabant, & floribus, thureque, & cetero thymiamate, & interdum quoque victimis, aliisque rebus sibi, suisque propitios faciebant.* Nec errare Giraldum evincit illustris Taciti locus, qui Libro *Annalium* V, Agrippinam, dum Claudia Pulchra impudicitiae, veneficiorum, & devotionis postularetur, ad Tiberium, ita rem describens, loquentem inducit: *Agrippina semper atrox, tum & periculo propinquae accensa, pergit ad Tiberium, & forte sacrificantem Patri reperit; quo initio invidiae, num ejusdem*, ait, *mactare Divo Augusto victimas, & posteros ejus insectari? Non in Effigies mutas Divinum spiritum transfusum, sed Imaginem veram caelesti sanguine ortam intelligere discrimen, suscipere sordes; frustra Pulchram proscribi, cui sola exitii causa sit, quod Agrippinam stulte prorsus ad cultum delegerit, oblita Sosiae ab eadem adflictae.* Haec, & allegata Giraldi verba, viam, ni fallimur, perviam aperiunt Plinio Secundo probe intelligendo, qui tum in Epistola *ad Cornelium Titianum* lib.I.scribit: *Est enim omnino Capitoni in usu claros colere, mirum est qua religione, quo studio, Imagines Brutorum, Cassiorum, Catonum, domi, ubi potest habeat*; tum etiam Libro Epistolarum III. ubi de Silio Italico ita *ad Caninium* ait: *Erat enim* [illegible] *usque ad emacitatis reprehensionem, plures iisdem locis Villas possidebat, adamatisque novis, priores negligebat, multum ibi librorum, multum Statuarum, multum Imaginum, quas non habeat modo, verum etiam venerabatur: Virgilii ante omnes, cujus Natalem religiosius, quam suum, venerabatur.*

112. Nummus Trajani Decii, cum epigraphe in antica, ΕΡΕΝ.ΕΤΡ ΟΥСΚΙΛΛΑ СΕΒ. *Herennia Etruscilla Augusta.* Caput Herenniae Etru-

Etruscillae ejus uxoris, ΠΥΘΑΓΟΡΗΣ. ΣΑΜΙΩΝ. *Pythagoras Samius*. Sedet ipse, & baculo stellas in Globo Caelesti signat, ut vidimus supra in typo Numismatis positi num. 551. Consule Indiculum ibidem, & num. 108, item Harduinum *de Nummis Antiquis Populorum* pag. 433, & Franciscum Blanchinum Patruum meum *de Kalendario, & Cyclo Caesaris* pag. 42. num. 1.

113. Socrates sedens, ex Tabella marmorea apud Fulvium Ursinum Par. 2. n. 50. Visitur absque tunica, pallio tectus inferne ab umbilico, cetera nudus. Xenophon in *Conv.* pag. 884. testatur, eum humeros nudos gestare solitum. Explicat volumen, ut solebat colloquens cum Critobulo, ut idem Auctor narrat. De corporis ipsius forma, & animi indole, lege Thomam Stanlejum *in Historia Philosophica* Par. 3. cap. 14. pag. 182. Causeus *Gemmarum Antiq.* Tom. 1. Tab. XVI. p. 13. de eo scribit: Socrates Sophronisci Statuarii, & Phanaretae obstetricis filius, natus est Athenis Olympiade LXXVII. tempore belli Peloponnesiaci. Philosophiae partem illam, quae de moribus agit, Moralisque propterea dicitur, praecipue coluit. *Socrates Philosophiam primus revocavit e Caelo* (ait Tullius lib. 5. Tuscul.), *& in urbibus collocavit, & in domos etiam introduxit, & coepit de vita, & moribus, rebusque bonis, & malis quaerere.* Apollinis Oraculo judicatus fuit Sapientissimus; refert enim Coelius Rhodiginius lib. 13. *Lect. Ant.* cap. 1, Chaerephonti cuidam Socratis perfamiliari Pythiam respondisse haec verba: *Sapiens quidem Sophocles; sapientior vero Euripides; sed omnium sapientissimus Socrates*. Aequalem semper vultum sive in prosperis, sive in adversis rebus servavit: unde Plinius, *Ferunt*, inquit, *Socratem clarum sapientia, eodem semper visum vultu; nec aut hilari magis, aut turbato*. Duas habuit uxores, Xantippem, ex qua natus est Lamprocles, & Myrtonem Aristidis justi filiam, ex qua filios suscepit Sophroniscum, & Menedemum, vel Menexenum. Audivit Magistros Philosophiae Anaxagoram, Clazomenium, Damonem, & Archelaum. Plurimos habuit discipulos diversarum Sectarum institutores, inter quos primum tenet locum Plato Academiae Princeps, a quo Socratis dissertationes commemorantur; illum enim nihil unquam scripsisse constat. Tandem ab Anyto, & Melito accusatus, quod novam Religionem vellet introducere, in vinculis diu fuit, cumque ad mortem condemnatus esset, *forti animo* (ut ethnice scribit Valerius Max. l. 7. c. 2.), *& constanti vultu potionem veneni e manu carnificis accepisset; admoto jam labris poculo, uxori Xantippae, inter fletum, & lamentationem vociferanti, innocentem eum perimi. Quid ergo? inquit, nocenti mihi mori satius esse duxisti? O immensam illam Sapientiam, quae non in ipso quidem vitae excessu oblivisci sui potuit!* Tanta fuit deinde Atheniensibus de morte Socratis poenitentia, ut paulo post omnia Gymnasia facerent claudere, illius accusatores Melitum morte, Anytum exilio punirent, ipsique Statuam æream Lysippi Opus dedicarent „. Non Cathedraticis tantum lectionibus Socrates vacavit, inquit Auctor Praefationis *ad Historiam Philosophicam* laudati Stanleji. Ubicumque esset, sermonibus & prodesse noverat, & delectare. Scholam ipsi Campus, Forum, Compita, amicorum Domus, ipse denique Carcer (molestissima licet illa mansio esset) praebebat, in qua virtutis, atque eruditionis praecepta traderet. Nemo erat, qui sapientiae ejus, sententiarum sublimium, & adamantinarum, orationisque facilitate & suavitate conspicuae non esset admirator; illaque principatum inter Philosophos ipsi vindicabant. Verae de uno Deo doctrinae tenax, fortissime Deorum pluralitatem impugnabat: unde inimicis ejus calumniae nata fuit occasio, quasi ἄθεος esset, Diisque infensus: quae causa etiam ipsis, mortis supplicio, ut diximus, eum afficiendi, extitit. Magnis, nec sine animorum quadam contentione agitatis, sive inter Paganos, sive inter Christianos controversiis materiam Daemon ejus praebuit, qui rebus ejus praeerat, & eorum, quae paulo post ipsi essent eventura, existeret index. Quod argumentum peculiari capite in Vita ejus tractavit idem Stanlejus. Neque tamen, omni illa virtutis suae, & sapientiae excellentia, Aristophanis malignam evitare potuit scurrilitatem, qui acerbissime eum in Drammate, quod *Nubes* inscripsit, perstringere sustinuit. Jonicae Sectae Philosophia, quae ante Socratem intra unius Scholae substiterat limites, ex eo inde tempore in varias Scholas, Sectasque divisa fuit; quarum nonnullae exiguae & famae, & durationis fuere. Major aliarum fuit celebritas, quae & aetatem tulere. In priori genere Cyrenaica, Megarica, Eleatica, & Eretria commemorandae: in altera Academica, & Cynica, quibus Peripatetica, & Stoica origines debent. Mosaicarum sen-

INDICULUS TAB.II.SEC.II.

tentiarum aura aliqua afflatum fuisse Socratem, sensisse videntur Aristobolus apud Eusebium *de Praep. Euang.* lib. 13., & Clemens Alexandrinus *Stromat.* 5. Ipse vero Socrates in Phaedro Platonis, Theuth Aegyptium plurimarum rerum inventorem praedicat. Theuth autem (ut diximus) est idem ac Moses. Plura habet de Socrate S. Justinus Martyr *in Cohortat. ad Graecos* pag. 32. §. 36, & *in Apol.* I. pag. 47. §. 5. ac pag. 55. §. 18. Item *in Apolog.* II. pag. 99. §. 10. Confer etiam Athenagoram *in Oratione contra Graecos* (inter Opera ejusdem S. Justini) pag. 329. §. 31.

114. Signum Socratis, ex marmore Capitolino. Cl. Bottarius Tom. I. pag. 13. Tab. XIV. & XV. *Musei Capitol.* hanc Protomen egregio Commentario illustravit. *Socrates* (inquit) *Philosophus quam pulcher animo, tam facie deformis fuit: quamobrem ipsemet suis uxoribus dicere solebat* (*ut refert S. Hieronymus* adversus Jovin. *circa finem*), *se haud dignum esse, ut sui causa inter se jurgarentur. Plato* in Teet., *& Xenophon* in Conviv. pag. 883. edit. Paris. 1625., *eum Sileno similem fuisse ajunt; idque confirmat Synesius in laudibus calvitiei. Cassiodorus autem* in Psal. 72 *eum appellat* calvum, ventrosum, simum; *quod etiam ante ipsum dixerant Galenus, & Lucianus. Hic vero addere juvat, Aristophanem illius inimicum saepius in scenam induxisse comicos imagine Socratis personatos; quod fecit etiam Eupolis, ut eum ridiculum apud alios redderet: atque hinc originem habuisse credatur quamplurimae larvae, ejus faciem repraesentantes, a Chiffletio, Begero, & Ficoronio in lucem editae. Socratis Imago reperitur etiam in Basilidianorum Haereticorum gemmis. Porro Sidonius Apollinaris* lib. 9. Ep. 9. *narrans, quomodo in Gymnasiis dignosci solerent Philosophi, canitie tantummodo Socratem distinguit:* Socrates coma candente. *At Xenophon* in Conviv. pag. 891, *eum fuisse tradit oculis strabis, grandibus, emissitiis, & intumentibus; nasum habuisse naribus expansis, & simum &c. Quamplura Socratis capita, omnino inter se similia, videri possunt apud Causeum* Gemm. Ant. (*Tom. I. pag. 13. Edit. Romanae*) *num. 26, & in Museo Florentino Tom. 1. Tab. 41. quae quidem omnium concordia in hoc effingendo Philosopho, praeter rationes, & auctoritates allatas, de vera ejusdem Imagine certiores nos faciunt: quae facile haberi genuina potuit; quoniam Athenis diu stetit ipsius Simulacrum* (*ut refert Laertius Diogenes* lib. 2. sect. 43) *a Lysippo ex aere conflatum, non vero ex auro, ut in Tertulliani* Apologet. num. 14. legitur. *Lucianus in morte Peregrini meminit cujusdam picturae, quae Socratem in vinculis cum discipulis repraesentabat. Praeterea faciem Socratis possumus videre apud Gorlaeum, & Begerum, & maxime apud Chiffletium, qui de vultu Socratis multa, & luculenter, disseruit*". Confer etiam Stanlejum *in Hist. Philosoph.* Par. 3. cap. I. & seqq. pag. 110. &c., & Gronovium *in Thesauro Graecar. Antiq.* Vol. 2. fol. 66. ubi Socratis Signa, Hermasque praestantiores numerat, & illustrat.

115. Milesii Piscatores, qui Tripodem extrahunt Sapientiss. ex Oraculo deferendum, ex veteri Musivo Romae in Aventino e ruderibus effosso anno MDCCVIII. Extat nunc Veronae in Museo DD. Canonicorum. Stanlejus *Hist. Philosoph.* par. 1. cap. 5. pag. 6. & seq. agens de VII. Graeciae Sapientibus (sunt autem Pittacus, Thales, Bias, Solon, Cleobolus, Mison, & Chilon) scribit: *Horum fama*, teste Plutarcho in Vita Solonis pag. 80. B., *plurimum aucta fuit Tripode ab uno ad alterum misso, generose illis, & modeste sibi invicem concedentibus.* Cujus rei occasionem ita fere Diogenes Laertius l. 28. & Valerius Maximus IV. 1. exposuere: *Ionici adolescentes quidam a Piscatoribus Milesiis jactum retis emerunt: rete educto, aurea mensa Delphica magni ponderis extracta est: orta inde contentio, illis piscium se capturam vendidisse affirmantibus, his fortunam tractus se emisse dicentibus: res demum propter novitatem, & magnitudinem pecuniae, ad universum ejus Civitatis populum est delata. Delphos a Milesiis missum, responsumque a Deo est:*

De Tripode ex Phoebo quaeris, Milesia proles,
Huic Tripodem addico, cui sit Sapientia prima.

Tum Milesii communi consensu Thaleti dederunt: ille cessit Bianti, Bias Pittaco, is protinus alii, deincepsque per omnium Sapientum orbem. Ad ultimum ad Solonem pervenit, qui & titulum amplissimae sapientiae, & praemium ad ipsum Apollinem transtulit. Aliter tamen ista referuntur a Callimacho in Jambis apud Laertium l. c. sect. 28. *Bathyclem enim quemdam, Arcadem, phialam, ait, reliquisse, atque jussisse dari Sapientum primo, datamque Thaleti: quam ille Apollini Didymeo miserit*, cum ista, secundum

Cal-

Callimacum, inscriptione:

Plebem regenti me, Thales Nileo dat:
Clorum bis, hoc, qui jam assecutus est donum.

Pedestris autem oratio sic se habet. *Thales Examii filius, Milesius, Apollini Delphico Graecorum hoc praemium bis nactus dicat. Qui autem circumtuleras phialam, Bathyclis filius, Thirion vocabatur*: Alludunt ad hanc fabulam etiam sequentes Phoenicis Colophonii versus:

Thales suorum civium optimus longe,
Et pluribus mortalibus sui Secli
Praestantior, accepit auream pelvim.

Eudoxus autem Cnidius, Evantesque Milesius, ajunt, Croesi amicum quemdam aureum poculum a Rege accepisse, ut illud Sapientissimo Graecorum daret; ipsumque Thaleti dedisse, pervenisseque illud postremo ad Chilonem. Ei vero, cum a Pythio quaereret, quisnam esset se sapientior?, responsum, esse Mysonem: hunc Eudoxus pro Cleobulo, Plato, pro Periandro ponit. De ipso haec fuere Apollinis verba:

Oetaeum quemdam prognatum Chene Mysonem,
Te magis esse ajo rebus sublimibus aptum.

Missus autem (ut rogaret) fuerat Anacharsis. Daedacus Platonicus, & Clearchus phialam a Croeso ad Pittacum missam, atque ita in orbem circulatam ferunt. Andra vero in Tripode (qui liber videtur fuisse totus de hoc argumento agens, Clementi Alexandrino etiam allegatus, Olympiade L Thaletem, ceterosque VI. Sapientes floruisse probaturo), *Argivos ait virtutis praemium Sapientissimo Graecorum Tripodu constituisse, idque Aristodemo Spartano fuisse adjudicatum, qui idem concesserit Chiloni. Meminit Aristodemi Alcaeus quoque hoc modo:*

Nam dicunt quoque Aristodemum,
Non imbellia verba
Spartae haec explicuisse:
Pauper nemo probus, quantivis dives habetur.

Sunt qui dicunt, a Periandro ad Thrasybulum Milesiorum Tyrannum onustam navem missam fuisse. Ea vero cum circa Coum mare naufragium fecisset, inventum post a quibusdam Piscatoribus Tripodem. Phanodicus vero circa mare Atticum immissum, atque in urbem delatum scribit, & ex Decreto Publico Bianti missum. Alii a Vulcano fabrefactum tradunt, ac pro munere Pelopi a Deo datum, cum ille uxorem duceret: demum ad Menelaum pervenisse, raptumque cum Helena ab Alexandro, in Coum mare fuisse conjectum a Lacaena (Helena), *rixarum eum causam fore* (Oraculo eam in rem allegato) *adserente. Postea, cum quidam illic Lebedii retio jactum mercati essent, Tripoda quoque fuisse comprehensum: & cum exorto cum Piscatoribus jurgio Coum detulissent, nihilque proficerent, Miletum, quae erat Metropolis, appellavere. Missi a Milesiis Legati fuere; quibus spretis, bellum Cois Milesii intulerunt: plurimisque hinc inde cadentibus, Divino Oraculo responsum est, Sapientissimo dandum Tripoda. Atque in Thaletem utraeque partes consensere* (Cois lubenter homini privato jam concedentibus, quod acerbissimarum antea inter ipsos, Milesiosque controversiarum causa extiterat). *Eum vero Thales, postquam in orbem circumlatus, ad se rediisset, Didymaeo devovit Apollini. Cois responsum ab Apolline obtigerat:*

Non prius Ionii, Meropesque a Marte recedent,
Quam Tripodem auratum, pelagus quem misit in altum
Vulcanus, vos rursum ipsi mittatis in Aedes:
Mox hominis, cui sit sapientia noscere promta,
Quae sunt, quae fuerint, quae mox ventura trahantur.

Milesiis, ut supra jam diximus, responsum:

De Tripode ex Phoebo quaeris Milesia proles. *Et reliqua.*

Hucusque Laertius. Plutarchus vero in Vita *Solon. pag.* 80. sequentia addit: „Thalete Biantem se sapientiorem esse affirmante, ad illum pervenit, ab illo rursus ad alium missus est, tanquam sapientiorem. Inde ita per circulum eundo, rediit iterum ad Thaletem. Postremo Mileto Thebas translatus, & Apollini Ismenio est consecratus. Theophrastus auctor est, Prienem primum ad Biantem eum fuisse destinatum, deinde ad Thaletem, remittente eum Miletum Biante: Ita apud omnes circumlatum rediisse ad Biantem, ad extremum Delphos deportatum. Haec fama est a plerisque vulgata; nisi quod donum, pro mensa, alii phialam a Croeso missam, alii relictum ibi a Bathycle poculum prodant.

116. Pictura ex vetustissimo Dioscoridis Codice in Augustissima Bibliotheca Caesarea Vindobonensi servato, qui scriptus fuit ineunte sexto Saeculo jussu Julianae Augustae, Flavii Anicii Olibrii & Placidiae Augustae filiae, uxoris Ariobindi, cui in seditione con-

INDICULUS TAB.II.SEC.II.

contra Imperatorem Anaſtaſium Dicorum Imperium fuit oblatum. Haec mater extitit Flavii Anicii Olibrii Junioris Conſulis ſine Collega Anno Cbriſti 491. Codex iſte ornatus eſt picturis variis, & ipſius Julianae Auguſtae Imagine. De eo peramplam deſcriptionem fecit Petrus Lambecius *in Bibliotheca Caeſarea* lib.2.cap.6.p.519. Secundum vero ejuſdem Codicis folium, ut ipſe inquit, continet pictnram, quam nos heic exhibemus. Liber, aureum habet fundum, & ſeptem repraeſentat antiquos Philoſophos Medicos. Primo loco ſedet *Chiron*, quem Plinius *Hiſtoriae Naturalis* lib. 7. cap. 56. refert *herbariam, & medicamentariam artem inveniſſe*. Floruit is Saeculo ante Aeram Chriſtianam decimotertio; &, teſte Homero *Iliad.* Λ. Achillis fuit Praeceptor in Arte Chirurgiea. A dextro Chironis latere, ſedet *Machaon* (nomen adſcribitur in pictura ad ſingulos, a noſtro egregio Chalcographo tamen omiſſos), qui Aeſculapii filius, & Podalirii frater, Saeculo ante Aeram Chriſtianam duodecimo in bello Trojano occnbnit. Meminit ejus idem Homerus *Iliadum I.* Sub Machaone ſedet *Pamphilus*, non quidem ille Platonis diſcipulus, & Epicuri in Iuſula Samo Praeceptor, ſed alter Alexandrinus, profeſſione Grammaticus, de quo Galenus ſcribit in libri ſexti Prooemio. Sub Pamphilo ſedet *Xenocrates*, non Calcedonius ille, qui Platonis fuit diſcipulus, & Speuſippi in Schola ſucceſſor, ſed ille Patria Aphrodiſienſis, quem Galenus loco citato teſtatur, vixiſſe Avnrum ſuorum tempore. Natus eſt autem Galenus ſub Imperatore Hadriano. Trium reliquorum, qui ſedent ibidem a ſiniſtro Chironis latere, primus eſt *Sextius Niger*, quem Plinius lib. 1. tradit, Romanum fuiſſe, & lib. 32. cap. 3. diligentiſſimum Medicinae Auctorem nuncupat. Sub Sextio Nigro ſedet *Heraclides* Tarentinus, cujus meminit Dioſcorides in Prooemio lib. 1, eumque Cornelius Celſus docet, fuiſſe addictum Sectae Empiricae. Sub Heraclide Tarentino ſedet *Mantias* Erophili ſectator, & ejuſdem Heraclidis Praeceptor, de quo plura ſcribit idem Galenus in Prooemio lib. vi. Vide Petrum Lambecium loco citato, Bernardum Montfauconium *in Paleographia Graeca* pag.195, & Jacobum Gronovium *in Theſauro Graecar. Antiquit.* Tom.III. fol.L 111, qui omnes erudite hanc egregiam Dioſcoridiani Codicis picturam exhibent, ac illuſtrant.

117. Caput Solonis, ex gemma apud Fulvium Urſinum. Is patria Salaminus fuit, unus ex ſeptem Graeciae Sapientibus. Athenienſibus leges dedit poſt Codri mortem, & annum ordinavit, ac menſes: claruitque (ut ſcribit Gellius lib. 17. cap. 21.) Olympiade 47, vel, ut aliis placet 46. Croeſo in Cyliciam profecto, Urbem condidiſſe, atque ex ſuo nomine Solos appellaſſe, ſcribit in Solonis Vita Diogenes Laertius. Ad Solios tamen Cypri, non ad Solenſes Cyliciae ſpectare, ex ipſius Solonis ad Philocyprum Regem Elegis apparet, a Plutarcho in ejuſdem Vita recitatis. *In dubia* & ſuſpecta ad Pherecidem Epiſtola, Solonem itineris in Aegyptum ſocium habuiſſe ſe, ait Thales, & cum Sacerdotibus, & Aſtronomis Ægyptiis utrumque eſſe converſatum. Idem teſtatur Plato in Timaeo. Tradit Diodorus lib.1, Solonem multa de legibus Aegyptiorum (ut Lycurgum) in Legum ſuarum collectionem tranſtuliſſe. Cicero lib.2. *de Legibus* teſtatur, Solonem Aegyptiorum profuſionem in ſepeliendis cadaveribus apud Graecos compreſſiſſe: indeque Attico jure conſtitutum eſt, ne quis ſepulcrum operoſius faceret, quam quod decem homines efficerent triduo, ac ne id opere tectorio exornaretur. Cum alibi laudatus Diodorus Moſaicis Legibus uſos Aegyptios docuiſſet, inde fit, ut pleraque Athenienſium inſtituta Moſaicis fuerint conſimilia. Inter illuſtriora Solonis effata celebratur illud, quo Diis honorem, parentibus reverentiam exhiberi praecipiebat. Atque ea ſane a Decalogo petita erant, ut ſcribit Huetius Propoſit.4. pag.54. Plurima Solonis inſtituta, Valerii Publicolae opera & auctoritate Romanos admiſiſſe, perhibet Plutarchus *in Comparat. Solon. & Public.* Extat apud Sponium *in Itin. Athen.* nummus Solonis, cum Jove, & Diana Ephaeſia, cujus haec Epigraphes eſt: ΚΟΙΝΟΝ ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΙΤΩΝ. ΤΩΝ. ΕΝ ΙΩΝΙΑ. De gemma Fulvii Urſini, ex qua nos Solonis Imaginem exhibuimus, atque de aliis ejuſdem Sapientis Pratumis conſulatur Gronovius *in Theſauro Graecar. Antiq.* Vol.2. fol.31. Vide etiam Stanlejum in *Hiſt. Philoſoph.* Parte I. pag. 28, & ſeqq., Meurſium in *Solone* cap.3, & noſtros Libros *Hiſtoricum, & Antiquarium*. Quanta diſcendi cupiditate flagraverit Solon, colligitur ex Valerio Maximo lib.8. c.7. ſupremum illius vitae diem referente his verbis: *Quum, aſſidentibus amicis, & quadam de re ſermonem inter ſe conferentibus, fatis jam preſſum caput erigeret*,

geret, interrogatus, quapropter id fecisset, respondit; ut cum istud, quidquid est, de quo jam disputatis, percepero, moriar. Migrasset propterea ex hominibus inertia, si eo animo vitam ingrederentur, quo eam Solon egressus est. Illius, supra ceteros Graeciae Sapientes, meminit Ausonius *in Sapient.*

De more Graeco prodeo in scenam Solon,
Septem Sapientum fama cui palmam dedit.

Defuncto Solone, ei Statuam in Foro honoris causa Athenienses posuerunt. Aelianus *Var. Histor.* lib. 8. cap. 16. scribit: *statuerunt (Athenienses) ipsi (Soloni) Statuam ex aere in Foro.* Demosthenes *in Aristogitonem Orat.* 11. dicit: *Omnino indignum est, cum Soloni legum Auctori aeream in Foro Statuam decreveritis, ipsas vos leges adeo manifeste negligere, propter quas illi tam eximium honorem habuistis.* Libanius Declam. 29: *Theseus convenientes honores consecutus est, ut Theseum decebat. Solon in foro aereus stetit.* Pausanias *In Atticis* dicit: *Ante porticum vero (Pecilen) Statuae sunt ex aere positae Solonis, qui leges Atheniensibus scripsit: Et paullo longius Seleuci.* Quin & alteram illi Statuam Salaminii item in Foro dedicarunt, manu intra vestem condita; monumentum ejus gestus, quo cum Populo Atheniensi verba facere solebat. Indicat nobis istud Aeschines *Orat. in Timarcum,* ,, *Satis scio, vos omnes trajecisse Salaminem, & Solonis spectasse Statuam. Itaque ipsi testari potestis, Solonem in foro Salaminiorum positum esse, manu intra vestem condita; quod est vobis, Athenienses, monumentum ac simulacrum ejus habitus, quo sit usus, cum ad populum Atheniensem verba faceret.* Meminit ejusdem Statuæ etiam Dion Chrysostomus Orat. 37. sed in eo errat, quod, Solone adhuc vivo illam dedicatam fuisse dicat, cum ducentis demum annis post Remp. latis legibus constitutam posuisse Salaminios eam constet, praesertim ex Demosthene in Orat. *De falsa legatione*, quae habita fuit Olympiadis CIX. anno II, ut Anonymus Auctor docet *in descriptione sua Olympiadum ad eum annum.* Ab eo vero tempore, si retro computes ad Olympiadis XLVI. annum III, quo Remp. latis legibus Solon noster ordinavit, sunt anni CCLII. Jam, si his ducentis quinquaginta & duobus annis, quinquaginta illos dempseris, ante quos Solonis Statuam Salamine dedicatam ait Demosthenes; reliqui sunt post id tempus anni ducenti & duo. Quod si ita res se habet, erit Statua haec dedicata circa Olympiadis XCVII. annum I. Et haec ipsa est, ut existimo, de qua agit Diogenes Laertius, cujus Inscriptionem quoque refert in hunc modum: *Statuae vero ejus hoc inscriptum est:* INDICULUS TAB. II. SEC. II.

Quae dudum insanas Medorum propulit iras,
Legiferum Salamis pulchra Solona tulit.

Diogenes Laertius dicit: *Floruit (Solon) quidem maxime circa Olympiadem quadragesimam sextam, cujus tertio anno Archon fuit, uti auctor est Sosicrates, quo tempore etiam leges tulit.* Quo quidem tempore regnabat in Judaea Sedecias, qui Regnum orsus est ab Olympiadis XLIV. anno III. id est octennio ante conditas ab eo leges. Hinc est illud Isidori in Chronico: *Sedecias regnat annos undecim. Per idem tempus Sappho mulier in Graecia diverso Poemate claruit: Solon leges Atheniensibus dedit.* Vide Meursium apud Gronovium Vol. V. p. 2001. & seqq.

118. Caput Carneadis, ex Museo Capitolino. Laertius lib. 4. segm. 64. eum incultum fuisse ait, multoque studio abstractum; qualem profectu hoc Signum exhibet. Cicero lib. 5. *de Finibus* hujus Philosophi Imaginem Athenis, inter alias Virorum Illustrium, collocatam fuisse scribit: *& si multa in omni parte Athenarum sunt in ipsis locis indicia summorum Virorum; tamen ego illa moveor exedra: modo enim fuit* CARNEADES, *quem videre videor: est enim nota Imago, a sedeque ipsa, tanta ingenii magnitudine orbata, desiderari illam vocem puto.* Ursinus *Imaginum Virorum Illustr.* Par. I. num. 14. narrat, Carneadis Signum ex marmore apud Card. Farnesium extitisse. Bellorius nescio an illud ipsum nobis exhibeat *Imag. Vir. Illust.* Par. 1. n. 2, quod item penes Card. Farnesium asserit fuisse asservatum. Celeberrimus iste Philosophus Epicomum vel Philocomum patrem habuit, ut Laertius lib. 4. cap. 62. testatur, utque nos docet Herma, quem exhibet memoratus Bellorius ΚΑΡΝΕΑΔΗΣ ΦΙΛΟΚΩΜΟΥ ΚΥΡΗΝΑΙΟΣ. Patria Cyrenaeus fuit, & a Stoico Diogene Dialecticam didicit. Egesini Academici discipulus, eidem in Schola successit, quem ab Arcesila quartum Cicero numerat mediae Auctore Academiae: novam vero ipse Carneades instituit. Qua occasione Romanam Legationem susceperit, narrat Usserius *in Annalibus* ad annum Mundi 3849. ante Aeram Christi 155. pag. 351, scribens: *P. Scipione & M. Marcello Consulibus, Athenienses ad Senatum Populumque Romanum tres illius aetatis nobilissimos Philoso-*

INDICULUS Tab.II.Sec.II.

phos Legatos miserunt, Carneadem Academicum Patria Cyrenaeum, Diogenem Stoicum natione Babylonium, & Critolaum Peripateticum; ut mulctam 500. talentorum, propter Oropi vastationem, judicio Sicyoniorum, sed auctoritate Senatus, eis impositam, remitti impetrarent. Et in Senatum quidem introducti, interprete usi sunt Caecilio (vel C. Acilio potius) Senatore: sed ante ipsi seorsum, quoque, quisque ostentandi gratia, magno conventu hominum disseruerunt. Tum admirationi fuisse, ajunt Rutilius & Polybius, Philosophorum trium sui cujusque generis facundiam. Violenta enim & rapida Carneades dicebat, scita & teretia Critolaus, modesta Diogenes & sobria. Addit Clitomachus in Historia sua Graece scripta, cum Carneades (cujus ipse Clitomachus auditor fuit) & Stoicus Diogenes ad Senatum in Capitolio starent, A. Albinum, qui tum Praetor erat, jocantem dixisse: Ego tibi Carneades, Praetor esse non videor, quia Sapiens non sum, nec haec urbs, nec in ea civitas: *atque illum respondisse*, huic Stoico non videris. *Audito vero Carneade, Cato Censorius quamprimum Legatos censuit dimittendos: quoniam illo viro argumentante, quid veri esset, haud facile discerni posset*. Obiit Carneades nonagenarius, teste Cicerone *Academ. Quaest.* lib. 2. circa initium, & Valerio Maximo lib. 8. cap. 7; vel saltem annorum LXXXV. si fides habenda sit Chronico Apollodori apud Laertium lib. 4. segm. 65. De hujus Philosophi Imaginibus vide Gronovium *Graec. Antiq.* Volum. III. fol. V.

119. Caput Theophrastis, ex marmore Musei Capitolini. Natus est Eressi, quae maritima Lesbi Urbs fuit in colle posita, ut testantur Plutarchus *de Exil.* pag. 605, & Laertius lib. v. cap. 36. Patrem Melantam habuit, Apollodoro auctore. Alii, ut Suidas refert, eum Leonte genitum prodiderunt. Primo Tyrtamus vocabatur. Aristoteles, cujus auditor fuit, ob eloquentiae divinam suavitatem, Euphrastum, deinde Theophrastum appellavit. Praeterea eum tanti fecit, ut, cum praestantissimorum discipulorum copia judicium morari potuisset, hunc tamen reliquis omnibus anteponere non dubitarit. Elegans hujus rei narratio est apud Gellium lib. XIII. cap. V. Hermippus scribit, eum ad horam condictam in Peripaton scholam suam ire solitum corporis nitido & exacto cultu, illicque sedentem, cum verba faceret, orationem sic instituere, ut nullum gestum praetermitteret, nullam figuram corporis argumento convenientem. Atque hinc tanta discipulorum multitudo, qui ad duo millia sectabantur. Tamen urbem deserere coactus est cum ceteris Philosophis, perlato Sophoclis decreto; quod haud multo post Athenienses, agente Philone, abrogarunt, & Scholae Theophrastum restituerunt. Vixit annos LXXXV; & tamen de brevitate vitae questus est: Cicero lib. III. *de Finibus*: „ *Theophrastus autem moriens accusasse naturam dicitur, quod cervis, & cornicibus vitam diuturnam, quorum id nihil interesset; hominibus, quorum id maxime interfuisset, tam exiguam vitam dedisset: quorum si aetas esse potuisset longinquior, futurum fuisset, ut omnibus perfectis artibus, omni doctrina hominum vita erudiretur*. Plurima ingenii sui monumenta reliquit, ut scribit Petrus Castellanus *in Vitis Veterum ac Illustrium Medicorum* apud Gronov. Vol. X. pag. 879. Confer Stanlejum *Hist. Philos.* Par. V. pag. 491. & seqq. Floruit anno ante Aeram Christi Vulgarem 182. Cl. Bottarius Tom. I. Musei Capitolini Tab. XXIV. pag. 19. illustrans Theophrastis Protomen, quam nos heic exhibemus, ait: „ Faber *Comment. in Imag. Illustr.* num. 143, & Bellorius *Imag. Vir. Illustr.* Part. I. num. 38. referunt marmor, quod etiam paucis ab hinc annis erat penes Marchionem de Maximis, in quo scriptum, ΘΕΟΦΡΑϹΤΟϹ ΜΕΛΑΝΤΑ ΕΡΕϹΙΟϹ. At valde differt Imago hujus Philosophi, quae est apud Fabrum, ab ea, quae videtur in collectionibus Fulvii Ursini n. 59. Part. II, atque Bellorii, qui suis typis magis similitudinem marmoris sunt assequuti: atque ego nescio, cur Gallaeus, qui eam Fabro ante incidit, ab illa recesserit; licet memoratus *Faber Com. in Imag. Illustr. Vir.* num. 143. affirmet, eum id egisse, ut imitaretur imaginem, quae erat penes Achillem Statium „. Plura vide de Theophrastis imaginibus apud Gronovium *in Thesauro Graec. Antiquit.* Vol. 2. fol. 92, ac Vol. X. pag. 333. 347. 370. & 879.

120. Caput Epicuri, ex marmore, jussu BENEDICTI PAPAE XIV. antiquarum rerum Mecoenatis Sapientissimi, in Museum Capitolinum translato. Erutum fuit hoc Signum egregium anno 1742. dum nova porticus Basilicae Liberianae S. Mariae Majoris, quae dicitur ad Praesepe, extrueretur. Est Herma biceps: una facies Epicurum, altera Metrodorum ejus discipulum exhibet, qui ei carissimus erat, cujusque filios in Testamen-

mento Epicurus suis haeredibus maxime commendavit. Vide Cl. Bottarium Tom. I. Musei Capitolini Tab. XI. pag. 12. Epicurus filius Neoclis, Sami natus, vel educatus est, teste Cic. lib. I. *de Nat. Deor.* Anno aetatis suae 32, Scholas Mytilenis, & Lampsaci per quinquennium habuit, ut scribit Diogenes Laertius in ejus Vita. Floruit anno 301. ante Aeram Christi Vulgarem. Nonnulli authumant, multa de eo falso asserta a quodam Diotimo Philosopho, Stoica Secta, & vitae instituto eidem adverso. Inter alia, quod male senserit *de voluptate*, eamque laudaverit mobilem & sensibus percipiendam. Hujus rei testis est S. Gregorius Nazianzenus, qui Athenis educatus, & Atheniensium Sectarum plene conscius, in suis Jambicis diserte scribit, Epicurum posuisse summum bonum in voluptate stabili, quae in animo potissimum sita est. Valde tamen Philosophiae ejus nocuit abusus quorumdam ex Sectatoribus ejus: unde factum est, ut tanquam omnium vitiorum scaturiginem, omnisque in moribus corruptelae fontem, eum haud pauci jure fastidirent. Stanlejus putat, tum minus firmam corporis, qua usus est, valetudinem, tum summam ejus sobrietatem, affatim argumentorum ad diluendas, quae sparsae contra Epicurum fuere, calumnias suppeditare. Sed neque Arae, memoriae ipsius post fata dicatae, hominem eum fuisse credere patiuntur, itaut inimici ejus volunt, voluptatibus addictum. Cetera notum omnibus, principia rerum atomos, & vacuum eum statuisse: Mundum vero, contra quam Aristoteli, atque aliis est visum, aeternum credidisse. Immo plura novitatis suae argumenta ipsum praeseferre affirmavit. Porro artium, & scientiarum incrementa, argumentum suppeditant omni exceptione majus exiguae ejus aetatis. Doctrinam Epicuri de Universo, Providentia, & rerum principiis elegantissimo carmine Lucretius explicavit; vitamque ejus Petrus Gassendus, Philosophiae Epicureae instaurator, delineavit, ut legitur in Praef. *ad Hist. Philosophic.* Stanleji. S. Justinus tamen *in Cohortat. ad Graecos* pag. 9. §. 4. de Epicuro scribit: *Epicurus Atheniensis, filius Neoclis, rerum principia esse statuit corpora, quae ratione percipiuntur, vacui expertia, & ingenita, quaeque nec corrumpi, nec frangi possunt, nec ex partibus conformari, aut immutari, ac propterea ratione percipiuntur.* Absurdam quoque Epicuri, aliorumque de Deo, & Mundo sententiam S. Theophilus lib. II. *ad Autolycum* (inter Opera ejusdem S. Justini p. 372. §. 4.) egregie confutavit, scribens: *Quidam ex Porticu Deum omnino negant esse; aut, si quis sit, nullius curam gerere, praeter quam sui. Atque haec quidem omnino Epicuri, & Chrysippi stultitia pronuntiavit. Alii omnia fortuito fieri asserunt, ac Mundum ingenitam esse, & aeternam naturam: ac omnino nullam Dei esse providentiam dicere ausi sunt; sed Deum tantummodo esse volunt uniuscujusque conscientiam.* Mox, ut ostendat Epicuri doctrinam omnibus flagitiis amicam, lib. III. p. 410. §. 6. subdit, *Epicurus, praeterquamquod Deum non esse docet, auctor est, ut cum matribus, & sororibus consuetudo stupri habeatur, ac ejusmodi facinora patrentur, quaecumque reliquis legibus Romanorum, & Graecorum prohibentur. Cur igitur Epicurus, & Stoici incestos cum sororibus & masculis concubitus docentique doctrina Bibliothecas impleverant, ut a teneris infanda flagitia edificerentur. Sed quid attinet pluribus circa eos immorari, cum de iis etiam, quos appellant, diis similia praedicaverint?* Hortus in Urbe privati hominis ante Epicurum nullus fuit, ut animadvertit Jo. Meursius lib. III. *de Athenis Atticis* c. X. Ipsos ille primus introduxit. Plinius lib. 19. cap. 4. *Jam quidam hortorum nomine in ipsa Urbe delicias, agros, villasque possident. Primus hoc instituit Athenis Epicurus, otii magister. Usque ad eum, moris non fuerat in oppidis habitari rura.* Et emit ille quidem minis octoginta, atque in eo est philosophatus. Diogenes Laertius in ejus Vita lib. X. cap. X: *Undique ad eum conveniebant, & vivebant cum ipso in horto, ut ait Apollodorus; qui & addit, minis octoginta emisse.* Ac moriens hortum legavit Hermacho; ut ex Testamento ejus apparet, quod Diogenes postea memorat. Meminit ejus etiam Apollonius Tyaneus in Epistola quadam ad Euphratem: *Ex Epicuri sermonibus ille, qui de voluptate est, non amplius opus habet patrocinio ullius ex horto, aut ea disciplina ejus: eam verissimus etiam iis, qui in porticu, habitus fuit.* Juvenalis Sat. XIII. vers. 122. 123.

nec Epicurum
Suscipit, exigui laetum plantaribus horti.

Et Sat. XIV. vers. 319.

Quantum, Epicure, tibi parvis suffecit in hortis.

Propertius quoque l. III. Eleg. XX. v. 25. 26.

Illic vel studiis animum emendare Platonis,

Inci-

INDICULUS TAB.II.SEC.II.

Incipiam; aut hortis, docte Epicure, tuis. Et Cicero, *de Nat. Deorum lib. 1. Cur tantum Epicuri hortus habuerit licentiae.* Et heic videntur sepulcra sua habuisse, qui de Secta ejus essent. Ecce enim apud Heliodorum Aethiopic. lib. 1: *Haec vero, hortum nosti, inquit, in quo monumentum est Epicureorum.*

121. Caput Archytae Tarentini Philosophi Pythagorici, ex Nummo apud Fulvium Ursinum, de quo consulantur Gallaeus, & Bellorius. Hujus Philosophi effigiem exhibent etiam Leon. Augustinus ex corniola, & Faber ex alio Nummo, in cujus antica legitur Archytae nomen, & in postica visitur piscis. De Archytae imaginibus qui plura scire cupit, adeat Gronovium *Graecarum Antiquitatum* Volumine II. folio 49; conferatque Andreae Schmidii Dissertationem *de Archyta*. Hic, ut Stanlejus scribit *Historiae Philosophicae* Part. VIII. pag. 820, Muesagorae, sive, ut Aristoxenus ait, Hestiaei filius fuit; Platonemque, cum a Dionysio necandus esset, per Epistolam eripuit. Admirationi apud plurimos habitus in omni virtutis genere, septies Tarentinis civibus praefectus est; cum ceteri plusquam annum imperare lege prohiberentur. Plato vero binas ad hunc rescripsit Epistolas. Aristoxenus refert, eum exercitui praefectum, nunquam victum esse. Semel invidiae cessurus, imperio se abdicavit: quo facto, statim in hostium potestatem exercitus concessit. Naufragio periisse, ex Horatio colligitur, qui lib. 1. Ode 28. nautam inducit, ea de re ita cum eo expostulantem:

Te maris, & terrae, numeroque carentis arenae
Mensorem cohibent, Archyta,
Pulveris exigui prope littus parva marinum
Munera: nec quicquam tibi prodest
Aerias tentasse domos, animoque rotundum
Percurrisse polum, morituro.

Primus hic Mechanica, mechanicis principiis usus, forma artis concepta, tradidit, cochleasque fecit, & trochleas. Dicere solebat, teste Cicerone *de Amicit.* cap. 23, si quis in Caelum ascendisset, naturamque Mundi, & pulcritudinem syderum perspexisset, insuavem illam admirationem ei fore; quae jucundissima fuisset, si aliquem, cui narraret, habuisset. *Orationem ejus de voluptate* Cato refert apud Ciceronem *de Senect.* cap. 12, quae ita fere se habet: Nullam capitaliorem pestem, quam corporis voluptatem, hominibus dicebat a natura datam; cujus voluptatis avidae libidines, temere, & effrenate ad potiundum incitarentur. Hinc Patriae proditiones, hinc rerum publicarum eversiones, hinc cum hostibus clandestina colloquia nasci: nullum denique scelus, nullum malum facinus esse, ad quod suscipiendum non libido voluptatis impelleret: stupra vero, & adulteria, & omne tale flagitium, nullis aliis illecebris excitari, nisi voluptatis. Cumque homini, sive natura, sive quis Deus nihil mente praestabilius dedisset, huic divino muneri, ac dono nihil esse tam inimicum, quam voluptatem. Nec enim, libidine dominante, temperantiae locum esse; neque omnino in voluptatis regno virtutem posse consistere.

122. Caput Euclidis Megarensis Philosophi Socratici, ex Nummo æreo in Thesauro Christinae Reginae Aug. cum epigraphe ΡΕΩ. ΜΕΓΑ... quae Patriam ejus innuit. Vide Bellorium, & Menagium. Euclides, teste Stanlejo *Hist. Philos.* Part. III. pag. 263. & seqq., Megaricae Sectae auctor, Megaris urbe ad Isthmum posita, ortus est, referente Laertio II. 106. Parmenidis librorum valde studiosus initio fuit, postea Athenas, Socratis audiendi causa, adivit. Paulo ante Athenienses decreto caverant, qui Megaris civis esset, si intulisse Athenas pedem deprehensus esset, ut ea res ei homini esset capitalis: tanto Athenienses Megarensium odio flagrabant. Tum Euclides, qui indidem Megaris erat, quippe ante id decretum, & esse Athenis, & audire Socratem consueverat, postquam id decretum sanxerunt, sub noctem, quum advesperasceret, tunica longa muliebri indutus, & pallio versicolore amictus, & caput rica (quam velamen muliebre interpretatur Varro) velatus, e domo sua Megaris Athenas ad Socratem comeabat; ut vel noctis aliquo tempore, sermonum, consiliorumque ejus particeps fieret. Rursumque sub lucem millia passuum paulo amplius viginti eadem veste illa tectus redibat. Mortuo Socrate, Plato, cum ceteris Philosophis, tyrannorum metu ad ipsum Megara se contulerunt, hospitioque ab eo humanissime excepti fuere. Litigiosis autem disputationibus cumprimis fuit addictus; proptereaque Socratis reprehensionem incurrit, qui eum cum Sophistis contendere posse, non cum hominibus disputare ajebat. Atque eidē ingenio suo indulgens, *Sectam* instituit, quae *Megarica* prius a loco natali, inde *Eristica* ab in-

ab indole contentiosa diceretur. Unde & Diogenes non *Scholam*, sed *merum fel* eam esse ajebat. Eoque spectat etiam ista Timonis reprehensio:

Hos ego nugarum nolim curare patronos,
Seu Phoedona mihi narres, seu libitus aptum
Euclidem, Megaras rabidis qui litibus implet.

Postremo Dialectica est vocata; idque primum Dionysius Carthaginiensis ei nomen dedit, quod interrogationibus, & responsionibus eorum discursum absolvi videret. Unicum esse bonum affirmabat, cujus diversa tantum sint nomina, *Prudentiae* scilicet, *Dei*, *Mentis*, *& cetera*. Adversa *Bono* omnia tollebat; nihil tale in rerum natura dicens existere. Vide Laertium lib. II. & VI. Celeberrimum tamen in Scholis Euclidem fuisse, Plutarchus ait *de Amor. Frat.* p. 489. Interrogatus a nonnemine, quales nam sint Dii, & quibus rebus maxime delectentur?, *cetera quidem se ignorare* respondit; *at curiosos illis odio esse, certo scire.* Euclidis scripta recensent Laertius II. 106, & Suidas Εὐκλ.

123. Signum Speusippi Platonis in Academia Successoris, ex marmore Fulvii Ursini, in cujus pectore legitur, ΣΠΕΥΣΙΠΠΟΣ ΕΥΡΥΜΕΔΟΝΤΟΣ ΑΘΗΝΑΙΟΣ. Atheniensis enim fuit, ex pago Myrrhinusio Pandioniae Tribus; Patremque Eurymedontem habuit, & Matrem Platonis sororem, cui nomen Potones. Domesticis Platonis Avunculi sui instructus est documentis; quem etiam quasi Philosophiae haeredem reliquit. Dionis, quamdiu Athenis viait, summa familiaritate est usus. Platoni iu postremo ejus in Siciliam itinere, quod importunis Dionysii precibus victus susceperat, comes fuit. Primus, in Mathemathicis disciplinis quid esset commune, investigavit; easque sibi invicem junxit; quod & in ceteris scientiis jam ante eum Plato praestiterat. Primus item, quae ab Isocrate dicebantur, arcana edidit. Gratiarum Signa in Schola, quam Plato extruxerat, collocavit. Discipulas Lastheniam, & Axiotheam, perinde ac Plato, habuit. Octo annis Scholae praefuit. Tandem paralysi solutus, ad Xenocratem misit, quem ut ejusdem Scholae onus susciperet, exoravit. Ferunt, hunc senio confectum, sibi mortem conscivisse moerore impulsum. Plutarchus vero scribit, illum pediculis infervescentibus interiisse. Multa de rebus Philosophicis scripsit, sive Commentaria, sive Dialogos, qui a Diogene commemorantur. Ejus libros Aristotelem tribus talentis emisse, Phavorinus in secundo libro Commentariorum est anctor. Vide Stanlejum *Historiae Philosophicae* Par. 4. cap. 1. in ejus Vita pag. 380, & Gronovium *Thes. Graec. Antiquit.* Vol. x. pag. 330. 347. 397. & 876. Floruit ante Aeram Chr. Vulg. an. 346.

124. Caput Zenonis Stoicae Sectae Auctoris, ex Protome in Aedibus Farnesianis. Testatur Athenaeus, ei Simulacrum aeneum positum fuisse. Idem narrat Laertius lib. VI. cap. VI. Plato *Parmen.* pagina 1110. procerae staturae ipsum fuisse ait. Collo erat obtorto, ut scribit Timotheus Atheniensis, statura pusillus, & gracilis, teste Apollonio Tyrio. Plura habentur apud Gronovium de Zenonis Hermis, & gemmis *in Thes. Graec. Antiq.* Vol. 2. fol. 64. & Vol. x. pag. 320. 347. ac 359. Stoicorum superbiam compresserunt Lactantius, & S. Augustinus, per Fidei Christianae dogmata manuducentes corruptam naturam hominis ad finem bonorum, eundemque Summum Bonum, a quo peccando desciverat. Zenonis errores fuso calamo refelluntur in nostro *Libro Critico*. Tatianus Assyrius *in Orat. adversus Graecos* cap. 3. inter Opera S. Justini pag. 259. nullum quidem librum Zenonis de conflagratione, aut de Universo citat; sed tamen, quod ex illius sententia consequatur, id confutat, scribens: *Neque enim audiendus Zeno, qui per conflagrationem pronunciat eosdem rursus homines ad eadem resurgere, idest Anytum & Melitum ad accusandum, Busirim ad hospites necandos, Herculem ad repetendos certaminum labores &c. Deus quoque malorum, secundum illum, auctor esse depraehenditur, & in cloacis & vermibus, & nefanda patrantibus versari.* Consumpsit diuturnitas temporis Zenonis, Chrysippi, & Diogenis Babylonii libros, quibus fabularem Historiam a nugis disjunctam traduxerunt ad Physiologiam, & ad suas de Diis opiniones. Daniel Classenius lib. 1. *Theologiae Gentilis* cap. XVI apud Gronovium Vol. VII. pag. 82 affert hanc *de conditione animarum apud Inferos* Zenonis sententiam ex Lactantio lib. 7. cap. 7. *Divin Instit.* „ *Esse Inferos, Zeno Stoicus docuit, & sedes piorum ab impiis esse discretas: & illos quidem quietas ac delectabiles incolere regiones; hos vero luere poenas in tenebrosis locis, atque in coeni voraginibus horrendis* „. Floruit Zeno ante Aeram Chr. an. 478.

INDICULUS TAB.II.SAEC.II.

an. 478. Stoica Secta auctorem Zenonem habuit. Magni ex ejus Schola viri prodierunt, plurimosque ipsa dogmatibus altum & sublime spirantibus delinivit. Eo enim tendit, ut homines contra corporis mala obfirmet, eosque contra fortunae insultus armis induat. Unicum Deum Zeno agnoscebat; cujus diversas virtutes, & operationes, diversa nomina exprimerent: Summam hominis felicitatem in virtute collocabat; quae unica homini ad vitam immortalem, solidamque & duraturam voluptatem sit via. Absolutum vero, quod homini in corpus pariter atque animum suum tribuebat imperium, pestilentissimam doctrinam peperit; quod cuivis, ut libitum fuerit, animam liceat abjicere. Est nihilominus in hac Philosophia aliquid magnificum, & sublime, quod possit praestringere oculos eorum, qui externum tantum virtutum Paganarum spectant splendorem. Summa quoque gravitate Zeno sapientem suum, ad mortem contemnendam, & aequo animo omnem fortunam in hac vita ferendam, instruxit. Post Zenonem Cleanthes, Chrysippus, Panaetius, & reliqui in eadem Schola excelluerunt. Vide Stanlejum *in Hist. Philosoph.* Par. x. pag. 881. & seqq.

115. Caput Democriti hominum derisoris, ex gemma onyce apud Leonardum Augustinum. Hic Eleaticae Sectae Princeps fuit, floruitque anno 423. ante Aeram Chr. Vulgarem. Abdera Thraciae oppidum ei ortum dedit. Patre locupletissimo (Hegesistrato, vel Athenocrito, seu, ut alii volunt, Damasippo) natus est; ut qui universis Xerxis copiis epulum dederit. Plurimas Orbis Terrae Provincias adipiscendae sapientiae causa peragravit. A Magis, atque Chaldaeis prima literarum rudimenta, atque Theologiam accepit, teste Laertio IX. 34. Sic visum est & Platoni, quem itidem, ut Democritus, ad illam comparandam in easdem Chaldaeorum Regiones *navigasse, exitiis vero, quam peregrinationibus susceptis*, docet Plinius. De institutione, itineribus, & vita Democriti Abderae transacta; de ejus secessu, & cum Hipocrate conversatione; denique de Scriptis ejus, vide Thomam Stanlejum *in Historia Philosophica* Par. x. cap. 1. & seqq. ex quibus ego pauca heic delibabo. Demetrio, & Antisthene testibus, in Aegyptum ad Sacerdotes Democritus profectus est Geometriae discendae causa; in Persiam item ad Chaldaeos, atque ad Mare Rubrum. Sunt, qui cum Gymnosophistis in India dicant eum versatum, & in Aethiopiam profectum esse; variamque illarum Gentium sapientiam didicisse. Cum Aegyptiis, ut ipse affirmat, annis vixit 80. Praeterea de se dicit, (ut legitur apud Clementem Alexandrinum *Stromat.* 1. *pag.* 304. A), *Inter omnes meae aetatis homines plurimas peragravi terras, maximeque remota investigavi, plurimasque sive aeris, sive terrae observavi varietates; doctissimos vero homines audivi, neque in componendis ad demonstrandum lineis quisquam adhuc me superavit, ne inter ipsos quidem Aegyptios illi, qui* ARPEDONAPTAE *audiunt*. Ex itinere reduci tenues ei facultates fuisse, Laertius lib. IX. sect. 39. testatur; quoniam omne patrimonium suum prodegerat. Praedixit nonnulla, quibus cum forte respondisset eventus, ab eo tempore tanquam Deum quemdam in honore eum plerique habuerunt. Praeterea cum lex esset, ut sepultura in Patria negaretur ei, qui sua omnia consumsisset; Democritus, id intelligens, ut ne invidorum quorumdam, & sycophantarum pateret calumniis, Antisthene teste, *Diacosmum suum magnum* Populo praelegit (erat autem illud Scriptorum ejus excellentissimum). Eam ob rem D. talentorum munus promeruit, Statuamque praeterea ex aere, ut scribit Laertius. Praedictionum ejus duo exempla suppeditat Plinius *Histor. Nat.* lib. XVIII. cap. 28: quibus, & aliis ejus generis praedictionibus tantam apud plerosque auctoritatem est consequutus, ut ab eo tempore Divinis eum prosecuti honoribus fuerint. Dicit Clemens Alexandrinus *Strom.* VI. pag. 631, *Sapientiam* inde eum appellatum esse: Aelianus *Philosophiam* dictum, ait, ut olim λόγον Protagoras vocabatur. Immo ejus sapientia tantam ipsi auctoritatem conciliavit, ut rerum summam Abderitae ei committerent. Sua sponte Democritus luminibus oculorum se privavit; ut serius meditationibus, & contemplandis naturae rationibus incumberet, sicut refert Agellius in monimentis Historiae Graecae XVI. 7. Id quoque adducitur a Plutarcho, Cicerone, & aliis: *Democritus* (inquit Cicero Tuscul V. 39.) *luminibus amissis, alba scilicet, & atra discernere non poterat: at vero bona, mala, aequa, iniqua, honesta, turpia, magna, parva, poterat: & sine varietate colorum licebat vivere beate; sine notione rerum non licebat. Atque hic vir impediri animi etiam aciem adspectu oculorum arbitrabatur.* Aliam praeterea causam allegat Tertullianus Apolog.

log. cap. 46: quod mulieres sine concupiscentia adspicere non posset. Democritus ad senectutem pervenit ultimam, ut refert Cicero *lib. de Senect. cap.* 7. Laertius IX. *sect.* 39 centum annos superasse ait: distincte magis 104 annum eum attigisse, Phlegon *de Longaev. cap.* 2. dicit: at Lucianus *de Longaev. pag.* 640, ac Censorinus *de die Nat. ad* 108, Hipparchus vero apud Laertium IX. *sect.* 43. *ad* 109. pervenisse ajunt. *Democritus, animum ignem esse docuit*, referente Hermia Philosopho *in Irrisione Gentilium Philosophorum* apud S. Justinum pag. 430. §. 1. Item, *initia esse id quod sit, & id quod non sit; ac id quod sit, esse vacuum*, ut refert idem Hermias loc. cit. pag. 433. §. 6.

126. Caput Heracliti Philosophi Ephesii ex Museo Capitolino. Hic circa Olympiadem 69 floruit Darii Hystaspis temporibus, & Sectae Heracliteorum nomen dedit. Maffejus *in Gem. Antiq.* Par. I. num. 55. post Augustinium, Gemmam excalptam refert, in cujus antica parte Heraclitus visitur, in altera vero Democritus. Sidonius Apollinaris lib. 9. Ep. 9. scribit, *Heraclitum fletu, oculis clausis; Democritum risu, labiis apertis* pingi solitum fuisse. Begerus de capite Heracliti ab eo in lucem edito *in Thesaura Brandeburgico* Vol. I. ait: *Caput ejus admirando Sculptoris artificio elaboratum non tam vultum refert, quam animum, acerbo miseriarum dolore subactissimum. En contracta in luctum supercilia; en abditos in lacrymas oculos: en marcentes doloribus genas. Quid barbam memorem, & prolixa & inculta laevitate venerabilem?* In marmore penes Magnum Etruriae Ducem legitur haec Inscriptio, ΗΡΑΚΛΙΤΟC ΒΛΥCΩΝΟC ΕΦΕCΙΟC. Hoc marmor Ursini tempore ruri apud Card. Mediceum prope Villam Juliam adservabatur. Lege Bottarium *Musei Capitolini* To. I. Tab. XIII. p. 13. De Heracliti Patria, Parentibus, Praeceptoribus, & itineribus; de ejus vita Ephesi acta; de secessu, morte, & doctrina ejus; denique de principio rerum naturalium ex mente Heracliti, vide Stanlejum *in Historia Philosophica* Par. 9. cap. 1. & seqq. Heraclitus ingenii felicitate eam possedit doctrinam, quam multa demum indagine atque labore alii sibi comparare solent. Animus ejus contemplationi addictus, & rerum humanarum contemptui, ut solitudinem praeferret, effecit. Humanae itaque valedicens societati, in montis cujusdam vertice solus egit, stultitiae, & vanitati hominum ibi deplurandae ut posset liberius vacare. Tatianus Assyrius in *Orat. contra Graec.* apud S. Justinum pag. 258. & 259. §. 3. de Heraclito dicit: „ Heraclitum minime probaverim, qui cum esset a se ipso doctus, & arrogans, dicebat: *Ego ipse me investigavi*. Nec laudaverim, quod carmen in Templo Dianae occultaverit, ut postea instar mysterii palam ederetur. Hujus tamen imperitiam mors redarguit. Aqua enim intercute correptus, cum medicinam eodem modo, ac Philosophiam pertractasset, seque stercoribus boum circumlevisset, fimo indurato, ac totum corpus convellente, dilaceratus interiit „.

127. Chilonis Lacedemonii unius ex septem Sapientibus dictum, *Nosce te ipsum*, Graecis characteribus expressum in veteri Musivo Romae in Aventino e ruderibus effosso anno 1708, quod extat nunc in Bibliotheca DD. Canonicorum S. Veronensis Ecclesiae, ex dono Francisci Blanchini Patrui mei. Inter moralia Chilonis praecepta a Demetrio Phaleraeo (ut refert *Stob. Serm.* 3.) istud Chilonis apophthegma recensetur, NOSCE TE IPSUM. Plinius quoque *Hist. Natur.* lib. 1. pag. 32. *de auctoritate* loquens, ait „ Mortales Oraculorum societatem dedere Chiloni Lacedemonio, tria praecepta ejus Delphis consecrando aureis literis, quae sunt haec: *Nosse se quemque: & nihil nimium rapere: comitemque alieni aeris atque litis esse miseriam* „. Chilo Olympiade LVI Ephori officium, Eutydemo apud Athenienses Archonte, gessit. Qualem se in eo Magistratu exhibuerit, ex ejus dictis colligere est, quibus, teste Laertio, fratri respondit, indignanti, quod Ephorus ipse non fieret, cum ille factus esset: *Ego* (inquit) *pati injurias scio, non tu*. Adeo vero in omnibus colebat justitiam, ut, cum jam senex esset, dixerit aliquando, *sibi se conscium haud esse, quod in tota vita praeter rationem egerit unquam: una tamen re se aliquantum moveri, quod, cum sententiam judex dixisset, ut lex voluerat, contra amicum; auctor ipsi fuerit provocandi a se, ut nempe hac ratione, & legem, & amicum servaret*. Mortuus est Chilon, juxta Hermippum Pisae, amplexus filium, qui ludis Olympiacis in caestuum certamine victor evaserat, senii imbecillitatem immodica laetitia opprimente. Omnes autem, qui ad celebritatem illam convenerant, Chiloni justa persolverunt, ut narrat Plinius *Hist. Natural.* VII. 32, & Laertius, qui istud in eum epigramma cuncinnavit:

Phosphore reddatur pollux tibi gratia, quod fert

Chi-

INDICULUS Tab.II.Sac.II.

Chilonis natus tempora cincta pugil.
Serta videns nati genitor si laetus obivit
Mortem, non mirum; mors mihi talis eat.

Ipsius autem Imagini inscriptum istud:

Hic Sapiens forti natus Lacedaemone Chilon
E numero septem maximus unus erat.

128. Pars Inscriptionis Anniae Regillae Herodis Attici Conjugis, de qua vide numerum 40 nostræ Tabulæ I. hujus II Sæculi. Extat apud Gruterum pag.27,&apud Montfauconium in *Palaeogr. Graec.* pag.135. ubi haec ait, *Inscriptionem* (quam nos ex parte tantum repraesentamus heic, & num. 136) *praeferunt Columnae nunc Farnesianae, Ionicis literis inscriptae, ab Herode Attico in Villa sua Triopia tertio ab Urbe lapide erectae. Erat enim Villa Triopia multis Inscriptionibus nobilitata, ex quibus non paucae supersunt; nempe insignis illa, quae hodie in Villa Burghesiana visitur, eruditis Claudii Salmasii exercitationibus illustrata, & a Jacobo Sponio in Miscellaneis denuo ensa. Altera Anniae Regillae Herodis Attici conjugis, quam nuper erutam exscripsi Romae, & in Diario Italico retuli, videtur posita fuisse post mortem Anniae Regillae.* Confer Heooinium *in Notis ad Bergerium* libro IV, apud Graevium Tomo X. pag.778.

129. Nummus Amyntae Regis Macedonum: in ejus antica posita num. 131 legitur, B.AMINTOY.M. Βασιλέως Ἀμύντου Μακεδόνων, *Regis Macedonum Amyntae*; in postica vero, quam heic exhibemus, Cancer insculptus cernitur sine epigraphe. Extat in Museo Viri Clarissimi D. Rigord, teste Cl. Montfauconio, qui in *Palaeographia Graeca* pag. 121 ejus ectypum ab Andr. Morello delineatum ope Caroli Caesaris Baudelotii nactus est. Hunc autem Amyntam (inquit ipse) putant Eruditi quidam Viri, non illum Philippi patrem, & Alexandri Magni avum; sed alium Amyotam esse hujus nominis Primum, qui in serie Regum Macedoniae nonus a Carano censetur; quia videlicet Amyntae II Nummi bene multi visuntur, in quibus a vulgari characterum genere nihil deflectitur: hic vero Nummus, cum insolenti modo inscriptus sit, ad vetustiorem Amyntam commodius refertur. Ut ut sit, quaedam heic literae singulari modo effictae observantur: N, illa forma Ʀ nusquam vidimus: O quadrum sic ☐ in vetustis marmoribus, perinde atque in hoc Numismate non semel habetur: Y sic exaratum Ч, nusquam alias ubservavimus: putarim ego, hanc peregrinitatem, quam in quarumdam literarum forma conspicimus, a Macedonibus ipsis importatam fuisse: quae Gens, ante Philippum & Alexandrum, non inter Literatas Graeciae computabatur; sed incultior obscuriorque erat. Vide etiam nostrum *Librum Antiquarium* cap. VII.

130. Sarcophagus Etruscus, ex *Musea Veronensi* Viri Clarissimi Marchionis Scipionis Maffeji pag. 3. Vide Monumenta Veterum Romanorum & Etruscorum a Petro Sancte Bartoli collecta & delineata, cum explicationibus Joannis Petri Bellorii apud Grouovium *in Thesauro Graecar. Antiquit.* Tom. XII. pag. 79, & Museum Etruscum Doctissimi Viri Antonii Francisci Gorii Florentini Praepositi Baptisterii S. Joannis in Fonte.

131. Postica pars Nummi Amyntae Regis Macedonum, de quo egimus supra num. 129. hujus Tabulae. Extat apud Montfauconium in *Palaeographia Graeca* pag. 122.

132. Inscriptio charactere Ionico veteri centum circiter ante Alexandrum annos, quatuorque cum dimidio ante Christum natum Saecula exarata Peloponnesiaci belli, & Cimonis, ac Themistoclis temporibus. Cl. Montfauconius in Palaeographia Greca pag. 135. ejus lemma, ac versum priorem, ut nos, edidit, ad normam characterum archetyporum. Postremam vero adeo insignis monumenti partem vulgavit Sponius *Miscellan.* pag.315, sed diminute, & admodum corrupte. Tabulae sunt marmoreae duae, quae nunc in Regiae Gallicanae Inscriptionum Academiae Museo simul cum aliis ejusdem generis reliquiis servantur. Tres fuerunt quidem, cum eas Athenis Sponius inspexit: sed earum unam, aut forte plures, malus aliquis genius abstulit, ac subripuit. In his lapideis Tabulis Athenienses, Reipublicae jussu, eorum, qui pro Patria in expeditionibus variis paulo ante occubuerant, nomina incisa sunt. Ut gloriae stimulis virtutem ex omnium animis elicerent, ita consueverunt Graeci benemerentium memoriae, eorumdemque perpetuis laudibus consulere. Nomina partite recensentur, & suis Tribubus reddita. In columna nominum prima, abrasae prorsus, & a multo quidem tempore, literae priores sunt. Has Tabulas, inter antiquissimas usquam gentium visas plane computandas, summa fide edidit illustravitque V. Cl. Scipio Maffejus *Galliarum Antiquit.* Epist.19. Nos pauca ex laudato Montfauconio delibabimus, ad illustran-

strandum fragmentum, quod heic exhibemus. Initium est Inscriptionis positae fortibus viris e Tribu Erechtheide in bello caesis statim post Cimonis Atheniensium Ducis mortem, atque Latino idiomate ita redditur, *Erechtheidis. Hi in bello mortui sunt in Cypro, in Aegypto, in Phoenice, in Haliensibus, in Aegina. Megarus eodem ipso anno. Dux Phanyllus, Aeryptus*. Tria postrema nomina (inquit pag. 134) initia sunt totidem columnarum, ubi longa serie inscribuntur defuncti: marmor siquidem est quinque pedum Regiorum longitudine; latitudine vero unius circiter, ac dimidii. Nec vel minimum de tempore, quo posita fuit Inscriptio, dubii relinquitur: siquidem Thucydides paulo post medium primi libri confertim haec omnia, nempe bellum in Cypro gestum, Cimone Duce, qui ibi morbo periit; expeditionem Atheniensium in Aegyptum, ut suppetias ferrent primum Inaro Libyae Regi, deinde autem Amyrtaeo; pugnam ad Halieas, ubi a Corinthiis superati sunt Athenienses; Naumachiam contra Aeginetas, qui victi sunt ab Atheniensibus; victoriam de Phoenicibus, & Cilicibus reportatam; haec, inquam, omnia Thucydides, qui tum inter Atheniensium Duces numerabatur, consequenter enarrat, optimus hujus Inscriptionis Interpres ". Et pag. 137. lib. 11. haec subdit, post relatam insignem Thucydidis narrationem (in qua bellum Cyprium, Aegyptium, Phoenicium, Haliense, Aeginense, ab Atheniensibus eodem pene tempore gesta, una serie recensentur), unde nobilissima Inscriptio asseritur, & illustratur: " Postrema verba, nempe Μέγαρος &c. hoc est *Megarus eodem ipso anno* dupliciter intelligi posse videntur: nimirum eodem ipso anno Erechtheidas heic recensitos periisse, & Megarum ipsis cippum erexisse: nonnullos sane vidi, qui sic ea verba explicanda censerent. Verum haec interpretatio cum serie non quadrat: vox Μέγαρος interjecta officit, quominus illud ἐν τῷ enim αὐτῷ ἐνιαυτῷ cum præcedentibus jungatur; sed necesse prorsus videtur sic distinguere: *Hi in bello mortui sunt in Cypro, in Aegypto, in Phoenice, in Altensibus, in Aegina. Megarus eodem ipso anno*, supple haud dubie, *posuit*; eodem scilicet ipso anno, quo mortuorum in variis, & procul dissitis regionibus nomina Athenas allata sunt. Nam alioquin haec bella non videntur ex serie Thucydidis eodem ipso anno contingere potuisse. Ii vero tantum in hac Inscriptione numerantur, qui ex Tribu Erechtheide erant, ut cum vox Ἐρεχθηΐδος in fronte posita, tum ipsa ratio suadet: nam in praeliis a Thucydide recensitis multa millia perierint necesse est; hic vero 260. vel circiter numerantur. Dux autem, qui in recensione aliis praefigitur, hoc nomine Στρατηγῶν, nempe Cimon Miltiadis filius, ex Tribu Laciade erat. Cur autem inter Erechtheidas primus ponatur, haud difficile est augurari. Is enim singulis Tribubus accenseri poterat, qui militibus omnibus (cujuscumque tandem Tribus essent) praerat. Utpote Dux igitur in recensione defunctorum Erechtheidarum agmen ducit. Megarus porro in titulo nominatus, ille est haud dubie, qui Inscriptionem posuit; &, ut verosimile est, ex Tribu ipsa Erechtheide erat, qui contribules suos pro Patria mortuos hoc cippo cohonestavit. Suspicantur quidam, heic non Erechtheidarum tantum, sed etiam aliorum Atheniensium, qui in recensitis bellis ceciderant, nomina adscripta fuisse. At vix credatur, tam paucos in tot bellis periisse; cum praesertim ii, qui in Agypto contra Regem Artaxersem bellum gesserant, internecione pene deleti fuerint.

133. Nummus Aesillae. Visitur in antica, quam heic exhibemus, caput Apollinis cum epigraphe, MAKEΔ, idest *Manibus*; in postica vero, clava nodosa, tripus &c. cum Inscriptione AESILLAS, hac literarum forma. Circa istam vero Aesillae Inscriptionem variae sunt sententiae: alii putant, Nummum ante rem Romanam cusum fuisse, vocemque Aesillas Graecam vetustissimis Graecis characteribus exprimi: nam literas L. & S. apud Veteres Graecos hac forma scriptas fuisse, ex vetustissimis marmoribus perspectum habetur: alii autem arbitrantur, vocem illam AESILLAS Latine scriptam esse. Cl. Montfauconius non audet ad utramvis partem accedere: tantummodo ad formas Graecas L. & S, Nummum Aesillae in exemplum affert in *Palaeograph. Graeca* p. 121. & 130, & quidem nullo periculo, cum aliunde exploratum sit, eas olim apud Graecos in usu fuisse.

134. Sarcophagus Etruscus ex *Museo Veronensi* Viri Clarissimi Marchionis Scipionis Maffeji p. 3. Rarissimam hanc Urnam, recondendis defuncti Etrusci cineribus dedicatam, illustrant ea, quæ scribit Franciscus Blanchinus Patruus meus in Opere inscripto *Istoria Universale*, p. 551. & 553. Exhibet ludum feralem, de quo consulendi Auctores relati a

 Cl. Fa-

INDICULUS TAB.II.SAEC.II.

Cl. Fabretto *Inscript.* cap.4. pag. 298. Veteres, eos Ludos vocant, in quibus humanus sanguis effundebatur pro animorum expiatione. Nec dubium est, Ludos dici de gladiatoribus proprie. *Ludorum* vero *origo* (inquit Tertullianus in lib. *de Spectaculis* cap.1) *sic traditur: Lydos ex Asia transvenas in Hetruria consedisse, ut Timaeus refert, duce Tyrrheno, qui fratri suo cesserat, Regni contentione. Igitur in Hetruria inter ceteros ritus superstitionum suarum, Spectacula quoque Religionis nomine instituunt. Inde Romani accersitos artifices mutuantur, tempus, enuntiationem, ut Ludi a Lydis vocarentur.* Petrus Morestellus *de Pompa Ferali* lib. 6. cap. XI apud Graevium Tom. XII. p. 1431. Obolo, inquit, incluso primis temporibus effundebatur sanguis vel captivorum, vel Gladiatorum. Dux, & auctor rei est laudatus Tertullianus, ut refert Lipsius lib. 1. *Sat.* c. 8. *Olim* (inquit) *quoniam animas Defunctorum humano sanguine propitiari creditum erat, captivos, vel magno ingenio servos, mercati, in exequiis immolabant.* Unde Virgilius lib. XI. *Aeneid.*

Vinxerat & post terga manus, quos mitteret umbris
Inferias, caeso sparsuros sanguine flammas.

Et lib. X.

Quatuor hic juvenes, totidem quos educat Ufens
Viventes rapit inferias, quos immolet umbris,
Captivoque rogi perfundat sanguine flammas.

Postea placuit impietatem voluptate adumbrare. Servius *in Virgil.* ad hoc, *viventes rapit inferias: Moris erat in sepulchris virorum fortium captivos necari, quod postquam crudele visum est, placuit Gladiatores ante sepulchra dimicare, qui a busti cineribus Bustuarii dicti.* Romae hoc spectaculum publice primo in Foro Boario anno Urbis 490. dederunt M. & D. Bruti, causa mortis patris, ut Valer. Maximus adnotavit: *Gladiatorum munus primum,* inquit, *Romae datum est in Foro Boario a P. Claudio & M. Fulvio Coss. Dederunt M. & D. Bruti, funebri memoria patris cineres honorando.* Et Epitome Liviana: *D. Junius Brutus munus Gladiatorum in defuncti patris memoriam edidit primus.* Dati ergo Gladiatores, sed tantum in Illustrium Virorum funere primis temporibus. Verum paulatim, ut solet, res increbuit; & a tenui canali in mare quoddam excrevit. Dare enim coeperunt vulgo etiam privati, & plerisque ea cura in testamentis. Tertullianus, *Privatorum memoriis legatoriae editiones parentant.* Seneca *de Brevitate vitae:* „ *Quidam disponunt etiam illa, quae ultra vitam sunt, moles magnas sepulchrorum, & operum publicorum dedicationes, & ad rogum munera ambitiosas exequias.* MUNERA AD ROGUM, ET LEGATORIAE EDITIONES, sunt *Gladiatores.* Cicero pro Sulla: *Ita prorsus interpositi sunt Gladiatores, sed quos testamento patris deberi videmus.* Imo usque eo mos invaluit, ut ditiori aliquo mortuo, populus munus efflagitaret velut debitum, & ex praescripto legis. Nec in virorum funeribus stetit mos, transiit etiam ad feminarum. Dux & auctor rei, stirps illa Veneris Julius Caesar, *qui munus populo, epulumque in filiae memoriam pronunciavit, quod* ante eum nemo, ut ait Suetonius *in ejus Vita* c.26, & confirmat Dio: *Filiae suae, & ferarum caedes, & virorum pugnas exhibuit.* Nec dubitandum, quin Divi exemplum cupide imitatus sit vulgus. In Spartiano legit Lipsius, lib.1. *Sat.* cap. 8. *Hadrianum praecipuos honores socrui suae ludis Gladiatoriis impendisse.*

135. Pars aversa Nummi Aesillae, de quo supra numero 133. Exhibet clavam, & tripum, cum epigraphe AESILLAS. Tres hujus Aesillae Nummos vidit Cl. Montfauconius, duos scilicet in Museo Illust. D. Foucaut, & tertium in illo Cl. Baudelotii: quartum vero Franciscus Blanchinus Patruus meus in Museo Excellentissimorum Principum Chisiorum inspexit. Notandum est, *Lambda* heic per L Latinum exprimi: AESILLAS enim cum duobus LL scribitur. *Sigma* item per S, ut in Deliaca Inscriptione, posita in hac Tabula n. 132. Confer laudatum Montfauconium *Palaeographiae Graecae* pag. 121, & 130.

136. Inscriptio secunda Anniae Regillae Herodis Attici Conjugis; de qua egimus num. 40 Tab.I. Saec.II, & num. 128. hujus Tabulae. Extat apud Gruterum pag. 27, & in *Palaeograph. Graec.* celeberrimi Montfauconii pag. 135.

137. Inscriptio Deliaca, a Viro Cl. de Tournefort in Delo Insula ad basim Statuae humi dejectae reperta. Ab initio videtur manca; atque Latino idiomate ita redditur: *In lapide sum Statua, & basis.* Cl. Montfauconius lib.2. *Paleographiae Graecae* p.122 animadvertit, quod forma literarum, prisca, & Ionica est, atque admodum singularis.

ris. A sic scriptum ⅩƎ quinquies occurrit, quod ipse nuspiam alias vidit. In prima sylla-ba EN, Ƨ, quæ litera ter occurrit, infima linea mutila est. N sequens, videtur mancum, aut vitiatum: nam in voce αἰθερίῳ vulgari modo scribitur: articulus τω, ponitur pro τῷ in Dativo, ut in aliis priscae vetustatis Inscriptionibus: pariterque in sequenti voce λιθω, pro λίθῳ, Θ decussatis lineis secatur sic Ɖ, ut in Columna Farnesiana, ubi tamen lineae alio situ ponuntur sic ⊗. Vox sequens, εἰμὶ, vel ἰμὶ, legitur: mallet Montfaucon legere εἰμὶ, ubi tamen post E non additur *Iota*, quoniam antiquitus litera E, pro EI accipiebatur. Ƿ, sic depictum est *Rho* Græcum in voce ἀέθριον. *Sigma* ter Latina forma legitur, ut in voce AESILLAS. Vide supra num. 135.

138. Statua sedens Eratosthenis Cyrenaci, Aglai filii, discipuli Aristonis Chii, & Callimachi Poetae. Prodit ex marmore, quod extat in Museo DD. Canonic. Veron. Eccl. Eratosthenes Plato minor a quibusdam ob doctrinam vocatus est, eumque non Grammaticum solum, sed & Poetam merito quis vocarit, ac Philosophum, & Geometram, qui Orbis Terrarum globum dimmensus est. Praefuit Regiae Bibliothecae Alexandrinae sub Ptolemaeis Philopatore, & Epiphane, a quibus est appellatus *Beta* Literatorum: *Quod si non primas, antiquioribus illis merito relinquendas, certe secundas, in omni doctrina tulit*, ut scribunt Marcianus, & Hesychius. Vide Usserium in *Annalibus* p. 292. & Fabricium in *Biblioth. Graeca* Tom. 2. lib. 3. cap. 18. num. 12. Eratostheni successit Apollonius Callimachi discipulus, Argonauticorum scriptor; qui, quod Rhodi diu commoratus esset, *Rhodii* cognomentum est adeptus, ut scribunt Lucianus in Μακροβίοις, & Svidas in Ἀπολλώνιος.

139. Inscriptio Chyndonactis, quae sic Latine sonat: *In luco Mithrae hic tumulus corpus tegit Chyndonactis Sacerdotum Principis. Impie abstine, Lysi cineres tuentur.* Extat Divione in Ædibus Guenobaldi, ut refert Claudius Bartholomaeus Morisotus in Epistola ad Jacobum Gothofredum, quae est Centuriae prioris 80. Cl. Montfauconius in *Palaeographia Graeca* pagin. 12. ad eandem Inscriptionem haec adnotavit: Duae litarae XV, in exteriori urnae superficie insculptae, Χινδόναξ indicant. In dubium a nonnullis vocari, & a Guenebaldo confictam existimari hanc Chyndonactis Inscriptionem, narrat Philibertus de la Mare Senator Divionensis lib. 2 Vitae Claudii Salmasii nondum editae: sed ejus γνησιότητα asserere nititur. Verum multa sunt ibi, quae commentum oleant. Primo enim illa characterum varietas, & discrimen, quod Gruterianas inter formas, & Guenebaldicas, itemque intee Guenebaldi ligneas, & ejusdem aeneas intercedit, nescio quid suspicionis adfert. Abbreviandi modus in vocibus ἀσεβ. pro ἀσεβὴς, vel melius ἀσεβέστε, ασ, pro ἄσυ; ὁρῶσι, pro ὁρῶσι, inusitatus omnino, peregrinusque videtur. Metri ratio perplexa, & imperiti hominis est, qui nec breves, nec longas teneat. Ad haec, quod Μίθρης pro Μίθρου Guenebaldus scripserit, ex ignorantia profectum videtur: in marmoribus quippe omnibus Mithras Deus, non Mithre Dea celebratur. Λυσίων vero θεῶν mentionem induxit, de quibus Plato his verbis Lib. de Republic. 2.

αἱ τελεταὶ αὖ μέγα δύνανται, καὶ οἱ λύσιοι θεοί.

Idest *Expiationes, & expiatorii Dii multum possunt*: quamquam id fortasse Guenebaldus non ex Platonis, quem Latine tantum legebat, fontibus hauserit; sed ex Budaei potius Commentariis: unde, quae refert de Diis, Geniisque ἀλεξικάκοις, ἀποτροπαίοις, λυσίοις, φυξίοις, manifesto corrasit. Haec porro formula, λύσιοι κόνιν ὁρῶσι, prorsus extranea est, nec uspiam, opinor, visa. Ipsaque vox λύσιοι, pro Diis Manibus significandis in nullo hactenus monumento observata fuit. Plura possem adjicere, quae Guenebaldum ipsum Inscriptionis auctorem esse arguant. Verum haec satis sunto, ut quivis vel mediocriter cautus nobile commentum subodoretur. In recensione vero ejusdem Palaeographiae pag. VII. historiam hujus Inscriptionis Chyndonactis narrat, & subdit: Anno 1598. secunda Novembris, in agro Divionensi, quingentis ferme ab Urbe passibus, in loco dicto *Poussot*, dum vineam Guenebaldi ligone foderent quaedam operae, inciderunt in urnam lapideam rotundam, a suprema, & ab ima parte planam. Erat autem urna altitudine pedis Regii, & pari diametro. In exteriori superficie inscriptum erat, X. V. In ima & plana urnae superficie, Inscriptio (heic a nobis exhibita) legebatur, quae duabus lineis in circulum positis constabat. Intra urnam lapideam, erat altera vitrea, a collo, & ab ima parte tenuior, a medio latior, in qua defuncti cineres cum ossium particulis servabantur.

In

INDICULUS TAB. II. SAEC. II.

INDICULUS TAB.II.SEC.II.

In luce autem educta, iridis colores referebat; quod non arte quadam, sed temporis decursu, & diuturnitate situs factum putatur. Idipsum enim quotidie observatur in urnulis vitreis, quae Romae variis in locis passim eruuntur. Re undique pervulgata, eo visendi causa concursus factus est: accesserunt etiam ex longinquis partibus viri docti, inter quos Isaacus Casaubonus, & alii ab eodem Guenebaldo in Opusculo suo memorati. Hujus Inscriptionis exemplum Jano Grutero transmissum est, sed vitiatum: nam, ut contendit Guenebaldus, Inscriptio a Grutero edita, nec accurate ponitur, nec in forma litterarum cum lapide consentit. Sub haec, anno 1621, in eandem Urnam, & Inscriptionem, Diatribam suam edidit is ipse Joannes Guenebaldus, cujus erat lapis, idque Gallico vulgari idiomate, hoc titulo: *Le Reveil de Chyndonax Prince des Vacies Druydes Celtiques Dyonois, &c.* Posteaque anno 1639 Andreas Taurellus, itidem Divionensis, qui Bononiae in Italia sedes posuerat, Dissertationem Latine eadem de re edidit, ubi ea ipsa pene, quae Gallico idiomate initio Diatribae suae Guenebaldus dixerat, Latine a Taurello enuntiantur. Taurelli autem Observationes confutavit vir eruditissimus Praesul Philippus a Turre in luculento Opere de Deo Mithra. „

140. Signum M. Antonini Pii ex marmore Musei Capitolini. Passim occurrunt in Museis, & Hortis Urbanis hujus Imp. Effigies; qui erat (ut etiam nostra Protome ostendit) *vultu sereno, & pulchro, procerus membra, decenter validus*, teste Aurelio Victore in *Epit.* cap. xv, Victoris descriptioni respondet illa Capitolini in ejus *Vita* cap. XIII: *Fuit* (inquit) *statura elevata decorus; sed quum esset longus, & senex, incurvareturque, tiliaceis tabulis in pectore positis fasciabatur, ut rectus incederet.* Et paulo supra (nempe cap. II.), *Fuit vir forma conspicuus, clarus moribus, clemens, nobilis, vultu placidus, ingenio singulari.* Vide Aldrovandum de Statuis Romae existentibus, Sponium *Recherch d' Antiqu.* Diss. 24. pag. 384, Patinum de *Num. Imp. Rom.* pag. 212, & Museum Capitolinum Tom. I. Tab. XXXVII. pag. 31. Iubente Antonino Pio, plerique nostrum adducti ad supplicium fuerunt. Lege Acta S. Felicitatis, & septem filiorum ejus, apud Ruinartium pag. 22. Edit. Veron. & S. Justini Martyris Apologiam Primam, alias Secundam, eidem Imperatori oblatam. Quamvis enim ipse nullum Edictum in Christianos evulgasset, Persequtio tamen ab Hadriano mota quoniam nondum quieverat, ita male Antoninus in nostros homines animatus fuit, ut eos, necis incognita causa, condemnaret. Post diuturnam tamen Christianorum vexationem, litteras ad Commune Asiae dedit, praecepitque, ne quis eos Religionis causa punire auderet: quod si quis fuisset, qui nihilosecius eos accusandos arbitraretur, is sciret, se immune minime laturum. Vide laudatum S. Justinum in *Apol.* I. pag. 87, Eusebium *Hist.* lib. 4. cap. 26, & nostrum *Chronicum* ad annos 140, & 152.

141. *Fragmentum Legis Agrariae*, ex aerea Tabella, quae (teste Mabillonio *de Re Diplomatica* Lib. v. pag. 344, & seq.) in Regio Cimerliarchio apud Fontem-Blaudi olim servabatur. Eruit Petrus Hamo Caroli IX. Domesticus & a Secretis hocce fragmentum; quod ait, esse Legis Romanae, quae post Africam domitam a Romanis lata est. Id tamen melius congruit alteri fragmento, in quo agitur de Tampsitanis, Lepitanis, Aquillitanis, Usalitanis, & Teudalensibus Africae Incolis.

142. Statua L. Annaei Senecae Cordubensis Stoicorum Latinorum celeberrimi; de qua Cl. Montfauconius *Antiquit. Expliq.* Tom. 3. par. 2. pag. 212. Tab. 128 haec literis consignavit: „ Nullum alium video aptiorem locum, ubi de balneo illo postremo Senecae agatur, in quo sibi ipse mortem conscivit, jubente Nerone Imperatore, cujus ille Praeceptor fuerat. Sic repraesentatur ejus Statua ex nigro marmore, quae hodie in Villa Burghesia extat, eximiique artificii est. In ejus vultu constantia illa Philosophica emicat, quam moriturus amicis ille testificatus est, ut ait Tacitus Annalium 15: *Ubi praecepta sapientiae* (*inquiebat*)? *ubi tot per annos meditata ratio adversum imminentia? cui enim ignaram fuisse saevitiam Neronis? Neque aliud superesse post mortem, fratresque interfectos, quam ut educatoris, praeceptorisque necem adjiceret*: eademque constantia ad finem usque vitae loquutus est. Cl. Bottarius Tom. I. *Musei Capitolini* pag. 17. cap. xx. haec ad rem nostram scribit: „ Caput Senecae in hoc Museo adservatum, simile omnino est illi, quod in Museo Mediceo adhuc extat, ac etiam eleganti Statuae e marmore nigro in Villa Burghesia positae; sed praecipue ... omnium,

omnium, quas hujus Philoſophi unquam viderim, elegantiſſimae, quae habetur in Aedibus Corſiniorum Romae. Vultus adparet *ad ſummam maciem deductus* (*Senec. Conſol. ad Elv. cap.17. & Epiſt.54. & 78.*), ut ipſemet de ſe loquens fatetur, quod *per longum tempus* AEGER fuerit, quamobrem quum Imperator C. Caligula illum e medio tollere vellet, a quadam ſua pellice diſſuaſus fuit, teſte Dione lib. 59. pag. 655, quod jamjam moriturus eſſet, adeo adverſa valetudine laborabat. Haec omnia reſpondent iis, quae Tacitus Annal. lib. 15. de ipſo refert, nempe illi fuiſſe CORPUS *parvo victu* TENUATUM, & incomptum, ac rudem vultum, quod ipſe Seneca ibidem in Epiſtolis innuit; ſic enim Lucillo ſcribit: *Quod libros meos petis, non magis ideo diſertum me puto, quam* FORMOSUM, *ſi Imaginem meam peteres*. Denique ex hac Imagine Senecam Stoicum fuiſſe luculenter apparet, Philoſophum ſcilicet munditiarum, & externarum rerum contemptorem, & rigidum, ſeverumque ſolius virtutis ſectatorem.

143. Inſtrumentum inſcriptum, *C. Julii Caeſaris Teſtamentum L. Piſone ſocero recitatum in domo Idibus Septembris*. Hic titulus (teſte Mabillonio de Re Diplomatica Lib. v. pag. 344) a tergo appoſitus erat cuidam Inſtrumento in cortice, ſeu papyro Aegyptiaca ſcripto, & in Regio Scrinio apud Fontem-Blaudi anno MDLXVI (quo Hamo ſub oculis Goſſelini Bibliothecæ Fontis-Blandenſis Curatoris iſtud expreſſit) religioſiſſime aſſervato. Lata eſt papyrus uno pede, longa quinque. Titulus apprime iis convenit, quae de Julii Caeſaris Teſtamento ſcribit Suetonius in hunc modum. *Poſtulante ergo L. Piſone ſocero, Teſtamentum ejus aperitur, recitaturque in Antonii domo, quod Idibus Septembribus proximis in Lavicano ſuo fecerat &c.* At certum eſt titulum ſuperiorem Regio Inſtrumento perperam fuiſſe impoſitum a nebulone quodam male feriato, qui Hamoni, aliiſque ſubinde fucum fecit. Proinde laudatus Cl. Mabillonius monendum Lectorem duxit, ubicumque in Libris *de Re Diplomatica* fit mentio de ſpecimine Julii Caeſaris Teſtamenti, id de charta plenariae ſecuritatis eſſe intelligendum, quae condita eſt, *imperante Domino Juſtiniano PP. Aug. anno xxxviij. Ravennae, P. C. Baſilii, anno xxiij. Id. Jul. Indict. xii.* quae notae quadrant anno Ch. DLXIV.

144. Hieroglyphica Aegyptiaca ex Obeliſco Lateranenſi. Primo, aut altero Saeculo poſt Diluvium fuerunt uſurpatae in Ægypto figurae animalium, aliaeque Imagines, tamquam Symbola cogitationem, quibus interpretandis Chanaan, ejuſque Poſteri, ſive tres priores Hermetes, aut Mercurii a Cicerone numerati ſedulo incubuerunt: idcirco etiam habiti Diſciplinarum Magiſtri. Heic adnotaſſe ſufficiat, Caducaei figuras obſervari in hieroglyphicis Obeliſcorum; praecipue vero inter ſuperiora hujus inſignis Obeliſci Lateranenſis; ubi videmus rudimentum caducaei, nempe figuram elementorum in manubrio decuſſatim ſecto, & ovi ſectiones duas, inferam Terrae, ſupernam Caelo tributam, & natum inde ſerpentis forma Phanetem primogenitum. Vide *Librum Criticum* capite quinto, & *Librum Antiquarium* capitibus 3. 4. 5, & 7.

145. Epitaphium Antonini Pii, quod olim extabat in Hadriani Sepulcro, in quo & ipſe tumulatus eſt, teſte Capitolino *in Marco Aurelio* cap. 7. Legitur in Grutero *Inſcript. Rom.* pag. 257. 4, apud Mabillonium Tom. 4. Analectorum pag. 500, & in Opere Patrui mei, inſcripto de *Kalendario, & Cyclo Caeſaris*, pag. 75. Haec Inſcriptio immediate poſt ejus corporis cremationem, cineresque ibi conditos, appoſita fuit: *Divus namque ibi non dicitur, utpote nondum conſecratus: qui apotheoſeos ritus de more*, ut Herodianus tradit lib. iv, *ſeptimo a morte die celebrabatur*. Antoninus Pius Nonis Martii anno Chriſti 161. e vivis exceſſit: eique *a Senatu*, ut refert Capitolinus, *decreti etiam ſunt omnes honores, qui optimis Principibus ante delati ſunt. Meruit & Flaminem, & Circenſes, & Templum, & Sodales Antoninianos*. Et Victor in Epitome cap. 15. *Ob cujus honorem Templa, Sacerdotes, atque infinita alia decreta ſunt*. Quae omnia ejus nummi etiam oſtendunt. Per Aquilam etenim in iis varie expreſſam, per Rogum, & Aram, perque illius Statuam ſedentem Deorum habitu effictam, ſatis ſuperque Divini honores ei habiti declarantur: Circenſes praecipue ejus nummus indicat, in quo eſſedum, ſive thenſa a quatuor Elephantis tracta, quae in Divorum natali per Circum traduci ſolebat. Quibus ſane honoribus Columnam quoque, (inquit Vignolius in peculiari Opere de eadem ſcripto, pag. 62.) etiamſi antea alia de cau-

ſa a Senatu dicata ei fuiſſet, acceſſiſſe videmus. Marcus enim, & Lucius (ne tot inter Publica Senatus officia ſingulari aliquo, ac perenni ſimul amoris teſtimonio parentem optimum defraudare viderentur), coloſſeam illius Statuam Divinitatis habitu ornatam Columnae eidem imponi, ejuſque Conſecrationis indice cudi mandavit, de hoc certiores nos reddunt. Ita quoque Columna, quam viventi adhuc Trajano Senatus in ejus Foro dicaverat, eodem poſtea defuncto, in ſepulcrale illius monumentum evaſit. *Inter Divos* (de eodem inquit Eutropius lib. 8.) *relatus eſt, ſoluſque omnium intra Urbem ſepultus. Oſſa ejus collocata in urna aurea, in Foro, quod aedificavit, ſub Columna ſita ſunt*. Monumentum hoc vero, etſi Antonini mortem, Conſecrationemque ſpectet; attamen nullam cum ejus cineribus rem prorſus habet: qui non ibi, nec ſupra M. Aurelii Columnam, ut prae ceteris Ciaconius in Hiſtoria utriuſque belli Dacici perperam eſt opinatus; ſed in Hadriani Sepulcro, quod *Arx* S. Angeli, & Hadriani moles indigitatur, conditi fuere. Capitolinus in eodem M. Aurelio cap. 7. id clare teſtatur: *Hadriani autem Sepulcro*, inquit, *corpus patris intulerunt magnifico exſequiarum officio*. Atque hoc idem exprimit Inſcriptio in eadem Hadriani mole extans, quam nos hoc numero 145. illuſtramus. Ea vera, ut videtur, immediate poſt ejus corporis cremationem, cinereſque ibi conditos appoſita fuit. *Divus* namque ibi non dicitur, utpote nondum Conſecratione cohoneſtatus, quae pro more, ut Herodianus tradit lib. 4, ſeptimo a morte die celebrabatur. Quare ampliſſimum illud monumentum, cui Columna Antonini fuit impoſita, etſi ejuſdem Antonini Sepulcrum proprie dici non poſſit, quum non ibi ejus cineres adſervati fuerint: attamen ob Columnam, quae ſuperemiuet cum Statua Divorum habitu efficta, & ob Inſcriptionem, & Conſecrationis anaglypha in eo inſculpta, quaſi alterum ejus Sepulcrum illud conſtituunt; quale ſcilicet apud Veteres viris illuſtribus, corpore ſcpulturae tradito, honoris, ac memoriae tantum cauſſa alibi excitari ſolebat, quod *alii Inane*, *alii Imaginarium tumulum vocant*: quandoquidem illius corpus Romam delatum, atque inde combuſtum, in Auguſti Mauſoleo, ſive, ut ex Epitome Liviana lib. extremo, in C. Julii Tumulo conditum fuerat: *Corpus ejus*, inquit ibi Suetonius, *per municipiorum, coloniarumque primores, ſuſcipientibus obviis Scribarum decuriis, ad urbem devectum, ſepultum eſt in Martio Campo. Ceterum exercitus honorarium ei tumulum excitavit*. De quo etiam mentio extat apud Tacitum lib. II. *Annal.* cap. 7. Atque alterum Ravennae hujuſmodi monumentum ipſe Druſus habuit, ut ibi antiquus lapis docet, qui ita ex Appiano, & Rubeo exſcriptus legitur apud Gruter. pag. 237. num. 5.

146. Hieroglyphica Aegyptiaca, ex Obeliſco ante Portam Flaminiam erecto. Diodorus Siculus narrat, duplicem ſcripturarum formam apud Aegyptios excogitatam, quarum una poſterior, ac Aegypti vernacula (vulgo *Communis*), altera vero antiquior, & ſacra, ſoliſque Sacerdotibus reſervata, ab Aethyopibus emanarat. Hanc autem ita deſcribit, ut intelligatur, eamdem eſſe, quae viſitur in Obeliſcis. *Primae iſtarum variis beſtiis, & hominum membris, inſtrumentiſque fabrilibus potiſſimum aſſimiles ſunt. Nam ars apud eos Literaria, non compoſitione ſyllabarum, ſed deſcriptarum Imaginum ſignificatu, & tranſlatione per exercitationem memoriae inſculpta, ſubjectam orationem exprimit, & abſolvit. Jam enim Accipitrem, Crocodilum, Serpentem; Jam de corpore humano aliquid, puta oculum; manum, faciem, & id genus alia ſcribunt*. Id unum addere libet, quod hujus argumenti videtur proprium, ſcilicet in hujus Obeliſci anaglyphis, ubi novem ſtriae occurrunt, abaco Arithmetico Sinarum, ac Latinorum perſimiles, proximum obſervari ſignum Cynocephali, hoc eſt Hermetis, ſeu Mercurii, rudimento caducaei figuram angue, & circulo inſtructam imminere prope accipitrem galericulo ornatam: quae ſymbola ſunt attributa Mercurio, & Horo Apollini, ſeu Pythio, nempe Chanaano, ejuſque fratri Puth, inter Chami, hoc eſt Ammonis, liberos, memoratis Geneſ. cap. x. v. 6, quibus diſciplinarum ratio ab Ethnicis tributa eſt. Vide *Librum Antiquarium* capitibus 3. 4. 5, & 7, ac *Librum Criticum* cap. 5.

147. Symbolum Apotheoſeos, expreſſum Aquila, in Caelum avolatura, quae ungue altero fulmen Jovis, altero Globum tenet. Stat ſuper ingentem armorum acervum, & roſtra navium, queis victoriae terra, marique partae ſignificantur. Hieronymus Card. Columna hoc marmor Madritum tranſtulit, & dono dedit Philippo IV Hiſpaniarum Regi, ut di-

ut diximus num. 124. Tabulae Secundae Saeculi Primi.

148. Marmor elegantissimum, atque ad Artis miraculum excalptum, quod extat Romae in Platea Montis Citatorii ante Curiam Innocentianam. Visitur in eo Roma sedens, quae Apotheosim decernit Antonino Pio; cujus,& Uxoris Faustinae Protomas in sublime humeris tollit Genius caelestis,dum Circenses Ludos, qui Divorum in natalibus edebantur, alia Figura humi decumbens per Obeliscum ostendit. Hoc Opus anaglypticum Romae detectum fuit anno 1703, in basi Columnae Antonino Pio dicatae in Campo Martio ab Imperatoribus Marco Aurelio, & Lucio Vero. Praesul Franciscus Blanchinus Patruus meus in Dissert. *de Kalendario, & Cyclo Caesaris* pag.72.hoc marmor egregium illustrans, sic ait: Dum hujusce lucubrationis postrema folia praelo subduntur, per faustam diem IX.Kal.Decembris,reperta est basis amplissima ex marmore plurimum commendato, quod Graecum nostrates vocant, eoque perpetuo, licet ad expansionem palmorum quindecim undequaque extenso;anaglypticis operibus sculpturae admirandae in singulis lateribus ornata, praeterquam in eo, quod respicit plagam occidentalem: ubi aream marmoris implet Inscriptio, antiquam elegantiam sua brevitate, ac majestatem characterum amplitudine referens. In ea vero legitur Dedicatio Columnae a duobus Augustis, Aurelio, & Vero fratribus optimo parenti Antonino Pio in Deos relato, hujusmodi verbis concepta.

DIVO . ANTONINO . AVG. PIO

ANTONINVS . AVGVSTVS . ET

VERVS . AVGVSTVS . FILII

Frons altera basis istius, Inscriptioni adversa, exhibet Pium, & Faustinam ejus uxorem ad Caelum evectos per alatum Genium, utriusque protomas humeris efferentem; non secus ac in marmore, olim extante in Arcu Triumphali M. Aurelii, nunc vero in Capitolium translato &c. In hac itaque facie basis, exhibetur Apotheosis Antonini Patris, cognomento Pii, & uxoris Faustinae majoris: spectante Roma, quae, ut moris est, mulieris armatae cultu, & figura exprimitur, sedens in ima parte marmoris supra scutum, Lupa, & puerulis insignitum, & Genium intuens ex adverso positum.ProRomae pedibus spolia congesta jacent: quae jure possumus interpretari Britannica, Germanica, Dacica, & Judaica; cum Antonini expeditiones, per Legatos feliciter administratae, hae ferme habeantur: nam ceteroqui ejus Imperium ita fuit pacatum, ut de Pio scripserit Capitolinus: *Solus omnium prope principum prorsus sine civili sanguine, & hostili, quantum ad se pertinet, vixit*. Visitur vero adversus Romae juvenis, pallio succinctus, humi sedens, ac ferme stratus parte inferiori corporis, superna crectus: sinistro autem femore sustinet Obeliscum, quem laeva manu complectitur. Hunc haberi oportere Genium Populi Romani, aut Genium Campi Martii, seu potius, (quod lubentius dixerim) Genium Circi. At Genius alatus inter duas Aquilas medius superne volat, & sinistra manu Globum stellatum praefert: in quo Zodiaci fasciam videmus, aliquot signa exhibentem, hoc est Pisces, Arietem, & initium Tauri. Lunam quoque corniculatam demonstrat Globus, & prope medium Arietis signum constitutam. Circa Globum sinuatur Serpens, polo Zodiaci Arctico superna sui parte insistens, eoque positu referens Caelestem Draconem: quem Astronomi veteres in illa sphaerae parte collocaverunt, Asterismum late extendentes per duodecim signa, in cardine eclipticae collecti: unde fabulantur Poetae eumdem esse, qui a Gigantibus objectus Minervae, cum eos in Caelum conscendere nitentes oppugnaret, & ab eadem Minerva arreptus, & contortus, ad Caeli axem affixus dicitur: indicio evidenti Astronomici studii, tum primum ab antiquis ordinati cum eclipticae polum, & axem deprehendissent observatione. Hujus proinde Draconis Imagine utebantur Aegyptii, Graeci, ac Romani tanquam aptissimo symbolo ad indicandam periodum annuam, ac menstruam; nam Asterismus Draconis, late circumvolutus in ea Caeli plaga, quae circulos longitudinum colligit, veluti in umbilicum, ad summum verticem, seu polum Zodiaci Boreum, pervadit signa duodecim, eoque nomine integram Solis conversionem annuam, & Lunae menstruam jure designat. Posterior vero aetas modo temporis, modo aeternitatis symbolum haberi voluit, utpote Imaginem caelestis motus in se recurrentis, nulloque termino definiti. At Effigies, seu Protome Antonini, quam Genius ille alatus, hoc est Cae-

Ind.cult. Tab.II.Sec.II.

Caelestis, humeris gestat, tunicata est, & Scipionem eburneum, Aquila Romana fastigiatum, insigne scilicet Imperii, dextera manu praefert. Uxoris Faustinae Imago illi adhaerens, eodem cultu, quo in Nummis, visitur, in summo vertice tutulata, & pluribus unionum gyris collectos crines de more constringens: velo etiam eleganter expanso, ad referendam Imaginem Lunae; ut solemne Romanis fuit in Augustarum Consecratione, sive ad *peplum* illum percelebrem indicandum, quem Junonis, ac Lunae capiti circumductum, Caelum, aeri, & planetis circumfusum significare ex Porphyrio, docet Auctor eruditissimus Monumentorum Veteris Antii pag. 185. &c. Demum in quarta facie hujus fulcri, seu basis, ad Occidentem posita, legitur Inscriptio, paulo ante relata, DIVO. ANTONINO. AVG. PIO. &c.: quae aeneis characteribus olim fuerat magnifice instructa, iisque ad dodrantem palmi Romani extensis, ut alte incisi literarum ductus demonstrant &c. Itaque observo in Caelesti Globo, quem Genius alatus sinistra manu gestat, non esse improvide consignatum cum Vernis Zodiaci signis crescentem Lunam. Epocha enim Consecrationis Antonini diserte ostenditur hoc uno sphaerae conspectu. Piscium, & Arietis signa, uti narrabam, Globus demonstrat, & circa mediam Arietis Imaginem crescentis Lunae figuram profert, supra Zodiaci fasciam paullisper elevatam, ut cornuum directio prodat, Lunam radios mutuari a tertia circiter decade Piscium; ubi propterea necesse est Solem tunc versantem intelligi. Ex his vero locis utriusque sideris ita indicatis, ostenditur ipsissima dies 14. Martis Aerae Christi Vulgaris 161, qua honor Apotheoseos delatus fuit a duobus Augustis fratribus Pio parenti, cui proinde DIVI nomen in Columnae dedicatione tribuitur. Designationem temporis ita colligo. Consentiunt potiores Chronographi, veterum Historicorum lapidum, & Nummorum auctoritate ducti, e vita cessisse Antoninum Pium Nonis Martii anno Epochae Christianae CLXI. Facem omnibus praetulit parens historiae Panvinius: cujus non rationes modo, sed etiam verba praestat adducere in Fastia ad annum U.C.914. ubi ait: *Pius imperare coepit die obitus Hadriani, VI. Idus Julii, ut tradit Spartianus. Imperavit autem usque ad hunc annum, ut paulo post ostendam ex antiquis Nummis. Is autem imperare desiit, quo die mortuus est, in quo Marcus Imperium accepit. Marcus autem, ut inter omnes constat, imperavit annos* XIX, *& dies* XI. *Is, Tertulliano, & Dione testibus, obiit* XVI. *Kalendas Aprilis. Si autem ab eo die* XI. *dies retrogradiamur, inveniemus diem natalem Imperii Marci, mortisque Pii fuisse Nonas Martii hujus anni. Quod etiam mirifice quadrat Pii Epitaphio: ex quo enim Tribuniciam Potestatem XXIIII. attigisse intelligitur, quod verum est. Nam* XXIIII. *anno ante* V. *Kalendas Martii, die adoptionis, eam ab Hadriano obtinuerat, ut tradit Julius Capitolinus in ejus Vita. Hoc igitur anno, quando diem obiit, Tribuniciae Potestatis XXIIII. diem agebat undecimum. Statim autem inter Divos a Marco relatus est, & in Hadriani Sepulcro super Tiberim cum hoc elogio tumulatus:*

IMP. CAESARI T. AELIO HADRIANO
ANTONINO AVG. PIO PONTIF. MAXIM.
TRIB. POT. XXIIII. IMP. II. COS. IIII. P. P.

Panvinii computum probaverunt Eminentiss. Card. Norisius *Epist. Consularis* pag. 501. P. Dionysius Petavius in Chronologia expansa, necnon alii primi ordinis Auctores, nihil remorati sententiam Lydiati in Canone Chronico, quam vetera monumenta lapidum, & Nummorum facile explodunt. Recte etiam scripsit Panvinius, fuisse Pium a Marco *statim* inter Divos relatum. Nam Julius Capitolinus ejus vitae historiam ita concludit, ut commemoret, communi studio fuisse Pium ab universo Senatu Divum appellatum, & omnibus honoribus certatim auctum. *Cum jucunditate*, inquit, *a Senatu Divus est appellatus, cunctis certatim adnitentibus, cum omnes ejus pietatem, clementiam, ingenium, sanctimoniam laudarent. Decreti sunt etiam omnes honores, qui optimis Principibus antea delati sunt. Meruit & Flaminem, & Circenses, & Templum, & sodales Antoninianos, solusque omnium prope Principum prorsus sine civili sanguine, & hostili, quantum ad se ipsum pertinet, vixit. Et qui rite compararetur Numae, cujus felicitatem, pietatemque, & securitatem, caeremoniasque semper obtinuit.* Idem Capitolinus in Vita Marci Aurelii una vel altera periodo, eaque brevissima Piani funeris, & Consecrationis summam complectitur, a Marco, & Vero curatam utroque exequiarum honore, privato, & publico. *Hadriani autem Sepulcro*, ait, *corpus patris intulerunt magnifico exequiarum officio. Mox justitio*

secuto,

fecuto, publice quoque funeris expeditus est ordo. Et laudavere uterque pro rostris patrem, flaminemque ei ex affinibus, & sodales ex amicissimis Aurelianos creavere &c. Supervacaneum puto transcribere ex Dionis Historia ritum Consecrationis Augustorum, quem ipse mandavit literis testis oculatus, quippe inter Senatores relatus, ac praesens in funere Pertinacis. Collegerunt pridem antiquitatum studiosi ex Dione lib. 56, & Herodiano lib. 4. cap. 2: qui etiam diserte scribit, per dies septem luctum publicum circa Imaginem defuncti lecto jacentem, fieri, pronunciantibus quotidie medicis, deterius se habere, donec die septima, quasi diem obire visus fuerit, mortuus habeatur. *Tum vero lectum humeris attollunt Equestris, Senatoriique Ordinis nobilissimi, ac lectissimi juvenes, perque Viam Sacram in vetus Forum deferunt, ubi Magistratus Romani deponere Imperium consueverant.* Hic vero, ait, defunctum Principem laudari certatim a choris puerorum patriciorum, ac feminarum nobilium. Dio etiam addit, orationem recitari de ejusdem laudibus; tum procedentibus Ordinibus *ad Campum Martium, qua latissime Campus patet, suggestus quidam specie quadrangula, lateribus aequis assurgit, nulla praeterquam lignorum ingentium materia compactus in Tabernaculi formam.* Pyra descripta, ita prosequitur Herodianus seriem Apotheoseos: *Ubi vero ingens aromatum acervus* (in pyram) *aggestus est, ac locus omnis expletus, tum circa aedificium illud adequitant, universi Equestris Ordinis certa quadam lege, ac recursu, motuque Pyrrhichio, numeroque in orbem recurrentibus. Currus item decenti similiter ordine circumaguntur, insessi purpuratis Rectoribus, qui personas ferant, quae habent Imagines Ducum omnium Romanorum, Principumque illustrium. Quae ubi celebrata sunt, facem capit Imperii successor, eamque Tabernaculo admovet. Tum ceteri omnes undique ignem subjiciunt, cunctaque illico fomitibus illis aridis, odoramentisque referta, igni valido corripiuntur. Mox ab extremo, minimoque Tabernaculo, tanquam e fastigio quodam, simul cum subjecto igni ascensura in aetherem Aquila dimittitur: quae in Caelum creditur ipsum Principis animum deferre. Ac jam ex illo una cum ceteris Numinibus Imperator colitur.* Aquilae duae heic tribuuntur, una Pio, alia Faustinae. Vide nostrum *Librum Criticum* cap. II, IV, & V, ac *Librum Antiquarium* cap. IV. sub finem. Confer autem & Vignolium in lib. *de Columna Antonini Pii* pag. 13, & seqq.

149. Nummus Antonini Pii, cum Epigraphe in antica, quae heic exhibetur, ANTONINVS. AVG. PIVS. P. P. TR. P. COS. III. In postica vero, cernitur Faustina cum face super equum, ad Caelum evecta, atque inter Divas a Senatu relata. Vide Chronicum ad annum Christi 141. Capitolinus in *Antonino Pio* cap. VI. scribit: *Faustinam uxorem perdidit, quae a Senatu consecrata est, delati Circensibus & Flaminicis, & Statuis aureis, atque argenteis, quum etiam ipse hoc concesserit, ut Imago ejus cunctis Circensibus poneretur.* Cl. Bonarrotius in Libro, quem inscripsit *Osservazioni Istoriche sopra alcuni Medaglioni antichi*, pag. 42. erudite de more hunc Nummum illustravit.

150. Signum Platonis Sectae Academicae Principis ex marmore Musei Capitolini. Causeus *Gem. Antiq.* Tom. 1. Tab. XVII. pag. 14. & 15. de eo scribit: Socratis Sapientissimi Philosophi discipulus fuit divinus Plato, Academiae Princeps: natus est in Athenis, patre Aristone, anno II. Olympiad. LXXX. Aristocles prius vocabatur, deinde, ob latos humeros, Platonis nomen sortitum fuisse, narrat Suidas: *Aristocles primo est dictus, sed ob latitudinem pectoris Plato est cognominatus: alii, ob amplitudinem orationis, Platonem dictum, ajunt.* (Vide Laertium lib. 3. segm. 4). Etenim Platonis infantis ore apes consederunt, singularem praedulcis eloquii portendentes suavitatem, si fides Plinio lib. 11. cap. 17, & Valerio Maximo lib. 1. cap. 6. Tanta cum facundia instructum fuisse scribit idem Valerius Maximus lib. 8. cap. 7. *Ut si ipse Jupiter Caelo descendisset, nec elegantiore, nec beatiore facundia usurus videretur.* Caput ejus comatum, & barbatum exhibetur (in Gemma apud eundem Causeum). prout illum habuisse docet Aelianus referens primam inter Platonem, & Aristotelem dissensionem ex barba, & capillis ortam, cum Aristoteles contra Platonis morem radi, & tonderi solitus fuerit. Platonis Imagines annulis insculptas gestabant Academici. Audiamus Epiphanium de Carpocratianis, Gnosticis, & Basilidis Sectatoribus Haeresi 27, Philosophorum Imagines ab illis adoratas esse scribentem: *Habent depictas coloribus Imagines, quidam etiam aureas, aut argenteas, vel ex alia materia fa-*

INDICULUS TAB.II.SAEC.II. *Has, quas esse Jesu Effigies affirmant, easdemque a Pontio Pilato ad Christi similitudinem effictas, quo tempore inter homines degebat. Sed ejusmodi Imagines occultas habent, necnon & Philosophorum quorumdam, ut Pythagorae, Platonis, Aristotelis, aliorumque, quibus eas, quas dixi, Christi Effigies miscent, & erectas simul omnes adorant, ad easque Gentilium ritus instituunt*. Plures antiquae Protomes magni Platonis extant in *Museo Capitolino*, de quibus agens Cl. Bottarius Praesul Tom. I. ejusdem Musei Tab. XXI, & XXII. pag. 17. haec literis consignavit: „ Haud mirandum, tot Gemmas, & Marmora ipsum repraesentare; ejus enim Secta per multa saecula frequentissima fuit, ipseque tanti habitus est apud omnes nationes, ut *Divini* cognomentum acceperit. In Academia ejus Statua posita fuit, Opus Silanionis eximii Sculptoris, ut refert Laertius lib. 3. segm. 25, & Cicero meminit Statuae, quam habebat in sua villa. Socrates veneno necatus, gloriae suae successorem reliquit Platonem. Philosophi tum temporis iniquum a Tyrannis patiebantur fatum, cui se subducere, quibus poterant modis, necesse habebant. Plato ergo Megaram concessit, ubi studia sub Euclidis auspiciis provexit. Dehinc Cyrenem delatus, Mathematicum Theodorum frequentavit. Curiosae mentis impetus ipsum in Italiam, & Aegyptum compulit. In illa Pythagoricos, in hac Theologos abstrusiores sui saeculi audivit, ut Patres Ecclesiae eum Mosis Scripta evolvisse, & plurima exinde Philosophiae suae intulisse, haud obscure conjecerint. S. Augustinus scribit, Platonem cum Propheta Jeremia conversatum, sed paulo post comperiit, eum, sexaginta annis ante Platonis in Aegyptum adventum, obiisse. Petiit hinc Persidem de mysteriis Religionis ibidem Magos consulturus; ni bella obicem posuissent, ad usque Indos, eorumque sacerrimos Brachmannos penetraturus. Redux factus Athenis Philosophiam docuit, gloriosum, & primarium civitatis studium. Quidquid hominum erat melioris notae per universum Mundum, ad ejus Academiam certatim, gregatimque confluebat. Locus is erat extra Urbem, cujus nomen a posteris in honore perpetuo, & etiamnum in usu est habitum. Ductus desiderio incendii montis prodigiosi Aetnae, deseruit ad tempus Athenas, & in Siciliam secessit, ubi a Dionysio Tyranno non cognitus modo, sed etiam expetitus fuit; impatiens vero turpissimae adulationis, qua ei omnes foede abblandiebantur, non dubitavit palam adversus aulae vitia declamare. Verum, ut veritas odium parit, ita parum abfuit, quin extremum periculum sua parrhesia incurreret Plato, nisi Dion, & Aristomenes eum imminentibus malis, pro ea, qua apud Principem valebant gratia, mature subtraxissent. Evasit tamen missus ad Lacedaemonium Legatum, qui habitu mancipii eum Aeginam misit: indeque Athenas suas rediit, libertati redditus. Iter denuo suscepit Syracusas, arcessitus Dionysii junioris precibus, ut ab eo regnandi artes addisceret. Sed paulo post remissus in patriam, iterumque vocatus, a monstro hoc humani generis, atque prodigio dimissus deinde fuit, ob suspicionem nimiae cum Ministro aulico familiaritatis. In patria ergo liber ab omni anxietate vixit, & quamvis plurimi ejus famam maledictis tentarent, virtute tamen calumniam, & quicquid de eo erat pravae suspicionis, superavit. Cum Xenophonte, & Aristippo aliquando male conveniebat, sed quod omnes tres sectarentur, & profiterentur virtutem, paulo post reditum inter ipsos est in gratiam. Obiit tandem an. agens LXXXI. morte placida, inter epulas, quibus amicos die suo natali exceperat. Corpus terrae mandatum in Academia ipsa, omni honoris cultu, tantae virtuti, & meritis debito. Epitaphiis plurimis luxuriabat funus. Ipsi Reges, & Respublicae ei Aras, & Statuas erigebant. Rex Mithridates, quod in Academia collocarat monumentum, hac epigraphe insignivit:

MITHRIDATES RHODOBATI FILIVS.
PERSA. MVSIS IMAGINEM PLATONIS DEDICAVIT,
QVAM FECIT SILANIO.

Haec habet Carolus Patinus *de Numism.* Augusti, & Platonis apud Gronovium Vol. IX. pag. 1595. Plato in Aegyptum navigavit, ibique Moysis libros legit, multaque ex Hebraicis traditionibus hausit. Eumdem morem adeundae Aegypti tenuerunt celebriorum Graeciae Philosophorum plerique, ut puriores Doctrinae latices ex illis fontibus in suos hortulos derivarent. Non semel candide agnovit, & ipse Plato, aliique complures, quaecumque de rebus Divinis a Graecis disputata sunt, ex Aegyptiis Scholis esse profecta. Idem argumentum persequuntur Diodorus, Plutarchus, & alii, qui clarissimos Graecanicae Philosophiae Antistites Melampodem, Dedalum, Musaeum, Orpheum, Home-

Homerum, Thaletem, Solonem, Pherecydem, Pythagoram, Lycurgum, Anaxagoram, Democritum, Oenopidem, Eudoxum, & Archimedem in Aegyptum Philosophandi causa se contulisse narrant, & Aegyptiis Magistris esse usos, quorum & nomina recensent. Ex Aegypto ergo magnam Mosaicae doctrinae copiam in Platonis sinum abunde confluxisse antiqui Ecclesiae Patres ostenderunt. Sanctus Justinus Martyr *in Cohortatione ad Graecas* pagina 22, & seq. §. 22. exponens dictum Platonis, *Quod semper est*, ostendit, accepisse illud a Mose, de Deo loquente, cum ait: *Ego sum existens ille*: En verba S. Justini: „ Haec igitur Plato cum in Ægypto didicisset, ac vehementer delectaretur his de uno Deo dictis, nomen quidem Mosis, eo quod unum is, & singularem doceret Deum, memorare apud Athenienses tutum esse non duxit, Areopagum metuens: sed quod praeclare ab eo dictum fuerat, id non tanquam ab eo acceptum, sed ut suam ipsius sententiam exponens in illo diligenter elaborato Opere, Timaeo, in quo de rebus Divinis disputare instituit, idem de Deo scripsit ac Moses. Ait enim: *Primum meo quidem judicio discernendum, quidnam sit illud, quod semper quidem existit, factum autem non est, & quid illud, quod fit quidem semper, nunquam autem existit*. An non hoc o Graeci, his, qui intelligere possunt, unum, & idem videbitur solo articulo diversum? Dixit enim Moses, *existens ille*; Plato autem, *existens illud*; utrumque autem semper existenti Deo, congruere manifestum est. Ipse enim solus est, qui semper existat nec factus sit. Quid autem alterum illud sit, quod semper existenti opponitur, de quo ipse dixit: *Et quid illud, quod fit quidem semper, nunquam autem existit*, attente considerandum. Reperiemus enim clare, & aperte ab eo dici ingenitum quidem esse aeternum; factos autem, & conditos (quemadmodum ipse dictum esse de illis ait, *Dii Deorum, quorum ego Opifex*) nasci, & perire; sic enim ille subdit ad locum præfatum. *Illud quidem (quod semper existit) intelligentia cum ratione comprehenditur, eodem semper modo se habens: istud autem (quod quidem fit) opinione cum sensu rationis experte conjicitur, nascens, & periens, nec unquam existens*. Haec profecto verba his, qui recte intelligere possunt, interitum, & exitium factorum praedicant deorum &c. Similia profert Athenagoras *in Legatione pro Christianis* pagin. 314. §. 19. Rursus in eadem *ad Graec. Cohortat.* pagin. 26. §. 26. testatur S. Justinus Platonem ex Libris Moysis cognovisse, Prophetas a Deo affari: scribit enim: „ Nemo autem miretur, si Mosi de Dei aeternitate credidit Plato. Reperies enim, eum ipsis etiam Prophetis, post illum, qui vere est, Deum, cognitionem rerum attribuere. Sic enim in Timaeo de quibusdam principiis disserens scripsit: *Ignis quidem, & ceterarum corporum principium ponimus secundum probabilem cum necessitate rationem procedentes. Harum autem adhuc principia Deus sursum cognovit, & qui ei cari sunt homines*. Homines autem quosnam alios Deo caros esse putat, nisi Mosem, & ceteros Prophetas, quorum vaticinia cum legisset, & doctrinam de judicio ab eis accepisset. Atque haec, & similia majori quidem vocis sono scripsit Plato in primo de Republica libro. Ex eodem quoque Mose cognovit Plato Judicium, & Resurrectionem, ut animadvertit sanctissimus Martyr ibidem pag. 26. & 27. §. 27. ubi ait: „ In decimo autem de Republica libro, quae a Prophetis didicerat de Judicio Plato, ea non tanquam ab illis accepta (metuebat enim Graecos), sed ut ex quodam homine audita scribit, qui ut ipsi fingere placet, in bello caesus, ac duodecimo die sepeliendus, & rogo impositus revixerat, & res illic visas narrabat: [*integrum Platonis locum heic affert S. Justinus (quem brevitatis gratia omitto), & postea subdit*]: Videtur heic mihi Plato non solum de Judicio a Prophetis accepisse doctrinam, verum etiam de ea, quam Graeci non credunt, Resurrectione. Nam dum animam cum corpore judicari dicit, nihil aliud significat, nisi se Resurrectionis doctrinam credere. Quomodo enim Aridaeus, aliique, qui corpus capite, & manibus, & pedibus, & pelle instructum in terris reliquerant, tales in inferno poenas persolverent? Neque enim animam caput, & manus, & pedes, & pellem habere dicent. Sed cum in Ægypto incidisset in Prophetarum testimonia, & de corporis Resurrectione doctrinam suscepisset, animam una cum corpore cruciari docet. Rursus in eadem *ad Graecas Cohortat.* asserit, Platonem ex Hebraeis sumpsisse, quae de Curru Jovis, & ignea essentia dicit. Item aliquid cognovisse de dono coelitus descendente; scribit enim pag. 30. §. 31. Quod enim ait Plato Jovem in Cælo volucrem

INDICULUS TAB.II.SAEC.II.

crem currum agere, id quo alio ex fonte didicit, nisi Propheticas legens Historias? Id profecto cognovit ex his Prophetae de Cherubim dictis: *Et exivit e domo gloria Domini, & ascendit super Cherubim, & elevaverunt Cherubim alas suas, & rotae cum eis, & gloria Dei Israel erat super eos desursum*: Inde incitatus vocalis ille Plato summa cum libertate clamat; *Magnus in Caelo Jupiter volucrem currum agens*. Unde enim edoctus haec scripsit, nisi a Mose, & Prophetis? Unde accepta occasione Deum in ignea substantia esse dixit? Nonne ex tertio libro Reg. 19. 11, ubi scriptum est: *Non in spiritu Dominus, & post spiritum commotio: non in commotione Dominus, & post commotionem ignis: non in igne Dominus, & post ignem vox aurae tenuis*? Plato autem non ea, qua decebat, contemplatione animum intendens in ignea substantia Deum esse dixit. Et §. 32. Quod si quis & de dono sursum a Deo in homines Sanctos delabente, quod sacri Prophetae Spiritum Sanctum appellant, rationem accurate inire velit; reperiet illud quoque a Platone in Menone sub alio nomine praedicatum. Veritus enim Dei donum appellare Spiritum Sanctum, ne Prophetarum doctrinam sequens, inimico esse in Graecos animo videretur; sursum quidem fatetur a Deo delabi, non tamen, Spiritum Sanctum, sed Virtutem appellandum esse censuit. In illo enim de Reminiscentia cum Menone Dialogo, postquam multa quaesivit de Virtute, utrum doceri possit, an non doctrina, sed usu, & exercitatione comparetur; vel utrum nec doctrina, nec usu, sed natura hominibus eveniat, vel alio quodam modo, tandem totidem verbis sic pronuntiat: *Nunc autem si in hoc omni sermone recte quaesivimus, & disseruimus: Virtus profecto nec natura, nec doctrina, sed Divina sorte hominibus evenit sine scientia, iis, quibus evenit*. Haec mea quidem sententia, cum clare a Prophetis de Spiritu Sancto didicisset Plato, in Virtutis nomen videtur transtulisse. Quemadmodum enim unum, & eumdem Spiritum Sacri Prophetae in septem Spiritus dividi dicunt; ita & ipse unam, & eamdem Virtutem appellans, in quatuor eam Virtutes dividi pronunciat. Sancti quidem Spiritus nusquam meminisse volens, sed quae a Prophetis dictae fuerant de Spiritu Sancto, ea per quamdam allegoriam aperte praedicans. Sic enim sub finem Menonis ait; *Ex hac igitur ratiocinatione, o Meno, videtur nobis Divina sorte Virtus eis evenire, quibus evenit. Illud autem clare perspiciemus, quomodo Virtus hominibus eveniat, si prius hoc ipsum instituerimus per se quaerere, quid sit tandem ipsa Virtus*. Pagina quoque 31. §. 33. asserit, Platonem ex Mose desumpsisse sententiam, quam protulit de Tempore: Unde autem edoctus Plato Tempus cum Caelo creatum esse congnovit? Sic enim scripsit: *Tempus ergo cum Caelo creatum est, ut simul creata simul dissolvantur, si quando eorum eveniat dissolutio*. An non hoc ex Divina Mosis Historia cognovit? Noverat enim Temporis creationem ex diebus, mensibus, & annis initium constitutionis accepisse. Igitur cum primus ille simul cum Caelo conditus dies initium omnis temporis praestiterit (sic enim scripsit Moyses Gen. 1. v. 1: *In principio fecit Deus Caelum, & Terram*; ac deinceps ita subjungit: *Et factus est dies unus*; tanquam ex parte totum tempus designans); Plato diem Tempus appellat, ne si mentionem diei faceret, tanquam omnino Mosis verborum Sectator accusandus videretur. Unde autem & de Caeli dissolutione informatus ita scripsit: Nonne & id quoque a sacris Prophetis edoctus, atque illos ita loquutos esse ratus. Item de libero hominis loquens arbitrio, in Apolog. 1. p. 71. dicit: Quapropter quod ait Plato: *Culpa eligentis, Deus extra culpam*, a Mose Propheta mutuatus dixit. Platonis quoque sententias de Mundi creatione ex Mose exhaustas, item de Filio decussato, & de Tertiis circa Tertium producit in eadem *Apolog.* 1. pag. 80. §. 59. Atque ut a Doctoribus nostris, idest a doctrina per Prophetas vulgata acceptum esse intelligatis, quod dixit Plato, Deum, cum materiam informem vertisset, Mundum fecisse; audite quid totidem verbis dixerit Moses, primus Prophetarum, & Scriptoribus omnibus vetustior, per quem Spiritus Propheticus quomodo Mundum Deus initio, & ex quibus condiderit, declarat his verbis: *In principio fecit Deus Caelum, & Terram. Terra autem erat invisibilis, & incomposita, & tenebrae super abyssum; & Spiritus Dei ferebatur super aquas; & dixit Deus: Fiat lux: & facta est lux*. Verbo igitur Dei ex subjectis, & a Mose designatis rebus Mundum universum esse conditum, & Plato, & qui eadem, ac ille, dicunt, & nos ipsi didicimus, vobisque licet idem perspicere. Et §. 60. pag. 80. subdit. Et quod apud Platonem in Timaeo physicis rationibus de Filio Dei investi-

vestigatur, cum ait: *Et decussavit eum in universo*, pariter a Mose mutuatus dicit. Scriptum enim apud Mosem legimus, quo tempore Israelitae ex Aegypto profecti in solitudine versabantur, occurrisse illis venenatas feras, viperas, aspides, & serpentum omne genus, quod populum necabat; tumque Mosem, Deo adspirante, & praecipiendo impellente, aes accepisse, & Crucis effigiem fecisse, eaque sancto tabernaculo imposita, dixisse Populo: *Si inspexeritis hoc signum, & credideritis, salvi in eo eritis*. Quo facto, serpentes extinctos esse scribit, ac populum hoc modo exitium tradit effugisse. His electis Plato, nec satis accurate perspectis, cum figuram Crucis esse non attenderet, sed decussationem esse crederet; alteram illam, post principem Deum, Virtutem in Universo decussatam esse dixit. Quod autem ab eo tertium dicitur, inde ortum, quod Spiritum Dei apud Mosem super aquas ferri legerat. Secundum enim locum Dei Verbo, quod in Universo decussatum esse dixit, tertium vero ei, qui super aquas ferri dictus est, Spiritui tribuens his verbis: *Tertia autem circa tertium*. Denique Plato unum Deum admisit, & hunc ingenitum, & aeternum, ut scribit Athenagoras *in Legatione pro Christianis* (inter Opera S.Justini) p.302. §.6. haec scribens: „ Plato ait: *Creatorem, & Patrem hujus Universi invenire difficile est: inventum, apud omnes eloqui impossibile*; unum, ingenitum, & aeternum intelligens Deum. Quod si & alios agnoscit, ut Solem, Lunam, & Stellas; ut creatos agnoscit: *Dii Deorum, quorum ego opifex, & pater; & operum, quae dissolvi non possunt me nolente. Quidquid autem vinctum est, solvi potest*. Plato ergo unum opificem omnium intellexit ingenitum Deum ex Mose. Quare Cl. Huetius *Demonst. Evang.* p.46. ostendit, Platonem ex Mosis libris eam Divinarum rerum scientiā, quam didicerat, exauriviſſe, scribens: „ De Mundi primum opificio ita differit Plato in Timæo, & Timæus ipse Locrus, ut Mosem pene ipsum differentem putes: nam & Deum supremum rerum Opificem agnoscunt, & Mundum ab eo creatum ad Exemplar, sive Ideam æternam, in mente ejus expressam. Mundi materiam, προϋπάρχουσαν, & aeternam, statuisse Platonem ex illis Mosis verbis, *Terra autem erat inanis & vacua*, contendunt Interpretes plerique, & Justinus in Paraenesi; quasi inanem illam terram aliam esse crediderit, quam quae priore Geneseos versu a Deo creata dicitur. Certe ἀγέννητον, illam appellat Plato, & εἶναι πρὶν ἢ τὸ πᾶν γενέσθαι, *exsistentem, priusquam omnia fierent*. In commodum sensum trahunt id Platonici quidam, & Christianis dogmatibus accommodant, materiam dicentes, itidem ut Ideam, in Dei decreto aeternam spectasse Platonem. Verum satis illi, & ex Theogonia Hesiodi, & ex Pythagoreorum, ex Anaxagorae, ex Stoicorum, ac deinde Valentinianorum, & Marcionistarum consentiente cum Platonicis decretis doctrina, refelluntur. Finem hunc sibi, cum Mundum crearet, proposuisse Deum, ait Plato in Timaeo, ut optimum opus, & bonitatis suae particeps conderet: quod postquam perfectum vidit, mirifice esse delectatum. Nempe a Mose acceperat, Deum opera sua, postquam creata sunt, probasse: *Viditque Deus*, inquit Moses, *cuncta quae fecerat, & erant valde bona*, Gen. 1.31. Astra, ad determinanda temporis spatia, condidisse Deum, dixit Plato, juxta Mosis effata, verbis etiam ejus usurpatis. Deum res Verbo creasse pronuntiat αὐτολεξεὶ in Timaeo. Itaque universitatem rerum, creatam a Deo, & conservatam, cum animo consideraret ipse, & Socrates, & Pythagoras, Dei vocem audire sibi videbantur: ut dixisse illos tradunt Aristobulus apud Eusebium *Praep. Evang.* lib. XIII, & Clemens Alexandrinus *Strom.* lib. V: quippe legerant apud Mosem Verbo Deum res condidisse: *dixitque Deus, fiat lux, & facta est lux*, Gen. 1. 3. Hominem partim a Deo, partim a Dei ministris, ipsius jussu, creatum esse docuit Plato in Timaeo. Idem *lib. III. de Leg.* hominem Dei simulacrum esse a Mose acceptum tradidit. Paradisum voluptatis a Mose descriptum refert Jovis ortus, Platoni commemoratus; ut notatum est ab Eusebio *Praep. Evang.* lib. XII. Sed & Serpentis historiam expressit allegorice. Primorum hominum vitam ita descripsit, ut Adami, & Evae vitam possis agnoscere: & Diluvii meminit; & κοσμοποιίαν suam concedere exorsus, eumdem narrationis ordinem tenuit, quem Moses est prosecutus. Servitutem a Graecis lege sua prohibuit, quemadmodum ab Hebraeis Moses, VII ipsos anno in libertatem restitui jubens, si qui fuissent servituti mancipati. *Hebræorum enim nullus serviebat*, inquit Josephus *Antiq.* l.VIII.c.2. De restitutione rerum furto subreptarum, & nocturni furis caede, & bove cornu feriente, paria fere utrique placuerunt. Rempublicam suam in duodecim Tribus, perinde ut Israeliticam, di-

INDICULUS TAB.II.SEC.II.

cretum eſſe voluit Plato. Ideas ſuas quemadmodum a Moſe ſumſerit, docent Juſtinus in *Paraen.*, & Clemens *Strom.*5.,&, ex eo, ac Philone, Euſebius *Praep. Euang.* cap. 13 Deum unicum eſſe, demonſtravit Plato in Timaeo, aliiſque locis: id autem ipſi Moſem perſuaſiſſe, idem Euſebius oſtendit, quem Cyrillus *Lib.8.contr.Jul.* aſſectatur. Deum namque ita definit Plato *Tim.*, ut ipſeſe Deus, cum ait, *Ego ſum qui ſum*, Exod. III.14. Declarat id pluribus Juſtinus in Paraeneſi, & ex Numenio Euſebius *Praep. Euang.* lib. XI. cap. 9. & 10, & Auguſtinus *de Civit. Dei* lib. VIII. cap. 11. Quod, niſi Socratis ſupplicio fuiſſet abſterritus, citra ambages, Moſem ſecutus, de Deo diſſeruiſſet: ſed vera de Dei natura ad vulgum proloqui, tutum ſibi non eſſe falſus ipſe eſt. Nec aliam ob cauſam priſcis Chrſtianis Platonis dogmata ex *Tim.* placuerunt (adeout Platonici haberentur, frequentioremque Platonicorum Operum lectionem Julianus ipſis objiceret); quam quod recoctus ipſis & perſonatus Moſes videretur eſſe Plato; aut, ut ait Numenius, Moſes Atticizans.

151. Signum Ptolemaei celebris Bibliothecae Alexandrinae Conditoris, ex Signo marmoreo Muſei Vaticani. Ptolemaeus Philadelphus decem myriadas librorum collegit Alexandriae, teſte Syncello pag. 271. & 273. His Pergami Bibliothecas addi voluit Antonius, Cleopatraeque deſtinavit, in quibus 100000. βιβλίων ἁπλῶν. Vide Plutarchum in Antonio, & Jonſium, qui Bibliothecarios Bibliothecæ Alexandrinae recenſet, agens de Scriptoribus Hiſtoriæ Philoſophicæ p.101. Confer etiam Gronovium in peculiari Diatriba de Muſeo Alexandrino, quae extat To. 8. *Antiq. Graec.*, una cum Ludovici Neocori Diſſertationibus, agentibus de eodem Muſeo poſt deperdita Scripta Andronici, Callimachi, & Alcidamantis. His adde Jo: Andream Schmidium, qui Maderi Collectionem de Veterum re Bibliothecaria recudi fecit, & auxit Naudaei, Spiaelii, & aliorum auctario, duobus Voluminibus comprehenſo.

152. Protome Marci Terentii Varronis, ex marmore Xyſti Vaticani. Hic fuit Ciceronis, aliorumque Virorum Clariſſimorum familiaris, & Romanorum omnium eruditiſſimus; ut aſſerit Quinctilianus. A Caeſare in gratiam receptus, Bibliothecis Graecis, & Latinis comparandis, ac digerendis praefectus, in Literario otio delituit, totumque ſe tradidit ſcribendis Libris. Septuageſimum & octavum aetatis annum ingreſſus, Libros 490 ſe conſcripſiſſe teſtatur, ut refert Gellius Lib. III. cap. X. Res Romanas accuratiſſime explicuit in Libris *Antiquitatum*. Quae vero de Diis ſcripſit, S. Auguſtinus in luculento Opere *de Civitate Dei* mirifice confutavit. Obiit nonagenarius anno Urbis conditae 727. Vide Vertranium Maurum, & Auſonium Popmam in ejus Vita, praeſertim vero Martinum Hanckium Lib. II. *de Romanarum rerum Scriptoribus* cap. VI, & Albertum Fabricium Volumine altero *Bibliothecae Latinae* Lib. I. Cap. VII. Conſule etiam noſtrum *Lib. Crit.* cap. II. & VI.

153. Effigies Platonis, ex Gemma apud Fulvium Urſinum Part. II. num. 52 *Imag. Illuſt. Viror.* de qua vide Bellorium *Imag.* Part. I. numer. 27. Aliam Caninius (*Icon.* num. 48) typis æreis vulgavit, juris Marchionis Taſſi, in qua Platonis Caput noſtro eſt quamſimillimum. Caninii Gemmam Cl. Praeſul Bottarius eam ipſam putat eſſe, quae habetur in *Muſeo Romano* Michaelis Angeli Cauſei Tom. I. Sect. I. Tab. XVII, quaeque Platonem coma & barba decorum repraeſentat; prout illum fuiſſe docet Aelianus, referens primam inter Platonem & Ariſtotelem diſſenſionem ex barba, & capillis ortam. S. Epiphanius de Carpocratianis, Gnoſticis, & Baſilidianis ſcribens Haereſi 27, eos annulis inſculptas Imagines geſtaſſe tradit Jeſu Chriſti, Platonis, aliorumque Philoſophorum, quibus omnibus cultum impendebant: *ejuſmodi*, (inquit) *Imagines occultas habent, necnon & Philoſophorum quorumdam, ut Pythagorae*, PLATONIS, *Ariſtotelis, aliorumque, quibus eas, quas dixi, Chriſti Effigies miſcent, & erectas ſimul omnes adorant, ad euſque Gentilium ritus inſtituunt.* Vide Indiculum hujus Tabulae num. 150. ubi plura habuimus de Signis, Hermiſque Platonis, qui ſolus inter Philoſophos Ethnicos *Divini* titulum meruit.

154. Herma Platonis truncato capite, ex marmore apud Fulvium Urſinum, cum epigraghe ΠΛΑΤΩΝ ΑΡΙΣΤΩΝΟC ΑΘΗΝΑΙΟC. Mendoſe legitur in quodam Herma Muſei Capitolini (in quo alii decem & amplius adſervantur), ΠΛΑΤΩΝΗΣ ΑΡΙΣΤΟΝΟΥ ΑΘΗΝΑΙΟΣ *Plato Athenienſis Ariſtonis* filius. Seneca Epiſt. 54. ſcribit: *illi nomen latitudo pectoris fecit*. De Platonis Hermis, & Siguis vide Sponium *Miſcel. Erud.* Sect. 4. pag. 140, Bellorium *Illuſt. Philoſoph.* Part. I.

Part. I. num. 17. & 18, Gronovium *Graec. Antiq.* Vol. 2. fol. 83. & Vol. IX. pag. 1595, Caninium *Icon.* num. 48, Museum Romanum Causei Tab. XVII, Thesaurum Brandemb. To. III. pag. 32x, & Museum Capitolinum a Cl. Bottario illustratum To. I. p. 17.

155. Protome Aristotelis Peripateticorum Principis, cum epigraphe ΑΡΙΣΤΟΤΕΛΟΥΣ. Prodit ex marmore Bibliothecae Fulvii Ursini. Gronovius *Antiq. Graec.* Vol. x. fol. 90 Bellorium reprehendit, quod (*Imag. Illustr. Philosoph.* Part. I. num. 7.) hanc Aristotelis effigiem, pileo, barbaque ornatam, rejiciat, veluti nescio cujus impostoris figmentum: etenim ipse Ursinus, qui eam Neapoli in Urbem illatam asserit a Joanne S. R. E. Cardinali Bellayo, probatam fuisse testatur omnibus *rerum Antiquarum peritis, & in primis Hieronymo Guaimberto, cujus apud ipsum* (Ursinum) *auctoritas plurimam valuit*. Alexander Severus, teste Lampridio, in secundo Larario Aristotelis Signum custodiebat. Ejusdem imagines aureas, aut argenteas, vel ex alia materia factas, occultas habebant, adorabantque Carpocratiani, ut scribit mox laudatus (nu. 153.) S. Epiphanius *Haeresi* 27. Petrus Castellanus *in Vitis Veterum & Illustrium Medicorum* apud Gronovium Vol. x. pag. 876 antiquam exhibet Aristotelis Inscriptionem, quae ejus Parentes commemorat: habet autem,

Nicomacho genitore satus, & Phaestide matre,

Ambo Asclepiadae, Divus Aristoteles.

Floruit anno 333. ante Aeram Christi Vulgarem, Amyntae Macedonum Regis aetate. Stanlejus *Histor. Philosophicae* Parte V. pagina 410. & sequentibus de eo scribit: Mortuo Platone in duas Sectas discipuli ejus discessere: prior in eadem, in qua ipse docuerat, Schola perstitit, *Academia* nuncupata; altera *Lyceum* occupabat, cujus Aristoteles Princeps fuit, videlicet Sectae *Peripateticorum Lycei*. Natus est Aristoteles Stagirae, ut refert Laertius v. 1. Pater ejus *Nicomachus* ab Aesculapio non genus tantum, sed artem etiam derivavit. Matrem habuit *Phaestiada*, ut Laertius, & Suidas tradunt: verius tamen Dionysius Halicarnasseus *in Epist. ad Ammaeum*, & Ammonius *Vit. Arist. init.* eam *Phaestida* appellant: quam item ab Aesculapio genus duxisse, eidem affirmatum Ammonio est: Hujus vero testimonium comprobat superius allegatum vetus Epigramma. Natus est Aristoteles juxta Apollodorum apud *Laertium* v. 9, Dionysium Halicarnasseum apud eundem *loc. cit.*, aliosque, anno 1. Olimpiadis XCIX, Archonte apud Athenienses Diotrephe, nempe 44. anno post natum Platonem, qui Athenaei lib. v. pag. 217. calculus est, certior eo, quem Ammonius, & Suidas secuti fuere, qui 42 tantum computant annos. Nicomacho, & Phaestide Aristotelis parentibus vita functis, ab Atarnensi quodam Proxeno est educatus, quo tempore juvenis admodum, liberalibus artibus animum imbuit; ut patet, Ammonii judicio *in Vit. Arist.*, ex Scriptis ejus. Septimum decimum aetatis annum agens, ut ex Apollodoro Laertius v. 6. refert, Archonte Nausigene, Athenas se contulit, & ad Platonem accessit. Platoni commendatissimus, discipulus factus est ejus, atque XX. annis in ejus Schola perseveravit, ut ex ejus ad Philippum Epistula patet, quam antiquus Vitae ejus Interpres editus a Nunnesio pag. 21 allegavit. Propter ejus in apprehendendo acumen, Plato, teste Philopono *de Mundi aeternitate*, *mentem Scholae* eum appellabat; ipsoque abeunte a lectione, clamabat, *Intellectus abest*, *surdum est auditorium*, ut habet allegatus vetus Interpres apud Nunnesium pag. IX, vel, ut Rhodiginus habet apud eundem Nunnesium not. pag. 4x, *Philosophum veritatis abesse*. Quousque cum Platone vixit, quod Apollodoro apud Laertium v. 9, Dionysio Halicarnasseo *Epist. ad Ammaeum*, & ipsi imprimis Aristoteli in Epistola ad Philippum apud *veterem Ammonii Interpretem* pag. 12, est traditum, constans & sedulus Platonis per XX. annos auditor fuit ad aetatis annum XXXVII. usque, donec vitam cum morte Plato commutaret. Immo tum quoque sancte ejus memoriam coluit, & affectus, sui testem aram erexit, cum hac Inscriptione:

Gratus Aristoteles struit hoc altare Platoni,

Quem turbae injustae vel celebrare nefas.

Ita studiis addictus, & lectionis avidus Aristoteles fuit, ut domum ejus Plato *domum anagnostae* appellare soleret. Sunt, qui maximam animorum dissensionem Platonem inter & Aristotelem intercessisse, dicunt; ortamque ajunt ex eo primum, quod habitum atque incessum Aristotelis Plato improbaret, necnon quia inter disserendum acris erat in contradicendo, ac pertinax; quibus tamen Ammonius *Vit. Arist.* pag. 4. respondet, non Platoni quidem contradicere Aristotelem, verum

verum iis, qui pravis interpretationibus Scripta ejus pervertebant. Sed quid mirum, si quandoque contradiceret Platoni? eo ipso Platonem sequutus, qui veritatem omnibus aliis rebus esse praeferendam passim conculcabat, sententiamque illam, *Amicus Socrates, sed magis amica veritas*, passim repetebat: immo & alibi dixerat: *non aeque Socratis attendenda sunt dicta, quam veritati studendum*. S. Justinus *in Cohortat. ad Graecos* pag. 10. & 11. §. 5. & 6. ait: „ Aristoteles in libro, quem scripsit ad Alexandrum Macedonem, brevem quamdam Philosophiae suae rationem exponens, clare & aperte Platonis evertit sententiam, ac Deum in ignea substantia esse negat; sed quintum quoddam aethereum, & immutabile effingens corpus, in eo ipsum versari pronuntiat. Sic quippe scribit libro 3. *de Rep. Non, ut quidam circa res Divinas hallucinati, Deum in ignea substantia esse docent* ...... Plato tria universorum principia esse dicit, Deum, materiam, & formam: Aristoteles nusquam formae, ut principii, meminit; sed duo principia esse ait, Deum nempe, & Materiam. Rursus, cum Plato primum Deum, & ideas, in prima summi Caeli & immobili sphaera esse doceat; Aristoteles post primum Deum, non ideas, sed Deos quosdam mente perceptos collocat. Sic igitur illi de rebus Caelestibus inter se dissident, quorum dissidiorum originem refert Ælianus *lib. 3*.... Rursus Platoni adversatur Aristotelis sententia de anima: Illam enim Plato tripartitam esse ait, atque aliud quidem in ea quod ratione praeditum est, aliud quod irascitur, aliud quod concupiscit. Aristoteles autem non tam late patere animam docet, ut partes etiam corruptioni obnoxias comprehendat; sed id tantummodo, quod rationis est particeps. Ac Plato quidem, *Anima omnis immortalis*, clamat; Aristoteles vero perfectionem, & actum illam appellans, non immortalem, sed mortalem esse decernit. Ille continenter eam moveri; Aristoteles vero immobilem esse dicit, cum motioni omni praesit „. *Haec S. Justinus*. Mortuo Platone (ut scribit Usserius *in Annal.* ad an. ante Aeram Ch. 348) discipulus ejus Aristoteles Peripateticæ Philosophiae conditor, ad Hermiam eunuchum Atarni Tyrannum profectus est; cum quo per triennium est commoratus, ut ex Apollodori Chronicis Laertius, & in Epistola ad Ammaeum docet Dionysius. Assi, quae Hermiae ditioni suberat (& cujus in *Act*. xx. 13 Strabo indicat). Pythadem enim Hermiae adoptivam filiam (sive soror ipsius, sive fratris filia ea fuerit) uxorem duxit Aristoteles: verum post mortem Hermiae, ob benevolentiam, quam erga illum habuit, Aristoteles eam matrimonio sibi sociavit, ut, ex ipsius ad Antipatrum Epistolis, in libro 7. de Philosophia confirmat Aristocles Peripateticus apud Eusebium *de Praeparat. Euangelic. lib.* 15. Dum in Asia vero maneret, cum Judaeo quodam mirae prudentiae & temperantiae homine, qui de locis superioribus ad maritima descenderat, versatum fuisse Aristotelem, eumque cum multis sapientiae studiosis ibi congregatis Graece disserentem audivisse, in primo libro de Somno, primarius ipsius discipulus Clearchus Solensis retulit: atque huic acceptum fortasse fuerit referendum; quod Peripatetica Philosophia Legi Mosaicae & Prophetarum Scriptis tam multum debeat; ut ex jam dicto Aristobulo, ejusdem Peripateticae disciplinae alumno in lib. 5. Stromatum confirmat Clemens Alexandrinus. Verba ipsius Clearchi recitant Josephus lib. 1. *contra Apion.*, & Eusebius *de Praep. Euang.* lib. 9. cap. 5. & 6. Itaque (verba sunt Huetii in *Demonst. Euang.* Proposit. IV. pag. 48. §. XV) Aristoteles rerum omnium causam esse dixit Deum, & Materiam, quod ex eodem fonte, Mosis videlicet doctrina, sed adulterata & corrupta, videtur esse profectum, unde sententiam eam hausisse Platonem diximus, qui & Ideam praeterea addidit. Idem post principem Deum, Deos alios inferiores, sub intelligentiam tantum cadentes, posuit, Angelos nimirum, auctore Mose, vel aliis certe Scriptoribus sacris. Denique in libello *de Mundo* vetustam quamdam ait esse doctrinam, quae Deum rerum omnium conditorem & servatorem esse statuit; quod ad Mosem utique videtur pertinere. Promtum ergo & facile fuit Aristobulo Judaeo ostendere, ex Mose, & Prophetis Peripateticam Philosophiam manasse. Legitur & in libro Juchasin, Aristotelem librorum Salomonis, opera Alexandri compotem factum, multa ex iis decerpsisse, suosque exornasse. Aristoteles VIII. annis cum Alexandro Philippi Regis Macedonum Filio versatus, Athenas rediit, Apollodoro apud Laertium V. 10, & Dionysio Halicarnasseo *Epist. ad Ammaeum* testibus, anno II. Olympiadis CXI, Archonte Pythodoro. Ibi Xenocratem in Academia docentem invenit, qui eum locum occu-

occupaverat, a Speusippo relictum, anno IV. Olympiadis CIX. Academia a Xenocrate occupata, *Lyceum* sibi Aristoteles delegit; qui locus fuit in Athenarum suburbio a Pericle conditus. Eo loco quotidie docebat, & de Philosophicis rebus disserebat apud omnes, qui ad ipsum accederent, quotidie *deambulans* usque ad horam, qua ungi Graecis mos erat; quod fieri ordinarie ante coenam solebat. *A deambulando* igitur, quod [illegible] Graecis est, *Peripatetica* illa Schola appellata fuit. Alii *Peripateticum* ex eo dictum Aristotelem ferunt, quod cum Alexandro ex morbo nuper convalescente ita *deambulando*, de rebus Philosophicis agere solitus fuerit. Crescente autem numero discipulorum, sedens docere coepit, dicens:

Silere turpe me, & Xenocratem loqui.

XIII. annis, ut refert Laertius libro V. cap. 5, Philosophiam Athenis Aristoteles docuit in Lyceo, aegre ei faciente nemine. Quamvis enim eruditio ejus summa, aemulationem, & odia provocaret multorum; gratia tamen, qua florebat apud Alexandrum, dum viveret, tantam ei ingerebat auctoritatem, ut nemo infensum ei animum declarare auderet. Vix autem e vivis Alexander excessit, cum, Dionysio Halicarnasseo referente *Epist. ad Ammaeum*, inimico animo adversus Aristotelis vitam conspirarunt nonnulli. At percepta contra vitam suam conspiratione, Athenis clam discessit Aristoteles anno II. Olymp. CXIV, ut Dionysius Halicar. in citata Epist. refert, & Chalcidem se contulit; ubi, quidquid residuum erat vitae, consumsit: amicis redditus, qui fugae causam exquirebant, respondit, *quod nollet committere, ut Athenienses bis peccarent in Philosophum*, obscure Socratem innuens, suumque periculum. Annos jam fere natus duo & sexaginta, corpore aegro affectoque, ac spe vitae tenui fuit. Tunc omnis ejus Sectatorum cohors ad eum accessit, orantes, obsecrantesque, ut sibi deligeret loci sui, & magisterii successorem. Erant tunc in ejus Ludo boni multi, sed praecipui duo, Lesbi unus, Rhodi alter, scilicet Theophrastus, & Menedemus. Tunc Aristoteles lepide simul ac verecunde successorem sibi delegit hoc pacto. Vinum, quod biberet, insalubre atque asperum ex valetudine sua dixit: propterea quaeri debere exoticum vel Rhodium aliquod, vel Lesbium. Eunt, curant, inveniunt, adferunt utrumque, quod petivit, vinum. Tum Aristoteles Rhodium degustans; firmum, inquit, hercle vinum, & jucundum. Petit mox Lesbium; quo item degustato, utrumque, inquit, oppido bonum. Is erat e Lesbo Theophrastus, homo suavitate insignis, linguae pariter, ac vitae. Itaque non diu post, Aristotele defuncto, ad Theophrastum omnes concesserunt. Mortuus Chalcide est Aristoteles Olympiadis CXIV. anno III, Archonte Philocle, annum agens LXIII.

INDICULUS TAB. II. SAC. II.

156. Herma Aristotelis, ex Bibliotheca Fulvii Ursini, cum epigraphe ΑΡΙΣΤΟΤΕΛΗΣ Ο ΑΡΙΣΤΟΣ ΤΩΝ ΦΙΛΟΣΟΦΩΝ ΣΤΑΓΕΙΡΙΤΗΣ. Vide supra num. 156, Gronovium in *Thesauro Graecar. Antiquit.* Vol. 2. fol. 90, & Bellorium *Imaginum Illustr. Philosoph.* Par. I. num. 8. Hic duas Protomas Aristotelis exhibet, quarum altera (ut scribit Vir. Cl. Joannes Bottarius Tom. I. *Musei Capitol.* pag. 10.) expressa est e marmore reperto ad radices Montis Quirinalis anno 1592 circiter, & inscriptum habet nomen in basi. Haec Protoma, ut conjicit Faber (*Comment. ad Imag. Viror. Illustr.* n. 35), fortasse est illa, quam apud se habebat Pomponius Atticus, de qua loquitur Cicero ad eundem Atticum scribens Epist. 10. libr. 4, *maloque in illa tua sedecula, quam habes sub Imagine Aristotelis sedere, quam in istorum sella Curuli*. Et revera Attico domus erat ad radices Quirinalis, ut testatur Nepos in ejus Vita cap. 13, & ipse Cicero lib. I. *de Legibus*. Hic prope Templum Quirini ejus domum collocat, eamque Publius etiam Victor post dictum Templum in Regione Sexta constituit.

157. Lucerna aenea, exhibens mysteria Platonicae Philosophiae, de quibus consulendus Ficinus in Timaeo cap. 7. 9. 10. 16. 17. 19. 27. 36. & 38. Extat nunc Venetiis in celebri Museo Tervisiano, ex munere Francisci Blanchini Patrui mei. Michael Angelus Causeus in *Museo Romano* nuper in hac Urbe recuso cum auctariis (sed suppresso nomine) ejusdem Patrui mei, T. II. p. 67. de hac Lucerna ait: „ Ineffabile sacrosanctae Triadis mysterium in hac eleganti Lucerna adumbrant Divini Platonis ideae, unitatem in triangulo aequilaterali, triplex verbum MONAC referente, quasi triplicem Personarum distinctarum numerum, aequalitatemque in una individua Sanctissimae TRINITATIS essentia designantes, a qua ΠΑΝΤΑ in circumferentia circuli, qui Mundi visibilis est imago.

INDICULUS Tab.II.Sec.II.

Hanc Unitatem non esse corpus, opinio est ipsius Platonis in Dial. 7. *de Repub.*, Marsilio Ficino teste; cum illa in partes dividi nequeat, sed potius multiplicetur per se ipsam: siquidem pars quaelibet toto debet esse minor; nulla vero unitas, vel major, vel minor est unitate. Triplices numeros agnovere Pythagorici, lineares, planos, & solidos: de primis est triangulus aequilateralis in hac Lucerna expressus, qui a sola metitur unitate. Hoc unum indivisibile, simplicitate & bonitate constans, Deum esse fatetur sapientissimus Philosophus in Timaeo, Pythagorae opinionem secutus, qui *ἀρχὴν τῶν ἁπάντων μονάδα* asseruit, referente Laertio in ejus Vita, illudque rerum omnium Principium constituit; utpote quod simplicissimum esse debet, atque optimum: nihil autem vel unitate simplicius, vel melius bonitate; ut adnotat idem Ficinus in Tim. cap. 8. & seq. cujus adnotationes ad Lucernae nostrae dilucidationem mire faciunt. *Deum porro* (inquit Plato lib. de anima Mundi) *solamen videt in his omnibus sane rebus principem, auctoremque, & parentem bonum omnium*. Unde ipsam Divinitatem, & quia omnia supereminet, Unitatem; & quia per omnia exuberat, Bonitatem appellandam esse autumat. Ab hoc autem Uno infinito quidem, cum principio, & fine careat, super omnia, extra omnia, & in omnibus existente, cuncta provenire, & quasi circulo quodam, Mundi visibilis, ut jam diximus, imaginem referente, in idem, unde manaverunt, it●um remeare doctissime explicat Ficinus in lib. *de Amore* cap. 1. & seq. *Quis negat* (ait ille capit. 3.), *Deum centrum omnium merito nominari, cum omnibus insit unus penitus simplex, atque immobilis: cuncta vero ab ipso producta, multa, composita, & mobilia sint; atque ut ab eo manant, ita in eum instar linearum, & circumferentiae refluant*. Et mox, *atque ut centrum punctum ubique in lineis, & in toto circulo reperitur, perque punctum suum singulae lineae medium circuli tangant punctum; ita Deus omnium centrum, qui unitas simplicissima est, actusque purissimus, sese inserit universis*. Trinitatem triangulo designatam, rerum omnium mensuram esse, dixerunt Pythagorici; quorum opinioni assentitur idem Plato lib. 4. *de Leg.* „ *Verum enimvero Deus rerum omnium nobis sit mensura maxime*. Eam ob causam doctissime explicat Ficinus in praefatum librum *de Amore* cap. 1: *Quod Deus ternario numero res gubernat, atque etiam res ipsae ternario numero terminantur. Hinc Maronis illud*, numero Deus impare gaudet. *Nempe summus ille Auctor primo singula creat, secundo rapit, tertio perficit. Singula quoque in primis ab illo perenni fonte effluunt, dum nascuntur: deinde in eundem refluunt, dum suam illam originem repetunt: postremo perficiuntur, postquam in suum principium redierunt. Hoc vaticinatus Orpheus, Jovem principium, medium, & finem Universi vocavit*. Et hic continuus attractus a Deo incipiens, transiens in Mundum, & in Deum denique desinens, perfectissime circulo designatur, quippe qui in idem, unde manavit, iterum remeat.

158. Signum Aristotelis ex marmore Musei Capitolini, de quo supra num. *156*. Videsis Fulvium Ursinum *Imag. Viror. Illust.* Praef. Part. II, Bellorium *Illust. Philosoph.* Part. I. num. 8, Gronovium *Thes. Graecarum Antiq.* Vol. 2. fol. 90, & Museum Capitolinum Tom. I. Tab. VIII. pag. 10. Aristoteles, contra Platonis morem, radi, & tonderi solitus fuit. Capillos ejus admodum breves haec imago suspicienda praesefert, quales habuisse tradunt Aelianus *Var. Histor.* lib. 3. cap. 19, & Diogenes Laertius lib. 5. in principio; qui etiam, auctore Timotheo Atheniensi, addit, minutis oculis, & cruribus, macrumque, Aristotelem fuisse. Ejus Statuam Theophrastus in Templo collocari ex testamento jussit. Vide supra in Indiculo hujus Tabulae num. 55. cui illustrando conferunt ea, quae scribit Gronovius Volum. II. fol. 90. „ Aristotelis (inquit) *incomparabilis Viri duos Hermas invenis Ursinus, inscriptum habentes* ΑΡΙΣΤΟΤΕΛΗΣ ΝΙΚΟΜΑΧΟΥ ΣΤΑΓΕΙΡΙΤΗΣ, & ΑΡΙΣΤΟΤΕΛΗΣ Ο ΑΡΙΣΤΟΣ ΤΩΝ ΦΙΛΟΣΟΦΩΝ ΣΤΑΓΕΙΡΙΤΗΣ, *sed ambos sine capitibus. Caput, quod in summa Tabula positum vides, cum illis edidi, expressum e Tabella marmorea Neapoli Romam allata, & in Galliam deinde a Joanne Cardinale Bellayo translata; cujus antiquitatem notas & aliis rerum antiquarum peritis probatam, & in primis Hieronymo Ganimberto, cujus apud ipsum auctoritas valuerit plurimum. Id Caput videtur etiam depictum fuisse a Gallaeo; quia sub num. 35 Faber id ipsum describit, commendatque satis copiose. At num. 27 Gallaeus finxit Caput alterum, rasa scilicet barba; idque ipsum in sequentibus ab Fabro pro veriore laudatur, ut aetatis provectioris, quum rasura usus fuit; atque adeo rejicit priorem*

vultum

vultum. Summopere in his turbavit Bellorius, sustinetque scribere, nasum pene aquilinum esse in ea Imagine, quae barbam habet erasam; quod alienissimum ab vero. Ceterum priorem ex nostris censet minime perantiquam, sed, insigni mendacio, ab aliquo hujus vel superioris aevi sycophanta ex ingenio effictam. Citat quoque alias ejus Imagines, quas ego nullas novi. Hinc ista facies electa quoque est ad Diogenem Laertium. Quidquid sit, in ea non videtur ab Gallaeo satis expressus ille ΜΙΚΡΟΜΜΑΤΟΣ, *ut scribit eum fuisse Laertius; cuum par plane sit aliis. Etiam tot alios recenset idem Laertius isto nomine insignes Viros, ut illorum neuter potuerit fuisse noster Peripateticus.* Eusebius lib. xv. *Praep.* cap. 8, Cassiodorius, atque alii affirmare non verentur, multos excellentissimos, & sanctitate inprimis conspicuos Viros, maximeque eos, qui Scholasticam Eruditionem sequuti sunt, Aristotelicae Philosophiae subsidio ad sublimissimorum nostrae verae Fidei dogmatum cognitionem penitiorem pervenisse; quales sunt doctrinae de Deo &c. Sed ex Scripturis Sanctis, atque ex Patrum Traditione rerum Divinarum Scientia dimanat in sinum Ecclesiae, non ex placitis Philosophorum.

159. Christus bonus Pastor in figuris veteris Testamenti praesignatus, ex antiquo vitro in Romanis Arenariis effosso. Visuntur in eo Protoparentes Adam & Eva; Noe in Diluvio praeservatus; Abraham & Isaac ad Sacrificium parati; Sem, aut Japheth, qui pallium imposuerunt humeris suis, &, incedentes retrorsum, operuerunt verenda patris; Moses aquam virga eliciens e petra; Jonas projectus, voratus, & ad litus rejectus, ac sospes; denique idem requiescens sub cucurbita: qui omnes typus Christi fuerunt, & Ecclesiæ, ut diximus in Indiculo Tab.III.Sæc. I. num.44. Tab.I.Saec.II. num.27. & Tab.II. Saec.II. n.16.17.2.& 22. Hujusmodi aliqua vitrea fragmenta exhibuerunt nobis Bosius, Severanus, & Aringhius in *Roma Subter.*, Bonarrotius quoque nonnulla: & similia eorum sunt, quae edidit Boldettus. Vide Petrum Bellorium in *Observationibus ad Veteres Lucernas* Parte III. Tab. 29 apud Gronovium Tom.XI. pag.99, & Prolegomena Tom.III. *Anast. Bibliothec.* pag. xxvi. Ut Christi boni Pastoris Imaginem pro meritis illustremus, Sacrae Pagine sunt adeundae. *Ezech.* xxxiv.11. *& seq.* legitur,, Haec dicit Dominus Deus, ecce ego ipse requiram oves meas, & visitabo eas: sicut visitat pastor gregem suum in die, quando fuerit in medio ovium suarum dissipatarum, sic visitabo oves meas, & liberabo eas de omnibus locis, in quibus dispersae fuerint in die nubis & caliginis, & educam eas de Populis, & congregabo eas de terris, & inducam eas in Terram suam, & pascam eas in montibus Israel, in rivis, & in cunctis sedibus Terrae. In pascuis uberrimis pascam eas, & in montibus excelsis Israel erunt pascua earum: ibi requiescent in herbis virentibus, & in pascuis pinguibus pascentur super montes Israel. Ego pascam oves meas, & ego eas accubare faciam, dicit Dominus Deus. Salvabo gregem meum, & non erit ultra in rapinam, & judicabo inter pecus & pecus. Et suscitabo super eas Pastorem unum, qui pascat eas servum meum. *Matth.* xxv. 32. 33. Congregabuntur ante eum omnes Gentes, & separabit eos ab invicem, sicut pastor segregat oves ab haedis: & statuet oves quidem a dextris suis, haedos autem a sinistris. *Matth.* xxvi. 31, Tunc dicit illis Jesus, omnes vos scandalum patiemini in me ista nocte. Scriptum est enim, percutiam Pastorem, & dispergentur oves gregis. *Et Marc.* xiv. 27. *Joh.* x. 11. *& seq.* Ego sum Pastor bonus. Bonus Pastor animam suam dat pro ovibus suis: mercenarius autem, & qui non est pastor, cujus non sunt oves propriae, videt lupum venientem, & dimittit oves, & fugit: & lupus rapit, & dispergit oves: mercenarius autem fugit, quia mercenarius est, & non pertinet ad eum de ovibus. Ego sum Pastor bonus, & cognosco oves meas, & cognoscunt me meae. Sicut novit me Pater, & ego agnosco Patrem, & animam meam pono pro ovibus meis. Et alias oves habeo, quae non sunt ex hoc ovili: & illas oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet unum ovile, & unus Pastor. *Hebr.* xiii. 20, Deus autem pacis, qui eduxit de mortuis Pastorem magnum ovium in sanguine Testamenti aeterni, Dominum nostrum Jesum Christum, aptet vos in omni bono. I. *Petr.* II.25, Eratis tunc sicut oves errantes, sed conversi estis nunc ad Pastorem, & episcopum animarum vestrarum. I. *Petr.* V. 4, Cum apparuerit Princeps Pastorum, percipietis immarcescibilem gloriae coronam. *Atque haec de bono Pastore sint satis.*

160. Semisiclus æreus Judaicus, in cujus antica, quam heic exhibemus, visuntur duo manipuli, quibus imminet spica. Hos inter medium extat vitis folium, seu botrus, cum epi-

INDICULUS Tab.II.Sec.II.

epigraphe pene deleta, quae sic Latine sonat, DIMIDIVM SICLI. In postica vero cernitur palma frugifera, atque ad ejus latera sunt bini modii fruge referti, seu binae Turres pinnatae, cum hac inscriptione OB LIBERATAM ... Reliqua legi nequeunt. Manipulis, spicis, & botro, Soli Judaici, Terraeque Promissionis fertilitas designatur. Palma Judaeae symbolum est. Si duae Turres sunt, quae ad Palmae latera assurgunt, dici potest, hunc Nummum fuisse cusum in honorem Judae Machabæi: ipse enim duas Hierosolymae Turres, in quibus se muniverant Idumaei, viriliter dimicando coepit, ut animadvertit Calmettus in Lexico, qui hunc, & sequentes Judaicos Nummos typis æreis exhibuit, atque erudito Commentariolo illustravit.

161. Nummus æreus Judaicus. In antica, quam heic exhibemus, cernitur Tentorium cum epigraphe, ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΓΡΙΠΠΑ. In postica vero visuntur tres palmae frondosae rami, seu potius tres spicae, positae inter literas L. S. Hic Nummus Agrippae est, eoque Tabernaculorum Festum apud Judaeos celebre designatur. Id comprobant partis posticae rami cum suis foliis, seu flavae ac virentes spicae, symbolum Festi Paschalis, quo messis, & terrae fructuum primitiae Domino offerebantur.

162. Nummus æreus Judaicus. In antica, quam heic exhibemus, cernitur cassis crinibus equinis cristata more bellico, cum epigraphe ΕΘΝΑΡ. hoc est *Ethnareha*, seu *Gentis Praefectus*. In postica vero visitur racemus pampino adhaerens, cum epigraphe ΗΡΩΔΟΥ. Hic Nummus est Herodis Ascalonitae, vel Herodis ejus filii, cognomento Antipae, qui forte, ad liniendos Judaeorum animos Regis titulum odio habentes, illum tantum usurpavit titulum Principis Nationis, utpote popularem, & Judaeis magis acceptum, atque ab ipsis jam antea tributum Simoni.

163. Quarta pars Judaici Sicli argentei. In antica, quam heic exhibemus, duae cernuntur columnae cum epigraphe, OB LIBERATAM IERVSALEM: in postica vero uvae racemus cum epigraphe, cujus tres tantum postremae nominis Simonis literae hodie supersunt. Hic Nummus pertinere videtur ad Simonem, qui Summus Sacerdos, Dux, & Princeps Judaeorum fuit. Huic (ut in decimoquinto Machabaeorum libro habetur) Antiochus Demetrii filius jus cudendi æris dedit. Typus forte indicat Columnas illas ab Israelitis in Monte Sion erectas, in quibus fuerunt Tabulis æreis incisa praecipua beneficia, quibus tum Simon, tum ejus pater, ac fratres Populum sibi devinxerant. Ea ut rependerent Judaei, summum Nationis Pontificem, ac Principem renunciarunt Simonem, ejusque successores in perpetuum: *Consenserunt eum esse Ducem, & Summum Sacerdotem in aeternum, donec surgat Propheta fidelis*, ut legitur 1. Machab. 14. 41.

164. Quarta pars Judaici Sicli argentei. In antica, quam heic exhibemus, Lyra visitur cum epigraphe, OB LIBERATAM IERVSALEM. Postica vero racemum exhibet: nunc supersunt in inscriptione primae tantum, atque postremae nominis *Simonis* literae, reliquis exesis ac detritis. Hic quoque Nummus Simonis est, cujus argumentum in primo Machabaeorum libro cap. 13. ver. 51. describitur. Etenim ibi legitur, Simonem, capta Arce Templo proxima, hostem expulisse; & in eam (palmae ramos gestando) tympanis, fidibusque personantibus, fuisse ingressum. Postica botrum repraesentat, quo racemi, e vitibus aureis, Templi portam adornantibus, pendentes facile designantur; vel (si mavis) racemi illi, a Josue & Caleb e Terra Promissionis delati, & in pluribus Judaeorum Numismatibus cusi, teste Calmetto. His Ethnica superstitio, Judaeorum Historiae, ac mysteriorum ignara, Judaeos tanquam Bacchi cultores quandoque traduxit.

165. Quarta pars Sicli Judaici ærea. In antica, quam heic exhibemus, visitur scyphus, cum inscriptione, REDEMPTIONIS IOB. Postica vero erectum inter duos racemos manipulum exhibet cum epigraphe, ANNO QVARTO. Hic item Nummus Machabaeorum est; quos Deus, uti Jobum a Diabolo, ab Antiochi, aliorumque Syriae Regum insidiis, ac dura servitute liberavit. Machabaei, adepta nuperrime libertate, symbolice & per enigmata locuti videntur in hoc Nummo, ne odio essent Principibus, quorum jugum excusserant; neve apud finitimas Gentes illorum Nummorum usus inhiberetur.

166. Quarta pars Judaici Sicli ærea. In antica, quam heic exhibemus, visitur vas cum literis, ANNO SECVNDO: in postica vero vitis folium cum epigraphe, LIBERATIONIS IOB. Hic quoque Nummus Machabaeorum est, de quo vide supra num. 165.

167. Quarta Judaici Sicli pars ærea. Antica,

tica, quam heic exhibemus, vas habet, seu urceum, & palmam cum epigraphe, OB LIBERATAM IERVSALEM. In postica vero intra coronam ex ramis palmarum legitur, SIMON: at ultima syllaba est male scalpta. Ad intelligendum hunc Nummum, legenda sunt capita 13. & 15. primi Machabaeorum libri. In decimoquinto namque narratur, Antiochum Demetrii filium Simoni Judae Machabaei fratri tum Summo Pontifici & Judaeorum Principi scripsisse, eique jus cudendi æris dedisse: *Permitto tibi facere percussuram proprii Numismatis in Regione tua*. Et capite 13. vers. 36, Demetrius sibi missam auream coronam, & aureum palmae ramum (id autem erat solvi a Judaeis solitum tributum) refert. Quod Simonis munus Demetrii animum adeo devinxit, ut hic cum Judaeis pacem iniverit, eisque non solum coronam auream sibi quotannis debitam, sed etiam aliud quodcumque tributum sponte remiserit. Quare Simon, qui Summus Sacerdos, Dux, & Princeps Judaeorum erat, hos Nummos ære feriundos curavit, proprium nomen intra coronam ex una parte praeferentes, ex altera vero palmam, & vas, Sicli vulgarem typum, & symbolum Sacerdotii.

168. Quarta Sicli Judaici pars, cujus meminit Isaias cap. 9. vers. 8. Anticam heic exhibemus, in qua litera *Daleth* scypho superimposita cernitur, cum epigraphe QVADRANS SICLI ISRAEL.

169. Tertia Judaici Sicli pars. Hic est census, quem Populo indixit Nehemias, *Nehem.* 10. 32. Antica pars, quam heic exhibemus, scyphum exhibet, supra quem est numeralis litera *Ghimel*, quae tertiam partem Sicli designat, cum epigraphe TRIENS SICLI ISRAEL. In postica vero legitur, IERVSALEM SANCTA.

170. Nummus Faustinae Senioris cum epigraphe in antica, DIVA AVG. FAVSTINA. *Caput Faustinae*: in postica vero, quam heic exhibemus, PVELLAE FAVSTINIANAE. *Imperator stans in suggestu: ex adverso sedet mulier ad mensam nummulariam, adstante altera: in imo plurimae figurae, quarum duae puellas habent in manibus*. Diversi occurrunt puellarum Faustinianarum typi: amplior quidem, ex auro habetur. Antoninus Aug. (qui teste Capitolino, *Puellas alimentarias in honorem Faustinae Faustinianas constituit*) stat præsens in suggestu, & nomina earum, quae ad frumentationem admittit, Matronae Romanae eas scribenti dictat. Vide Vaillantium *Num. Imp. Rom.* Tom. 2. pag. 166. & 168. ac Museum Theupolum Tom. I. pag. 190.

171.
172. } Nummus Faustinae senioris. In antica (posita n. 171) legitur, DIVA AVGVSTA FAVSTINA. *Caput Faustinae velatum*. In postica vero (num. 172) visitur *Simulacrum Matris Deum, sive Idaeae, Romam advectum super triremi per Tiberim, exceptumque a Claudia Vestali Matronis stipata, quarum duae faces gerunt*. Vide Vaillant. *Num. Imp.* To. 3. pag. 132. & 133. Mater Deum, sive Mater Idaea, Cybeles erat, testimonio Romanae tabulae, quam affert Sertorius Ursatus de *Notis Romanorum*, apud Graevium Tom. XI. pag. 677.

C. CAMERIVS
CRESCENS
ARCHIGALLVS . MATRIS
DEVM . MAGNAE . IDEAE . ET
ATTIS . POPVLI . ROMANI
VIVVS . SIBI . FECIT . ET
C. CAMERIO . EVCRATIANO . LIB
SVO . CAETERIS . AVTEM . LIBERTIS . VTRI
VSQVE . SEXVS . LOCA . SINGVLA
SEPVLTVRAE . CAVSA . H. M. H. E. N. S.

Magnam item Matrem, & Matrem Deum dictam fuisse, norunt in Deorum antiquitate versati, cujus historiam describunt *Fulgentius Placiades Mythologicorum* lib. 3, *Albericus Philosophus de Deor. Imag.* & *Lilius Gregorius Giraldus Hist. Deor. Syntag.* 4. Plures extant hujus Faustinae Majoris nummi cum epigraphe, SIDERIBVS RECEPTA, vel DIANA LVCIFERA. In postica parte nummi maximi moduli Bibliothecae Vaticanae apparet Diana cum face. In alio autem nummo expressum cernitur Faustinae Caput, cum epigraphe in antica, DIVA AVGVSTA FAVSTINA; in postica vero MATRI DEVM SALVTARI. *Faustina in Templo collocata, cum insignibus Matris Cybelis*. In curru hujus Deae a duobus leonibus tracto Faustina sedet turrito capite in nummo apud Begerum. Patinus alium Nummum Faustinae exhibet pag. 232, cum Graeca epigraphe. Rarissimus ipse est, Deamque Faustinam celebrat, & ejus filium Marcum Annium Galerium Antoninum, cujus in nullo alio monumento aut effigiem, aut titulos offendi. Cl. Tristanus illum primus vulgavit. Hunc Antonini Imperatoris filium

INDICULUS TAB.II.SEC.II.

lium fuisse inscriptio nummi demonstrat, quem ante adolescentiam mortuum esse ex Historicorum silentio verisimile est. Commemorat Capitolinus, *Antonino fuisse filios mares duos, duas autem feminas*. Nota mihi videtur illa Inscriptio, quae legitur apud Gruterum pag. 261. 3. & refertur ab eodem Patino de *Num. Imp. Rom.* p. 231. aliisque magni nominis Antiquariis, habetque:

MEMORIAE
DIVAE . FAVSTINAE . AVG.
PIAEQ. CLARISSIMAE
RELICTA . MATRE
INFELICISSIMA
VIX. ANN. XXXVI. MENS. III.
DIEB. XI.

Sed, ut ut sit de ejus germanitate, juniori Faustinae convenire minime potest, ut animadvertit Vignol. *de Columna Antonini* p. 137; haec matri superstes fuerit; ibi vero mater superstes filiae dicatur. Ejus matris nomen, & si in hoc lapide reticeatur, attamen ex Capitolino in vita M. Aurelii cap. 1. satis constat, eam Rupiliam Faustinam fuisse Rupilii Boni viri Consularis filiam, atque Annii Veri M. Aurelii avi uxorem. Quamvis igitur haec senior etiam Faustina parum quidem secunda fama vixerit (nam *de ea multa*, inquit idem Capitolinus in Antonino Pio c. 3 *dicta sunt ob nimiam libertatem, & vivendi facilitatem, quae iste*, nempe Antoninus, *cum animi dolore compressit*); is tamen tantusque erat amor, quo Antoninum omnes prosequebantur, ut, illa mortua, eodem Capitolino teste, *a Senatu consecrata sit, delatis Circensibus, atque Templo, & Flaminicis, & Statuis aureis, atque argenteis*. Quae quidem omnia ex veterum monumentorum fide comprobantur. Circenses namque ei delatos, & Nummus, in quo thensae a duobus Elephantis tractae, supra quas dextra sceptrum gerens cerea ipsius Faustinae imago sedet, & perrarus alius nummus (apud Vignolium) primae magnitudinis, atque optime servatus, manifeste declarant &c. De Flaminicis praeterea Faustinae Senioris Sacerdotibus, quarum Capitolinus superius meminit, vetus extat Inscriptio apud Gruter. pag. 322. 5.

SAENIAE . CN. FIL
BALBILLAE
SACERDOTI . DIVAE
FAVSTINAE . DECVRI
ONES . AERE . COLLA
TO. OB. MERITA. EIVS.

Et pag. 1088. 11.

LEPIDIAE . L. F. PROCVLAE
SACERDOTI . DIVAE . FAVSTINAE . AVG.
ET . DIVAE . MATIDIAE . AVG. D.D.P.
PECVNIA . AB. EA . REMISSA.

Templum vero ei extructum, tum nummi, in quibus scalptū cernitur cum hac epigraphe, AEDES. DIVAE .FAVSTINAE, vel cum alia, DEDICATIO . AEDIS: tum ejusdem Templi porticus, quae in Via Sacra etiamnum superest, abunde satis testantur. Ibi enim inscriptum fronti legitur:

DIVO . ANTONINO . ET
DIVAE . FAVSTINAE.

Quae sane literae, quum post mortem ipsius Antonini incisae ibi fuerint, manifestum proinde est, Templum illud, quod uni tantum Faustinae antea excitaverat, communi postea illius, & Antonini nomine denuo Senatum dicasse. Supra ceteros vero honores, qui Faustinae post mortem collati fuere, is notatu dignus esse videtur, quod nummi quoad Pius vixit, in ejus memoriam publico Senatus Decreto cusi fuerunt, ut ex ingenti illorum copia, in quibus DIVA inscribitur, deduci omnino debet. Quod miror, Angelonium non satis animadvertisse; quum potius existimandi occasionem inde sumpserit, Faustinam Divinos titulos in vita etiam obtinuisse. Haud dissimili allucinatione Stephanus Zamusius in Analect. Lapidum Daciae, quae Commentariis de Republica Romana Wolfangi Lazii accedunt pag. 44. idem prorsus de alterius Faustinae hujus filiae nummorum ejusmodi frequentia est opinatus. Velum praeterea Faustinae capiti impositum in hoc marmore, quod illustramus, cernitur: quod, ut liquet, in consecratis Romanis Principibus feminis pro illarum Consecrationis argumento accipitur. Nam, etsi quandoque in nummis illud fuerit praetermissum, nulla tamen Augustarum mulierum, quin consecrata fuerit, velata occurrit: si modo Liviam Augusti uxorem, Antoniam C. Caesaris Caligulae aviam, & Agrippinam Neronis matrem excipias: quarum prior sub Pietatis, vel alterius Deitatis symbolo vivens adhuc, ac nondum ei Divinis

nis honoribus a Claudio impetratis, æri velata cernitur: reliquae vero, licet nunquam inter Divas relatae, & ipsae nihilominus capita velo obducta in nummis ostendunt; Antonia scilicet, quia Augusti Sacerdos, omnesque, ut Dionis lib. 59. Vestalium honores ei fuerant a Caligula delati; & Agrippina, quia, Liviae exemplo & ipsa Claudii sui viri Sacerdos fuerat, ut ex Tacito lib. 13. *Annal.* cap. 11. satis superque liquet. Caput vero ita velatum, quod feminis in vita, Sacerdotii; post mortem, earum Consecrationis indicium erat: in Augustis tamen Viris, vivis aeque, ac mortuis, nihil aliud, quam summi Sacerdotii dignitatem, qua functi fuerant, praeseferebat, usque scilicet ad Constantii Chlori tempora, post quae consecrati deinde Imperatores nonnulli velari coeperunt, sicuti ex eorum nummis liquido patet, ejusdem praecipue Constantii, Maximiani, & Costantini Magni, de cujus velamine multa ad annum 337. illustrissimus Ecclesiasticorum Annalium Scriptor Baronius literis consignavit. Haec ex Vignolio.

173. Signum Marci Aurelii Imp. ex marmore Musei Capitolini. Xiphilinus lib. 17. ait, M. Aurelium corpore gracili, infirmoque fuisse: quare usus est opera Galeni Pergameni Medici suo tempore clarissimi: Et Aurelius Victor *Epit.* pag. 207. *a principio*, inquit, *vitae* ejus *tranquillissimus* fuit, *adeo ut ab infantia vultum nec ex gaudio, nec ex moerore mutaverit*. Tres hujus Imperatoris Protomae adservantur in eodem Museo Capitolino, ut scribit Cl. Praesul Jo. Bottarius Tom. I. Tab. 26. pag. 20. Bellorius Parte I. num. 33 *Imaginum Illustrium Virorum* aliam Protomen nobis exhibet pulcherrimam, & excellentissimam, justoque majorem, quae visitur usque ad hanc diem in Villa Excellentissimorum Principum Burghesiorum. Capitolinus in Marci Aurelii Vita cap. 18. scribit: *sacrilegus judicatus erat, qui ejus imaginem in sua domo non habuit, qui per fortunam vel potuit habere, vel debuit*. Addit deinde, sua aetate Statuas hujus Imperatoris a multis collocatas fuisse inter Deos Penates. Eruditissimus P. Mamachius Tom. I. Lib. II. *Originum & Antiquitatum Christianarum* cap. 4. §. 2. num. 6. pag. 434. de M. Aurelii in Christianos Persecutione ait: *Etsi autem sciebat, Christianos in jus vocari, inque summum cruciatum Plebis, Praesidumque improbitate venire solere; tamen non solum eorum impetum non repressit, sed etiam nostros, quasi pervicaces obstinatique, manere in sententia, quam eam abjicere auderent, merito puniri existimabat. Igitur cum tam esset male in nostros homines animatus, eos, quoad vixit, torqueri, laniari, extremoque supplicio, ni Christum negassent, affici permisit. Cumque seditione plebis, ejusque viri improbitate, qui Viennensi Galliae praefectus erat, plerique Christiani condemnati necis fuissent, consultusque ipse deinde esses, quid de ceteris, qui superstites erant, statuto opus esse judicaret; non solum in auctores seditionis non animadvertit; sed etiam, ut* Confessores, *qui in carcere detinebantur, necarentur, praecepit &c.* Inter alios eo Imperante, *Polycarpum auditorem Johannis Evangelistae, Smyrnarum Praeses flammis exuri praecepit*. Et Tom. II. lib. II. cap. 21. §. 4. pag. 249. addit, M. Aurelium post crudelem in Christianos Persecutionem, tandem Christianis favisse: *Antonino Pio* (inquit) *Imperio, atque vita functo, Marcus Aurelius Antoninus, etsi rogatus a nostris etiam atque etiam fuisset, ut Ethnicis, qui Provinciis praefecti erant, modum saeviendi in Christianos, quos innocentes esse cognoverant, facere, rescindique Decreta, quae ab ipso publicata esse dicebantur, juberet; tamen annuendum non putavit, quoad virtutem eorum Marcomannici belli tempore perspexit. Itaque hoc Principe multi exagitati, spoliati, populique rogatu bestiis objecti, & lacerati, interfectique Christiani fuerunt. Sed prodigio permotus, sic esse plectendos delatores Christianorum sanxit, ut etiam ii, quorum esset nomen ad Judices delatum, poenas abjectae superstitionis Deorum luerent*. Vide Tertullianum *in Apolog.* cap. V.

174. Inscriptio Impp. Marci Aurelii, & Lucii Commodi. Extat Romae in Viridario Nobilium Caesiorum in Carinis, fuitque e Via Salaria adducta, ut adnotavit Gruterus p. 199. num. 6. Anno Christi 176 Marcus Aurelius ex Oriente Romam reversus, filio Commodo appellato Imp. Augusto, die v. Kal. Decemb. una cum eodem de Germanis & Sarmatis triumphavit. His Populis devictis, pax in Imperio sancita est, annoque sequenti continuata, ut ex Nummis liquet, quos refert Pagius in Critice ad annum Christi 177. num. x.

175. M. Aurelii Imp. Victoria de Marcomaonis parta, atque imbres e Caelo impetrati precibus nostrorum militum Christianorum.

Visa

INDICULUS TAB.II.SEC.II.

Visitur in ejus Columna cochlide Marcomannici belli gestis anaglyptico opere insculpta. Hermannus Witsius an. 1683. edidit Amstelodami Diatribem, *de Legione Fulminatrice Christianorum sub Imperatore M. Aurelio Antonino*, in qua, ad conciliandam huic historiae fidem, argumenta, quae ex Ethnicis in contrarium afferuntur, elidit. Vide Baronium ad annum Chr. 176, & Pagium in *Critice* ad annum 174. Natalis Alexander *Hist. Eccl.* Sacc. II. cap.v. pag. 347. num. IV haec ad rem nostram literis commendavit: *Post Antoninum Pium imperavit Marcus Aurelius Antoninus Verus ejus gener. Tum primum duo Imperatores, Augusti nomine Rempublicam gesserunt. Adoptavit enim Aelium Verum, cui Lucillam filiam collocaverat, & Imperii participem fecit*: „ *Tantumque hujus rei & novitas, & dignitas valuit, ut Fasti Consulares nonnulli ab iis sumerent ordinem Consulum* (inquit Spartianus „). *Ambo ad undecimum annum communiter imperarant: ambo de Parthis communiter triumpharunt. Suscepto ab iis bello Marcomannico, Verus in ipsa profectione obiit, anno Regni sui 4, sive* (*ut quidam putat*) a, ut habet Eusebii Chronicon. *Solus itaque cum Marcomannis, quibus Quadi*, W*andali*, *Sarmatae*, *Suevi, ac Barbari omnes se adjunxerant, Marcus Aurelius triennio dimicavit. Eo in bello, cum siti opprimeretur ac pene deficeret exercitus, Melitina Legio, quae Christiana erat, laborantem pluvia divinitus impetrata recreavit, fulminibus in Germanos, & Sarmatas mugientibus, & ruentibus, quibus in fugam versi sunt, & magna ex parte interempti. Hinc Legio illa Fulminatrix appellata est. Istud miraculum agnovit Marcus Aurelius, & ob id Christianos conquiri vetuit, eisque aditum publicus ad Dignitates patefecit. De his legendus Tertullianus* Apologetici *cap.* 5. *dicens*: „ *Ceterum de tot exinde Principibus ad hodiernum, divinum, humanumque sapientibus, edite aliquem debellatorem Christianorum. At nos e contrario edimus protectorem, si literae Marci Aurelii gravissimi Imperatoris requiruntur, quibus illam Germanicam sitim, Christianorum forte Militum precationibus impetrato imbre, discussam, contestatur. Sicut non palam ab ejusmodi hominibus poenam dimovit, ita alio modo palam dispersit, adjecta etiam accusatoribus damnatione, & quidem tetriore.* Eusebius quoque in Chronico: *Imperator Antoninus multis adversum se nascentibus bellis, saepe ipse intererat, saepe Duces nobilissimos destinabat, in quibus semel pertinaciter exercitui, qui cum eo in Quadorum regione pugnabat, siti oppresso pluvia divinitus missa est; cum e contrario Germanos et Sarmatas fulmina persequerentur, et plurimos eorum interficerent. Extant literae M. Aurelii gravissimi Imperatoris, quibus illam Germanicam sitim Christianorum forte militum precationibus impetrato imbre discussam contestatur.* Idem lib.v. Histor. Ecclesiast. cap. 5. *Igitur Antonini temporibus, quibus haec gesta referantur, M. Aurelium fratrem ejus Caesarem, bella inferentem Germanis, & Sarmatis, tradunt historiae, cum siti ejus periclitaretur Exercitus, aestuantem & quaerentem quid facto opus esset, reperisse quosdam milites Christianos, quibus, ut nostris mos est, flexis genibus deprecantibus, exaudisse Deum deprecationes eorum. Et subito contra omnium spem largissimis imbribus profusis, exercitus quidem periclitantis, pro quo oraverant Christiani, sitim sedatam; hostes vero, qui jam exitialiter imminebant, fulminibus crebris, & caelitus prolapsis ignibus effugatos. Quod factum refertur quidem & ab historicis Gentilium. Sed, quia nostrorum orationibus impetratum sit, non refertur; quippe apud quos etiam cetera miracula, quae a nostris gesta sunt, non habent fidem. Nostrorum vero & Tertullianus hoc memorat, & apud Graecos Apollinaris; qui etiam ipsam Legionem pro insignis facti miraculo mutato nomine vocitatam dicit ab Imperatore Fulmineam. Tertullianus vero M. Imperatoris Epistolas etiam nunc haberi dicit, quibus de his apertius indicatur* Lib. IV. cap. 12. Nicephorus de hac ipsa re scribit: *Cum M. Antoninus bellum contra Germanos & Sarmatas gereret, aciemque adversus hostes strueret, exercitum ejus omnem, propter sitim gravem & diuturnam, ad rerum omnium inopiam & desperationem pervenisse, ac Legionem nostram in genua more nostro procubuisse, precantem, atque Dei opem implorantem: eamque rem, ut novam & insolitam, hostibus terrorem ingentem incussisse; atque illis ad eum modum orantibus, aliud insuper majus praeter opinionem & expectationem accidisse. Cum enim frequentibus fulminum ictibus hostes pulsos, tum quod ea sunt subsecuti multa densorum imbrium in exercitum jamjam siti & aquae penuria interiturum, recreatum & restitutum esse. Tam efficaces scilicet nostrorum fuisse preces. Hanc rem profani etiam histo-*

rici

ritis tradidere, qui de Romanis Imp. scripserunt: non illi quidem precibus nostrorum miracula tanta adscribentes (quomodo enim id facerent, qui alienis prorsus a nobis sunt animis?); sed qui partium nostrarum sunt, aut nobis favent nulla depravati affectione, simpliciter & vere hominibus id factum nostris tribuunt. Ex quibus Apollinaris memoriae mandavit, Imperatorem statuisse, ut Legio ea, quae ex Christianis constaret militibus, praerogativa quadam principem in Exercitu obtineret locum, alisque semper praeiret copiis. Cui idem etiam Imperator nomen CERAUNOBOLI, *hoc est*, FULMINATRICIS *imposuit*: & quae sequuntur. Paulus etiam Orosius ejus rei ita meminit lib. VII. cap. 9. *Hoc quidem bellum providentia Dei administratum esse, cum plurimis argumentis, tum praecipue Epistola gravissimi ac modestissimi Imperatoris aleissime declaratum est. Nam, cum insurrexissent gentes, immanitate barbarae, multitudine innumerabiles, hoc est Marcomanni, Quadi, Vandali, Sarmatae, Suevi, atque omnis pene Germania; & in Quadorum usque fines progressus Exercitus, circumventusque ab hostibus, propter aquarum penuriam, potius sitis, quam hostis periculum sustineret, ad invocationem nominis Christi, quam subito magna fidei constantia quidam milites effusi in preces palam fecerant, tanta vis pluviae effusa est, ut Romanos quidem largissime ac sine injuria refecerit; Barbaros autem crebris fulminum ictibus perterritos, praesertim cum plurimi eorum occiderentur, in fugam coegerit. Quorum terga Romani usque ad internecionem caedentes, gloriosissimam victoriam, & omnibus pene antiquorum titulis praeferendam, rudi parvoque militum numero, sed potentissimo Christi auxilio, reportarunt. Extare etiam apud plerosque dicuntur literae Imp. Antonini, quibus, sub invocatione nominis Christi, per Milites Christianos & sitim illam expulsam, & collatam fatetur fuisse Victoriam.* Joseph Castalio, qui mox relata Patrum, Historicorumque veterum testimonia congessit *in Comment. de Columna Triumphali Imp. Antonini* apud Graevium *Thesaur. Antiq. Romanarum* Tomo IV. pag. 1949. & seq., haec addit: Julius Capitolinus in M. Aurelio ait: *Fulmen de Caelo precibus suis contra hostium machinamentum extorsit; suis pluvia impetrata, qui siti laborarent.* Loquitur Capitolinus de Imperatore M. Aurelio, cui caeleste auxilium acceptum refert homo nimirum Gentilis, & a religione nostra prorsus abhorrens, qui Imperatori nihil tale agnoscenti blandiri maluit, quam secundum Christianos pronuntiare. Longe gravius peccatum est ab ejusdem farinae homine Dione, in Marci Vita, qui M. Aurelium Arnuphis Magi nescio cujus opera ad pluviam eliciendam usum esse comminiscitur: sed a Xiphilino reprehenditur: *Post haec*, inquit, *bellum cum aere, praeliumque magnum cum iis, qui Quadi appellantur, fuit. Quo ex bello victoria praeter spem, vel potius Dei beneficio, consequuta est; propterea quod Romani, cum essent in praelio, atque in maximum periculum venissent, mirabiliter sane ac divinitus conservati sunt. Cum enim interclusi a Quadis, in locis opportunis conserti pugnarent fortiter, atque interim Barbari differrent praelium, sperantes eos calore, & siti perituros, quos circum occupatis locis omnibus sic concluserant (erant enim multo plures), ut aquam habere nullo pacto possent, cumque Romani in tantas difficultates incurrissent, ut morbo, vulneribus, ardore solis, ac siti vexarentur, nec ob eas res pugnare possent, aut alio secedere, sed in acie stantes, atque in locis constitutis arderent, nubes de repente ita coactae sunt, ut maximus imber aquae ceciderit non sine Dei beneficio. Fama est, Arnuphin Magum Aegyptium, qui una cum Marco erat, Mercurium illum, qui est in aere, aliosque daemones quibusdam artibus magicis invocavisse, ac per eos pluviam extorsisse.* Haec quidem a Dione dicuntur. Sed is mihi mentiri videtur: volens, an invitus, nescio. Volentem tamen magis arbitror, cum non ignoret, Legionem, quae *Fulminatrix* appellatur proprio nomine (ejus enim mentionem facit in recensione ceterarum) ex nulla alia causa (neque enim alia circumfertur), quam ex ea, quae in eo bello accidit, id nomen accepisse, quae jam etiam tunc Romanis saluti, Barbaris exitio fuit. Non enim Arnuphis Magus erat, cum nusquam memoriae proditum sit, Marcum Magorum societate, aut praestigiis fuisse delectatum. Quod igitur in hac re dico, tale est: cum Marcus Legionem unam haberet ex militibus Melitenis (hi omnes Christum colunt), ad eum Praefectus Praetorianorum venit, nescientem in illo praelio quid consilii caperet, timentemque toti Exercitui: eique fertur dixisse, nihil esse, quod ii, qui Christiani nominantur, precibus impetrare non possint; esseque Legionem unam in exercitu hominum hujus generis. Qua re cognita, Marcum ab iis petiisse, ut Deo suo supplicarent. Quod

INDICULUS TAB.II. SEC.II.

cum fecissent, Denm exaudisse subito, percussisseque hostes fulmine, ac Romanos pluvia recreasse &c. Graeci quidem sciunt, eam Legionem κεραυνοβόλον appellari, ejusque rei testes sunt: causam vero cur ita appellata sit, non dicunt. Dio addit, *Romanos, cum plurimum pluviae caderent, omnes suspexisse in Caelum, eamque in ora recepisse, deinde scutis galeisque subjectis inde sorbuisse largiter, equisque ad bibendum dedisse: cumque Barbari in ipsos impetum facerent, bibentes simul pugnasse, compluresque saucios sanguinem infusum in galeas simul cum aqua absorbuisse. Hi propterea gravia damna accepissent urgentibus hostibus, quod magna ex parte in bibendo erant occupati, nisi vehemens grando, compluraque fulmina in hostes cecidissent. Itaque licebat in eodem loco aquam ignemque simul de Caelo cadere, atque ob eam causam valere alios, & bibere, exurique alios, & prorsus interire. Non enim ignis attingebat Romanos. Quod si forte interdum eum eis misceretur, extinguebatur subito. Neque imber juvabat Barbaros, sed non secus inflammabat atque oleum, itaut aquam requirerent pluvia persusi, infligerentque sibi vulnera, quo ignem sanguine restinguerent. Pars confugiebat ad Romanos, quasi illis tantummodo aqua salutaris esset, itaut eorum Marcus etiam misertus sit: eoque facto, a militibus septimum Imperator appellatur. Quod etsi admittere non consueverat, priusquam esset decretum a Senatu, tamen non repudiavit, quasi id divinitus acciperet, de quo etiam ad Senatum scripsit. Faustina quoque mater exercituum appellata est.* Haec Dio, & Dionis reprehensor Xiphilinus. Erat plane consuetudo, ut quaecumque Christiani Deum pro Populo Romano exorassent, ea Diis Gentilium accepta eeferrentne. Qua de re sic Tertullianus in Apolog. cap. 40. *Nudipedalia Populo denuntiatis. Caelum apud Capitolium quaeritis. Nubila de laquearibus expectatis, aversi ab ipso & Deo, & Caelo. Nos vero jejuniis aridi, & omnium continentia expressi, ab omni vitae fruge dilati, in sacco & cinere volutantes, invidia Caelum tundimus, Deum tangimus, & cum misericordiam extorserimus, Juppiter honoratur.* Quare Cl. Huetius *Demonstr. Euang.* Peoposit. III. pag. 33. luculentissime ostendens, non Marcum Imperatorem Christianae Fidei hostem, sed nostros Cheistianos milites pluviam e Caelo, & fulgura tunc precibus impetrasse; sempee inhaerens vestigiis Sceiptorum, quos paulo superius recitavi, haec addit: „ Mox, ut adolescere coepit Ecclesia, petpeteata a Christianis miracula Scriptores coetanei memoriae tradiderunt. Velut insigne illud, quod Marco Aurelio adversus Marcomanos, & Quados pugnanti contigit, cum Romaoo Exeecitui, angustiis locorum presso, & aquae penuria laboranti, imbres de Caelo Christiani milites impetraeunt, dum grandine, & fulminibus copiae Barbarorum obruerentur. Id Matcus ipse Imperator, liteeis suis ad Senatum datis, publice testatus est. Itaque in Christianae causae patrocinium, miraculum hoc jactasse Apollinarem Hierapolitanum Episcopum, scribit Ensebius (Hist. lib. IV. cap. 26. & 27.), in suo nempe, uti conjicio, ad Marcum Impeeatorem Apologetico. Rem tanquam vulgo cognitam & creditam refert Tertullianus in libello supplici ad Scapulam Africae provinciae Praesidem; auctoritate etiam literarum Marci Aurelii confirmat in Apologetico ad Romani Imperii Antistites. Quod sane facere non essent ausi, vel Apollinaris, vel Tertullianus, si res dubia fuisset, aut liteeae suppositae. Eusebius, Orosius, & Xiphilinus, extare illas sua cujusque aetate ex aliorum quidem fide narrant; at Hieronymus in interpretatione Euseb ani Chronici, non ex aliorum relatu, sed velut rem sibi compertam asseveeat. Ne id quidem fecissent Tertullianus, aut Apollinaris, si prodigii hujus Auctor fuisset vel Aegyptius ille magus Arnuphis, quemadmodum Dion aut a se aut ab aliis confictum prodidit; vel Julianus Magus alter, quem mieaculi hujus effectorem a quibusdam dictum fuisse ait Suidas. Adscribit Julius Capitolinus Marci Impeeatoris pietati & precibus, Antonini Pii Themistius patrem cum filio confundens, qui & eum in Tabula quadam depictum vidisse se narrat, cum imbres de Caelo posceret, & impetraret; milites vero exciperent galeis, & potarent. Utris tribuat, Magisne, an Marco, dubitat Claudianus: sic enim ait,

Chaldaea mago seu carmina ritu
Armavere Deos: seu, quod reor, omne Tonantis
Obsequium Marci mores potuere mereri.

Lampridius in Heliogabalo; *quum Marcomanis bellum inferre vellet, quos Antoninus pulcherrime profligaverat, dictum est a quibusdam, per Chaldaeos, ac Magos Antoninum Marcum id egisse, ut Marcomani Populo Romano semper devoti essent, atque amici:* idque

idque factum carminibus, & consecratione. Facile equidem Baronio assentior, suspicanti Christianorum precibus concessum a Deo beneficium, Magis tribui ab Ethnicis, qui Christianos magiae insimulabant. Probari potest haec conjectura proxime allatis Lampridii, & Claudiani suffragiis: quos enim Magos appellant, ipsi videntur esse Christiani: nam Ethnici, rerum ad Christianos pertinentium imperiti, Christianos a Judaeis neutiquam distinguebant: Judaei autem Chaldaeorum progenitorum suorum nomine noscebantur. Hinc Philo libros sacros ex Chaldaica lingua conversos fuisse ait. Hinc oraculum vetus, quod referunt Justinus, & Eusebius:

Soli Chaldaei sapientiam sortiti sunt, & Hebraei,
Pure colentes Deum Regem per se genitum.

Chaldaei & Hebraei, ἐν ἑνὶ ὄνομα. Chaldaei enim proprie dicti vanissimis Religionibus dediti erant. Priscianus in Periegesi Judaeos appellat,

Chaldaeo nimium decoratam sanguine gentem,
Arcanisque Dei celebratam legibus unam.

Verum hos perperam cum Phoenicibus confundit. Adde Magorum praestigiis nunquam delectatum fuisse Marcum: quod de eo Xiphilinus, & ipse quoque de se Marcus affirmat in aureo Libello *Praeceptorum sibi traditorum*. Habetur harum Marci literarum ad Senatum exemplar apud Justinum ad calcem Apologiae Secundae; sed ejus *falsitatem & suppositionem*, tum etiam novitatem, quod Justiniano recentius sit, tot argumentis approbarunt Viri eruditi, & Criticae artis principes, Josephus Scaliger, & Salmasius, ut nihil contra opponi possit.

INDICULUS

TABULAE TERTIAE SAECULI SECUNDI

SIGNATAE B.7. B.8. B.9. B.10.

1. Effigies S. Joannis Euangelistae, qui decimo quarto post Neronem anno Imperium ineunte, ac totidem post annis Ecclesiam persequente Domitiano, in Pathmos Insulam relegatus, sub Nerva Principe Ephesum rediit, ac totas Asiae fundavit, rexitque Ecclesias. Prodit ex antiquo Musivo Lateranensi, in quo S. Apostolus exhibetur, quando ab Epheso Romam perductus, & ante Portam Latinam in olei ferventis dolium missus est, sed minime laesus. Vide Tertullianum *de Praescriptionibus* cap. 36, Eusebium *Hist. Eccl.* lib. 3. cap. 7, & Sanctum Hieronymum contra Jovinianum. Ciampinius in Opere, quod inscripsit *de Sacris Aedificiis a Constantino Magno constructis* pag. 13. Tab. 2. hanc S. Joannis effigiem, quam exhibemus, ita describit: *Figura VIII & ultima, quae itidem est corrosa, Apostoli, & Euangelistae Joannis alterius Ecclesiae Patroni cruciatus exhibet, quibus saevissimo Domitiani jussu, secunda post Neronianam procellam Persecutione, in Christifideles excitata, tortus est ante Portam Latinam, juxta quam surgit Aedicula orbicularis aeneae ollae custos, in quam oleo ferventissimo exaestuantem immissus, ac inde incolumis extractus fuit. In hac ipsa Aedicula ac interiori pariete supra portam vetus est Inscriptio, quae quidquid inibi Apostolus passus est, metrice docet ita:*

Martyrii calicē bibit hic athleta Joannes;
Principii Verbum cernere qui meruit.
Verberat hunc fuste Proconsul, forfice tondet,
Quem fervens oleum laedere non valuit.
Conditur hic oleum, dolium, cruor, atque capilli,
Quae consecrantur libera Roma tibi.

Verum hac in figura nonnisi injuriosam capillorum tonsuram, & saevam verberationem habemus. Cetera forte cruciatuum genera in areolis, quae sequuntur exprimebantur, quae modo antiqui decoris nihil omnino servant, sed partim lacerae, deciduaeque horrescunt, partim vero penitus lapsae, calce obductae sunt, veluti etiam plurimae in superioribus, quas exhibuimus, interjectae. Usuardus in Martyrologio ad diem 6. Maji sic habet: *Natalis Beati Johannis Apostoli,*

INDICULUS TAB.III.SAEC.II

stoli, quando ab Epheso, jussu Domitiani Romam perductus, & praesente Senatu ante Portam Latinam in olei ferventis dolium missus est, sed minime laesus: ubi festum eadem die concursum fideles populi usque hodie faciunt. Et Ado ad eamdem diem: *Natalis S. Joannis Apostoli ante Portam Latinam Romae: qui ab Epheso jussu Domitiani fratris Titi, secunda Persecutione, quam ipse post Neronem exercuit, ad Urbem Romam perductus, praesente Senatu ante Portam Latinam in ferventis olei dolio missus est; agente hoc impio Principe, qui Christianorum infestissimus persecutor erat. Sed B. Apostolus tam liber a poena inde exiit, quam a corruptionibus carnis fuerat immunis. Tunc in Pathmum Insulam relegatur exilio, ubi Apocalypsim vidit. Ad commendandam ergo ipsius dignam memoriam, & pro fide Apostolicam constantiam, Christiani Ecclesiam, venerationem gestantem, in supradicto loco ante Portam Latinam praeclara & miro opere construxerunt: ubi festivum concursum II. Non. Maji usque hodie faciunt*. Cl. Praesul Georgius in Notis ad eundem Adonem haec habet p. 195. „ *Joannis Apostoli* elogium, quo celebritas illa colitur, quando Domitiani jussu idem Apostolus in ferventis olei dolium Romae ante Portam Latinam missus est, petitum esse videtur Solerio ab Adone nostro ex Romano parvo, quia Hieronymiana, & alia antiquiora silent. Romani parvi verba haec sunt extremo hujus diei loco: *Et S. Joannis Apostoli, quando ante Portam Latinam in ferventis olei dolio missus est*. Adonis elogium auctius, est ex Tertulliano, ac Hieronymo acceptum, nonnullis de celebritate ipsa, quae Romae agebatur, additis. Usuardus elogium illud contraxit, ac de celebri conventu ea die in honorem *Joannis* haberi solito meminit. Haec eadem ferme habet Notkerus; ac, ad celebritatem Romanam hujus diei quod attinet, haec adnotat: *Quod in plurimis Ecclesiae Catholicae locis religiose solet actitari*. Meminit & Wandelbertus, Johannis triumphum sic celebrans:

Praecelsum pridie celebrant Romana Joannem
Templa Dei; qui pleno hausit de pectore verbum.

2.) Effigies S. Marci Euangelistae Di-
3.) scipuli & Interpretis Petri, qui in Aegyptum ad praedicandum Euangelium missus, Alexandrinam Ecclesiam Christiana fide, atque Apostolicis moribus primus instituit. Extat in antiquo Musivo Ecclesiae Sancti Marci Papae, Romae anno Christi 337. constructae, atque picturis tessellato opere ornatae anno 774. De hac Beatissimi Marci imagine Ciampinius *Veter. Monim.* Tom. 2. Tab. 37. pag. 123. haec scribit: *ad dexteram* (nempe Tribunae) *secundo loco est S. Marcus Euangelista: penes hunc stat Beatissimus Gregorius Pontifex, scilicet IV, Ecclesiae restaurator, ut ipsa imago patefacit, quae Ecclesiam manibus sustentat, ac quadratam figurā post caput tenet, ut viventis signum*, de quo differit idem Ciampinius infra, ubi de Ecclesiis Sanctae Praxedis, & Sanctae Mariae in Domnica. Franciscus Blanchinus Patruus meus *in Notis ad Anast. Biblioth.* Tom. 2. pag. 13. Sect. 1. loquens de expeditione Euangelica B. Marci in Aegyptum, eam revocat ad annum alterum Claudii Principatus, ex Eusebii Chronico. Legatio enim, inquit, Philonis ad Urbem sub extrema Caji tempora, dum Herodis Agrippae adventus ei ferme suppar, tum apud Claudium aucta benevolentia, nationi Judaeorum aequiores reddebat Principes, facilitatem conciliabat in Urbe ipsa necessitudinis contrahendae inter Marcum, & Philonem, occasione frequentandae Synagogae, ac itineris socium se adjungendi, dum Philo rediret Alexandriam, *ubi disertissimus ille Judaeorum* (ut verbis Hieronymi utar) *videns Alexandriae primam Ecclesiam adhuc Judaizantem, quasi in laudem gentis suae, librum de eorum conversatione scripsit*. Illud quidem certum est, ante Marci Euangelistae in Aegyptum adventum, qui Aegyptiis Euangelium praedicaverit, inveniri posse neminem. Atqui ante annum 46, vel 49, Marcum in Aegyptum non venisse, probabilior est Virorum Eruditorum sententia. De fundatione Sedis Alexandrinae vide infra num. 136. Auctor Chronici Paschalis, sive Alexandrini, Martyrium revocat Sancti Marci ad Trajani tempora, illudque ita describit: *Marcus Alexandriae Episcopus erat: injecto in illum laqueo, a Buccoliis ita appellatis, usque ad Angelos, locum ita dictum, tractus; ibi exustus est prima die Pharmuthi; sicque Martyrio vitam consummavit*. De ejus triumphali agone celebris locus est in Censura S. Gelasii Papae. Acta perhibent, passum esse *octavo Neronis anno*, nempe anno Christi 62. Vide *Chronicum*, S. Hieronymum *de Script. Ecclesiasticis* in Marco, & Theophilum Chronographum apud Jo. Malalam pag. 325. Bollandiani Patres *in Hist. Patriarcharum Ale-*

Alexandrinorum Tom. v. *Actorum SS.* Junii illius Martyrium referunt ad annum Christi 65.

4. Patriarchatum Romanum sese protendere ad omnes totius Occidentis Ecclesias, invictis rationibus, monumentisque demonstrant Christianus Lupus, Emmanuel Schelestratius, Henricus Valesius, Sirmondus, & Antonius Pagius, adversus eos, qui quatuor tantum Italiae Regionibus asserunt terminatum, *Tuscia Suburbicaria* videlicet, *Piceno Suburbicario*, *Latio veteri*, *&* *Latio novo*, vel ad summum decem Provinciis Urbicariis, ita dictis, quod regerentur a Vicario Urbis Romae sub Praefecto Praetorio Italiae. Vide Canonem sextum Concilii Nicaeni juxta genuinam Versionem Dionysii Exigui. Urbis itaque Romae Episcopus, quatenus est Patriarcha, habet omnes Occidentis Ecclesias; sed, ut est Romanus Pontifex, & Christi Domini in Terris Vicarius, gaudet Primatu in universa Ecclesia. Quem non solum honoris, sed & Jurisdictionis Primatum, Sacris Literis, & unanimi Patrum, Conciliorumque consensu firmatum, soli Haeretici a Christi Ecclesia extorres inficiantur. Patriarchæ tamen nomen ad quartum usque Christi Saeculum prorsus ignotum fuit, & nonnisi sub Chalcedonensis Concilii tempora usurpari coeptum, ut ostendit Card. Norisius *in Dissert. Histor. de Synodo Quinta* cap. 10. Et primus, ni fallor, qui ex Scriptoribus Ecclesiasticis Patriarchalis tituli meminerit, fuit Socrates lib. v. cap. 8. Romana, Alexandrina, & Antiochena Sedes, quae ceteris omnibus & amplitudine, & jurisdictione praeibant, primum Patriarchales sunt appellatae. Deinde in Concilio Constantinopolitano sub Damaso Papa habito, iis quarta est addita, nempe Constantinopolitana; honoris praerogativa ita decorata, ut proxima a Romana haberetur: cui numero paulo post, Hierosolymitanam Ecclesiam admovendam esse, censuit Synodus Chalcedonensis, ut quintum locum inter Patriarchales Sedes obtineret.

5.) TROPAEA APOSTOLORUM,
6.) ex antiquissima lamella in Romanis Arenariis effossa. Origo Christi Domini Monogrammatis, ab Apostolorum aetate dimanans ex Coemeterialibus monumentis demonstratur contra Jacobum Basnagium a Cl. Viro Dominico Georgio in peculiari Dissertatione, quam edidit an. 1738. de hoc argumento. Visitur in nostra lamella, quam heic illustramus, clypeus, in quo scalptum est venerabile Christi Domini Monogramma, atque hinc inde Graecae literae A, & Ω. Est autem Christi nomen in sublime erectum, atque columnae impositum, pendentibus hinc inde lemniscis. Ad illud Apostoli *Philip.* c. 2. v. 9 scalptor fortasse respexit, quo docemur, Christo donatum *Nomen, quod est super omne nomen; ut in ejus Nomine omne genuflectatur.* Circa imam partem adsurgit ansula, cui innexae erant catenulae, quibus suspendebatur in Sac. Coemeteriorum Conventibus una cum lucerna. A dextris visitur Petrus, tunica & pallio amictus, qui sinistra Divinum Volumen gerit: in læva autem parte adest Joannes, qui intento digito indicat Augustissimum Christi Nomen, literis A, & Ω ab eodem expressum in Apocalypsi. Quanti sit faciendum hoc tam eximium Veterum Christianorum Monumentum, nemo est qui non videat. Confer *Symbolarum Literar.* Vol. 3. ubi c. 7. p. 135. *agitur de elevatione & exaltatione gloriosi Monogrammatis Christi apud primitivos Christianos.* Joannes Petrus Bellorius *in Observat. ad Veteres Lucernas Sepulcr.* Par. III. apud Gronovium Tom. xii. pag. 96. Tab. 27. scribit: „ Inter Monumenta Sacra, quae inventa sunt in Sepulcris SS. Martyrum, insignis admodum est quaedam Icuncula ex aere, ad similitudinem Principis Apostolorum S. Petri, sicut illud probant aliae ejus imagines. Habitus, est Apostolicus, & palliatus: una manu benedicit, altera tenet Divinum Nomen Christi in figura oblonga, quae formam Crucis habet. Ipse Sanctus ad majestatem compositus videtur gloriari, quod ad Gentes afferat Nomen illud adorabile, cujus vi & virtute faciebat miracula, & baptizabat. Ita Sanctus Petrus ad Portam Templi in Nomine Domini sanavit hominem a nativitate claudum, ut legimus in *Actis*: *In nomine* JESU CHRISTI *Nazareni surge, & ambula.* Nomen sane venerabile apud homines, & Angelos; in quo continetur nostra salus, uti Sanctus Apostolus respondit Sacerdotibus, & Primoribus Hebraeorum, qui illud abominabantur: *Non enim aliud Nomen est sub Caelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.* Haec virtus difundebatur in Sanctum Petrum, & alios Apostolos, qui in nomine Christi faciebant miracula, & baptizabant; sicut legimus in iisdem *Actis* de Sancto Philippo, *Cum vero credidissent Philippo euangelizanti de Regno Dei, in Nomine Jesu Christi baptizabantur viri & mulieres.* Eminen-

INDICULUS TAB. III. SEC. II

INDICULUS TAB.III.SEC.II

nentissimus Norisius *Cenotaph. Pisan. Dissertat. III. cap. VIII. pag. 650. de Arcubus post victoriam Ducibus erectis* scribens, haec adnotavit, quae mirifice illustrant laminam, de qua loquimur: qui primi (inqnit) ChristianaeReligionis defensionem stylo exequuti sunt, in Tropaeis Crucem a Romanis adoratam dixerunt. Tertullianus cap. 16. Apologetici: *Sed & victorias*, inquit, *adoratis; cum in Tropaeis Cruces intestina sint Tropaeorum*. Et Minutius scribit: *Tropaea vestra victricia, non tantum simplicis Crucis faciem, verum & adfixi hominis imitantur*. Etenim lignum in modum Crucis formatum armis occisi Ducis vestiebant, ut hominis speciem adhiberet. Hoc ostendunt innumera Numismata, in quibus tropaea scalpta visuntur. At postea spoliaGentium devictarum aeratis postibus ducta, vel in marmoreis arcubus insculpta sunt, quo perennior eorumdem memoria ad posteros propagaretur. Ovidius lib. 5. Fast. de Templo Martis Bis-ultoris ab Augusto aedificato, ait:

Perspicit in foribus diversae tela figurae,
Armaque terrarum milite victa suo.

7.) Effigies *SS. Sabinae*, *Felicitatis*,
8. } *& Perpetuae*, ex Musivo S. Apolli-
9.) naris Ravennae. Hae Sanctae Virgines, (inquit Ciampinius *Veter. Monim.* Tom. 2. pag. 99.) variis exornatae sunt vestibus, quarum in fimbriis, Monogrammatum loco, signa, veluti quadrata ac gemmata lacinia, extenduntur. Singulae coronam gemmarum multiplicitate fulgentem manibus gestant. Mos fuit apudAntiquos coronis Sponsos redimendi; quod deGentilibus testaturApulejus IV. *Metam.*: *Sponsum unguentis madidum, & coronis floridum*. Admiserunt etiam hunc morem prisci Christifideles, ut innuit Tertullianus his verbis: *Coronant & nuptiae sponsos*. Cum itaque Virgines, in hoc Musivo expressae, ad nuptias Christi vocatae fuerint, coronas, quas gestant, nuptiales esse existimo, quibus a Sponso coronandae erant. Quod innuit Ecclesia, dum Virginum auribus illud insonat invitamentum, *Veni Sponsa Christi, accipe Coronam, quam tibi Dominus praeparavit*. S. Savina in hoc Ravennatensi Musivo expressa, videtur illa esse Femina religiosissima, quae Mediolani ad Sepulcra SS. Naboris & Felicis Martyrum orans, obdormivit in Domino, ut legitur in Martyrol. Romano III. Kal. Febr. Consule Notas Baronii, Galesinum, & Tabulas Ecclesiae Mediolanensis. Prius quam sincera SS. Perpetuae & Felicitatis Acta reperta fuissent, nemo fere in dubium revocabat, quin eaedem ipsae fuerint, quas sub *Sanctarum Tuburbitanarum* nomine varii Auctores celebrabant. Id persuadebant, praeter quorundam etiam veterum Martyrologiorum auctoritatem, Acta quae sub Perpetuae, & Felicitatis nomine vulgo circumferebantur, in quibus eas Tuburbii passas fuisse disertis verbis expressum erat: & quamvis in his Actis nonnulla Viris Eruditis vitiosa, ac depravata viderentur, nullus tamen de loco martyrii hactenus quaestionem moverat. Valesius tamen libratis rationum momentis, non Tuburbii, sedCarthagine martyrium consumasse asseveranter pronunciavit. Hanc vero sententiam probat ipse tum ex ipsis Actis, tum etiam ex antiquorumScriptorum auctoritate. Porro certius est argumentum, quod ex auctoritate veterum, qui de Sanctis Perpetua, & Felicitate scripserunt, deducitur: nam, praeterquamquod Victor Vitensis lib. 1. *de Persecutione Vandalica* eas Carthagine in Basilica Majori sepultas fuisse affirmat, Prosper *in Chronico Labbeano*, Beda in lib. *de sex aetatibus Mundi*, immo & in Martyrologio sincero (quamvis illud, quod sub ejus nomine vulgo circumfertur, aliter habeat), Regino, Rabanus in Martyrologio, aliaque bene multa Martyrologia cum edita, tum Mss. (ut videre est apud Bollandianos ad diem septimam Martii) expressis verbis has Sanctas Martyres apud Carthaginem passas fuisse asserunt. Diu non immorabimur in assignando tempore, quo istae Beatae Martyres Passionem consummarunt. Acta, & Martyrologia, quae eas sub Valeriano & Gallieno passas fuisse referunt, vel ex eo convincuntur falsi, quod Tertullianus, qui in libro inscripto *de Anima* capite 55 *Fortissimae Perpetuae, & Commartyrum* meminit, diu ante horum Imperatorum tempus e vivis excesserit. Melius itaque in Martyrologio genuino Bedae, aliisque antiquis id Martyrium ad Severi Imperatoris tempus revocatur; quibus Acta Sincera consentiunt: siquidem ibi Sanctae Martyres *die Natali Getae Caesaris* bestiis objectae sunt; quod anno Christi 202. aut sequenti, Idibus Martii contigisse existimamus. Celebris semper fuit in Ecclesia, praesertim Africana, Sanctarum Perpetuae, & Felicitatis memoria, in quarum die Natali tres Tractatus ad Populum S. Augustinum habuisse testatur Possidius in Indiculo, qui in nova Editione Sermones sunt

sunt 280. 281. 282. Pluribus aliis in locis de iisdem Martyribus, eorumque Sociis agit idem S. Doctor. Omnia Martyrologia earum Festum ad diem 7. Martii referunt, qua die hactenus apud nos celebratur. Memorantur praeterea eorum nomina in Canone Missae Romanae, in vetustissimo Sacramentario Gallicano, quod edidit Mabillonius Tom. 1. Musei Italici: item in Canone Missae Sacramentarii Gregoriani. Quod autem eorum Festivitas etiam primis temporibus Romae celebrata fuerit, patet ex Missali Gelasii, & ex antiquo Martyrologio Bucheriano, ubi haec habentur, *Nonis Martii Perpetuae, & Felicitatis Africae*. Idem habent cetera Martyrologia, cum vetera, tum recentiora. Haec ex Ruinartio in Admonitione ad Passionem earundem Sanctarum pag. 81. & seqq. Confer etiam Acta harum Martyrum, quae ex Codice Cassinensi eruit, edidit, & illustravit Lucas Holstenius, & post ejus obitum prodiere Romae anno 1663, curante Petro Possino, deinde illustrata fuere a Bollandianis die 7. Martii pag. 430, ac a Tillemontio Tom. III. pag. 136. & seqq.

10. *Patriarchatus Alexandrinus*. Imperium Romanum jam ab Apostolorum temporibus in Provincias distributum erat, licet Dioecesis nomen Constantini Magni tantum aetate primum auditum sit. In tribus autem majoribus Imperii Civitatibus institutae sunt totidem potissimae dignitatis Ecclesiae, & praecipuae Sedes Patriarchales. Nicaenum Concilium celebratum an. Chr. 325. antiquam consuetudinem ab Apostolis ortam servari mandavit Canone VI, *Antiqua consuetudo servetur per Aegyptum, Lybiam, & Pentapolim; itaut Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem: quia & Urbis Romae parilis mos est. Similiter & apud Antiochiam*. Ex Nili Doxopatriis Tractatu de Quinque Thronis Patriarchalibus, an. 1043 ad Rogerium Siciliae Regem scripto, antiquarum Metropoleon notitia quaedam hauriri potest; licet in eo non contineantur omnes Metropoles, & Dioeceses, prout praecise extitere initio Ecclesiae & institutarum Sedium Patriarchalium. Refert illum Allatius in Opere *de Consensu Ecclesiae Orientalis, & Occidentalis*; ex quo (ad rem nostram) discimus, quot Metropolitas, & Episcopos Saeculo Ecclesiae undecimo sub se haberet Patriarcha Alexandrinus: *Possidebat* (inquit) *totam Lybiam, & Aethiopiam, & Marmaricam, usque ad Tripolim Africanam, nec non universam Aegyptum, & Palaestinam ipsam, in qua est Jerosolyma. Habet itaque & ipse Provinciam primam Stamnicae, in qua prima Metropolis est Pelusium, varios sub se habens Episcopatus; & secundam Provinciam Stamnicae, in qua est secunda Metropolis Leonto, habens diversos Episcopatus; & primam Provinciam Aegypti, in qua Alexandria, quae ceterarum caput; & secundam Provinciam Aegypti; & Provinciam Arcadiae, in qua tertia est Metropolis Ozirieus, habens sub se varios Episcopatus; & secundam Provinciam Thebaidis, in qua est Metropolis Ptolemais, habens sub se Episcopatus diversos; & Provinciam Lybiae, in qua est Metropolis Darinco, habens nonnullos Episcopatus: adhuc habet & aliam Metropolim Alexandrinus, quae fuerit septima Marico, & octavam Tonesim, in septimo Nili ostio sitam. Septem enim ostiis Nilus in mare infunditur, in quibus variae Civitates jacent. Hae itaque octo Alexandrini Metropoles, quae varios sub se Episcopatus habent: quamvis fiat & aliae quinque nullis Episcopatibus conspicuae, nempe Damiata, Maris Rubri, Pharas, Aret, ... omnes simul XIII. Erant Alexandrino & alii Throni diversi; sed post Severi haeresim a Severianis sublati sunt: quemadmodum & omnis ditio Jerosolymitana, ipsaque Jerosolyma, omnesque aliae Sedes, quae nunc sunt sub Jerosolymitano Patriarcha.*

11. 12. } Effigies SS. Valeriae & Pelagiae, ex Musivo Ravennatensi. Vide Ciampinium *Veter. Monim.* Tom. 2. pag. 99. & 100. In Martyrologio Adonis pag. 175 ad diem 28. Aprilis legitur: *Apud Ravennam natale Sancti Vitalis Martyris &c...... Conjux quoque ejus* VALERIA *cum reverteretur ad Urbem Mediolanensium, Silvano sacrificantes incurrit: cumque eam deponentes de sagmario hortarentur de idolothytis manducare, nec sibi omnino licitum testaretur, quia esset Christiana; nimia ab eis caede mactata est, ut vix semineccem sui homines eam ad Mediolanensem urbem perducerent. Quae infra biduum migravit ad Dominum.* Confer *Martyrologium Romanum* ad eandem diem, Card. Baronium in notis, Henschenium, & Papebrochium. De Sancta vero Pelagia, in Musivo Ravennatensi expressa, nil certi dici potest: nam plures hujus nominis in Tabulis Ecclesiasticis recensentur. Mihi tamen haec illa videtur esse S. Pelagia Virgo & Martyr, quae passa est *in Antiochia Syriae*, & cujus Acta

apud

apud Ruinartium habentur pag. 576, excerpta ex S. Joanne Chrysostomo. Legitur in Martyrologio Usuardi ad diem 19. Octobris, *in Antiochia Syriae SS. Martyrum Beronici, Pelagiae, & aliorum Quadraginta novem*. Quare Wandelbertus de Antiochenis canit,

Beronicus bis septeno, atque Pelagia fulget,
Quos pariter Quadraginta atque novem comitantur.

13. Effigies SS. Barsimaei, & sociorum, ex veteri Musivo Ravennatensi, de quo Martyrologium Romanum tertio Kal. Februarii haec habet: *Edessae in Syria S. Barsimaei Episcopi, qui cum Gentiles plurimos convertisset ad Fidem, & praemisisset ad coronam, eos secutus est sub Trajano cum palma martyrii*. Menologium Graecorum, jussu Basilii Imperatoris Graece editum, & cum Latina Versione a fel. rec. Emin. Annibale Tituli S. Clementis Presb. Card. Albano vulgatum Urbini 1727, die trigesima Januarii ita Certamen refert hujus invicti Martyris Barsimaei Episcopi, qui Sanctum Sarbelum baptizavit: *Sanctus Martyr Barsimaeus*, (sunt ejus verba) *Edessenae Ecclesiae Episcopus erat; Graecorumque Gentem docens, ab idolorum errore conversos baptizabat in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Cumque multos baptizaret, vidit Sarbelum idolorum Sacerdotem idolis sacrificantem: quem increpans, probrisque, & conviciis afficiens, quod unus universum Populum perverteret, ad poenitentiam, & compunctionem adduxit, & baptizavit. Sarbelo autem, cum Sorore Babaea, pro Christo martyrium passo, delatus Episcopus, & ad Lysiam Praesidem adductus, gravissime vapulavit. Sed, cessante, aliquandiu Persecutione, dimissus e carcere, & ad propriae Ecclesiae regimen incumbens, cum de more per omnes virtutes Deo se gratum exhibuisset, decessit, vitam recipiens aeternam*. Vide Card. Baronium ad annum Chr. 107. num. 2.

14. Effigies S. Asterii Amaseae in Ponto Antistitis ex Musivo Lateranensi, cujus Opusculum elegantissime scriptum *de Martyrio S. Euphemiae Virginis* in Septima Synodo Generali lectum, & summo omnium Patrum applausu probatum, ipsius Synodi Actis integrum insertum fuit. Floruit circa Saeculi Quarti finem, tempore Arcadii Imperatoris, ut liquet ex duabus ipsius Homiliis, in quarum una, quam *in Festum Kalendarum* inscripsit, de Rufini, & Eutropii infelici exitu, tanquam de re sibi nota disserit; in altera vero, quae est *adversus avaritiam*, de Christianis, qui sub Juliano Apostata a Fide defecerant, loquitur, quasi suo tempore ex eis multi adhuc in vivis superfuissent, ut scribit Ruinartius *in Actis Mart. Sinc.* in admonitione in Martyrium S. Euphemiae Virginis p. 541. Vide nostrum Chronicum ad annum Christi 307.

15. *Patriarchatus Antiochenus*. Hic, (ut scribit Nilus Archimandrita cognomento Doxopatrius in supra memorato Tractatu *de quinque Thronis Patriarchalibus*, elucubrato anno 1043) *possidebat universam Asiam, & Orientem, Indiamque ipsam, (in quam ad haec usque tempora, Catholicum ordinans, mittit, Romogyreos vocatum), & Persiam, & Babylonem, cui nunc nomen Bagda est: eo etiam mittebat Antiochenus Catholicum in urbem Irenupolim, Irenupoleos dictum, & Armenias, & Abasgiam, & Iberiam, & Mediam, Chaldaeam, & Parthiam, & Elamitas, & Mesopotamiam. Habet itaque Metropoles* XIII: I. *Metropolim Tyri, quae sub se habet Episcopatus* XIII: II. *Tarsi, habet Episcopatus* VI: III. *Edessae, habet Episcopatus* XI: IV. *Apameae, habet Episcopatus* VII: V. *Hierapoleos, habet Episcopatus* XI: VI. *Bostri, habet Episcopatus* XX: VII. *Anazarbi, habet Episcopatus* IX: VIII. *Seleuciae, habet Episcopatus* XXIV: IX. *Damasci, habet Episcopatus* XI: X. *Amidae, habet Episcopatus* VIII: XI. *Hagiopoleos, habet Episcopatus* V: XII. *Daras, habet Episcopatus* X: XIII. *Emesae, habet Episcopatus* IV. *Habet praeterea & alias Metropoles, quae sub se nullos habent Episcopos, numero octo; quae, cum prius essent Episcopatus aliis Metropolitanis obnoxii, in dignitatem Metropolitanam provectae sunt, decretumque, ne aliis Metropolitanis subderentur, sed tantummodo Patriarchae Antiocheno: &, quemadmodum ubique Metropoles, per se caput essent, quod ante non erant. Episcopatus, nullos sub se habent Episcopos, quemadmodum Metropoles, & sunt numero octo*. I. *Beryti*: II. *Heliupoleos, quae ex Throno Damasci abscissa est*: III. *Laodiceae*: IV. *Samosatorum*: V. *Martyropoleos*: VI. *Mopsuestiae*: VII. *Adanae*: VIII. *Pompejupoleos. Adhuc etiam Antiochenus habet ingentes Archiepiscopatus octo*. I. *Berroeam*: II. *Chalcedonem*: III. *Agaballam*: IV. *Seleuciam Pieriae*: V. *Anasartham, quae & Theodorupolis dicitur*: VI. *Palton*: VII. *Gabulam*: VIII. *Balaneam. Praeter hos, habet & alios Archiepiscopatus*

tenuet

tenues & liberos V. I. *Salamlam*: II. *Bercum*: III. *Rhoson*: IV. *Agatem*: V. *Barcusorum*. *Et hae Ecclesiae omnes Throno Antiocheno subduntur*. Vide supra num. 4. & 10. hujus Tabulae III. Saeculi Secundi.

16. Effigies S. Pinyti, inter Episcopos nobilissimi, qui in Scriptis suis, veluti in quodam speculo, viventem sui reliquit imaginem, ut scribit S.Hieronymus *de Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 27. Res ab eo gestae desumendae sunt ex Auctoribus a Cardinali Baronio allegatis in Notis *ad Martyrolog. Romanum* die 10.Octobris,atque ex ejus Annalibus ad annum Christi 172.num.8.& 175. num. 15. S. Pinytus Cnossi in Creta Episcopus fuit, ut habet Eusebius Rufini lib. 4. cap.21.Ejus extat memoria apud Adonem,& Usuardum inMartyrologio vi.IdusOctobris. De Epistola Dionysii Corinthiorum Episcopi ad Cnossios, deque Pinyti ad eumdem responso, confer citatum Eusebium Rufini lib. 4. cap. 23. Inter deperdita Opera enumerantur ea, quae nobilissimus Episcopus scripsit. Claruit Imperantibus Antoninis.

17. Effigies S. Domnionis, ex Musivo Lateranensi, de quo Martyrologium Usuardi tertio Idus Aprilis haec habet: *In Dalmatia Civitate Salona, Sancti Domnionis Episcopi cum militibus octo*. Eadem verba leguntur quoque in anctariis Adonis, & in Martyrologio Romano. Agunt de eis die xi. Aprilis bene multa, eaque veterrima Latinorum Kalendaria, & Martyrologia, ut Hieronymiana, Gellonense, Notkerus, Richenoviense, Angustanum, Labbeanum, Corbejense brevius, Martyrolog. Reginae Suecorum, & Ottobonianum. In Absida Sacelli Lateranensis S. Venantii, prope Baptisterium, Musivo opere elaborata, habentur imagines Beatorum Martyrum Sociorum S. Domnionis, quorum Reliquias ex Dalmatia & Istria transferendas curavit Joannes Pontifex hujus nominis IV: de qua Translatione consule Librum Pontificalem in eodem Joanne, & Baronium ad annum 641. num. 3. Ibi super capita singulorum, cujusque nomen inscriptum est. Nomina haec sunt: *S. Paulinianus*, *Telius*, *Asterius*, *Anastasius*, *S. Maurus*, *Septimius*, *Antiochianus*, *Gajanus*, *S. Venantius*, *Sanctus Domnio*. Vide Joannem Ciampinium *Veter. Monim.* Tom. II. Tab. xxx. pag.116, & Cl. Praesulem Dominicum Georgium in Notis ad *Martyrol. Adonis* pag. 153, qui de eorundem militum numero, atque Reliquiis Romam translatis, multa erudite de more literis consignavit, post Florentinium in Notis ad Martyrol. & Henschenium, ac Papebrochium.

18. Effigies SS. Aristidis, Quadrati, & Dionysii Episcopi, ex Musivo Ravennatensi. Eusebius lib. 4. cap. 3. de S. Aristide ait: *Apud Athenas, Aristidis, qui Hadriano Principi de Religione Christiana Libros obtulit*. Vide etiam S.Hieronymum *de Script. Ecclesiasticis* cap.20. & praecedenti, ubi de Quadrato ait, ipsum Discipulum Apostolorum, post Publium Martyrem, Atheniensium Episcopum fuisse ordinatum,(ut habet Dionysius Corinthiorum Episcopus, apud laudatum Eusebium lib. 4. cap. 23). Ipse Prophetiae gloria inclaruit, & sub Hadriano Imperatore causam Christianorum egit, ipsique Athenis per hiemem commoranti circa an. Christi 123 Librum pro Christiana Religione obtulit, cujus fragmentum nobis servavit Eusebius lib. 4. cap. 3. Nec Apologiam tantum obtulit Quadratus, sed Oratione quoque coram habita, Imperatorem compellavit, ut Persecutionem in Christianos aestuantem compesceret: quod ipsum obtinuisse S.Hieronymus testatur Epist.84. ad Magnum Oratorem Romanum data. Vide Ruinartium in Praefatione *ad Acta Mart. sinc.* pag. xxxv, ubi agens de Persecutione Hadrianea, (in qua non solum eos, qui in urbe manserant, Quadratus confirmavit; sed etiam lapsos, ut resipiscerent, permovit), scribit, ad eandem compescendam plurimum Aristidis Atheniensis Philosophi studia contulisse, ut narrant Eusebius *Hist.* lib.3. cap.37, S. Hieronymus in Catalogo Scriptorum Eccles. cap. 31, & ex recentioribus P. Cajetanus Maria Travasa Clericus Regularis Theatinus in eruditissimo Opere inscripto, *Storia Critica delle Vite degli Eresiarchi del Secondo Secolo della Chiesa &c.* (qui hoc anno 1754 Venetiis prodiit sub auspiciis Illmi ac Rmi Praesulis Georgii de Lascaris Episcopi Zenopolitani, & SS.Vaticanae Basilicae Vicarii, honoris, decorisque Veronae Patriae ejus, ac meae) Part.I. pag.281. De Dionysio Corinthiorum Episcopo, (qui eruditione, & gratia, quam habuit in verbo Dei, non solum suae Civitatis, & Provinciae Populos, sed & aliarum Provinciarum,& Urbium Episcopos suis literis erudivit, Romanosque Pontifices adeo coluit, ut eorum Epistolas publice legere in Ecclesia diebus Dominicis consueverit), vide de Martyrolog. Rom. & Usuardum vi. Idus Apri-

Indiculus Tab.III.Sec.II

Aprilis, itemque Adonis Auctaria apud Georgium pag. 130, Patrem Lequenium Tom.2. *Orient.Christiani* pag.158. & seqq., & Mamachium *Originum & Antiquitatum Christianarum* Tom.I. pag. 364. ac Tom.2. pag.159. De eo agunt Eusebius lib.4. cap.21, S. Hieronymus *de Script. Ecclesiasticis* cap. 27, Liberatus in Breviar. cap. 10, Baronius *in Annalibus Ecclesiasticis* ad annum 175. num. 8. & seqq., PP. Bollandiani die 8. Aprilis pag. 742, & Tillemontius Tom. 2. pag. 448. Octo ejus Epistolas recensent Eusebius, & S. Hieronymus, quarum solae supersunt Inscriptiones, atque fragmenta quaedam apud Eusebium. Martyrium subiit imperante Marco Antonino.

19. Statua S. Hippolyti Martyris, qui in marmorea Cathedra sedet. Marcellus Card. ejusdem postea nominis Papa II, Cervinus, hoc Signum egregium Hippolyteum, effossum prope Ecclesiam S. Laurentii exsra Muros in Agro Verano, dignum censuit, quod in Vaticanam Bibliothecam inferretur, veluti pretiosissima Tabula paternae haereditatis a Martyribus ad nos transmissa, quorum studia testatur in Divini Cultus ordine disponendo, non intermissa in ipso discrimine Persecutionum. Plana superficies dexteri lateris hujus Sedis marmoreae exhibet Chronologiam Paschalem per Cyclos annorum 112 Julianorum proleptice ordinatam e Sacris Literis, quam nos in sequenti numero vigesimo exhibemus. Ibi Epocha Cycli postremi ducitur ab anno primo Imperatoris Severi Alexandri, ad quem, uti Hieronymus tradit, rationes Paschae, & Canones Temporum exegit. In inflexione Sedis, quam illustramus, legitur in marmore Catalogus Operum ejus, cujus Inscriptionis partem superstitem vide dicto numero vigesimo. Argumentum inde capiant velim Haeretici fiduciae, quam debemus documentis temporum in Romana Ecclesia asservatis, & publice propositis post redditam illi pacem; cum videamus tam splendido monimento decoratos, etiam sub Severo Alexandro, in Cryptis Martyrum Agri Romani, temporum Canones S. Hippolyti scripto illustratos, & additum Indicem ceterarum ejus lucubrationum, quas recenset B. Hieronymus in lib. *de Script. Eccl.*, plane respondentes titulis Operum, hoc in marmore consignatis, prope Canonem temporum superiorum per Heccaedecaeterides digestum. Partes illius singulas cum explicuerit Patruus meus in Dissertatione de Cyclo S. Hippolyti, edita in Libro *de Kalendario & Cyclo Caesaris*, & in Germania a Fabricio recusa in editione Operum ejusdem S. Episcopi & Martyris, abstineo a pluribus afferendis ad veteris hujus Monumenti illustrationem, quam, post Petavium, & Scaligerum, reperies auctam Commentariis (in eadem editione vulgatis) Clarissimorum Virorum Philippi a Turre Episcopi Hadriensis, Praesulis Joannis Vignolii tunc Vaticanae Bibliothecae officiis illustris, & Cl. P. Virginii Valsechii in Pisana Academia Interpretis Sacrarum Literarum.

20. Tabula I. Canonis Paschalis S. Hippolyti Episcopi & Martyris, cujus meminere Veteres Patres. Horum heic aliquot testimonia recensebimus. Anatolius *in Prologo* scribit: *E quibus Hippolytus* XVI. *annorum Circulum, quibusdam ignotis Lunae cursibus, composuit: alii* XXV: *alii* XXX: *nonnulli* LXXXIV. Eusebius libro *Historiae Ecclesiasticae* Sexto cap. 16. *Illo ipso tempore Hippolytus praeter alios plerosque Commentarios, quos componebat, Opus de Paschate conscripsit. In quo & temporum seriem explanat, & Canonem quemdam sedecim annorum de Paschate ponit, & tempora solum describit ad primum annum Imperatoris Alexandri. Cetera ejus scripta, quae ad nos venerunt, sunt haec: In sex dies Commentarii: In ea, quae sex dies sequuntur: Contra Marcionem liber: In Canticum Canticorum explanatio: In partes aliquot Ezechielis expositio: De Paschate liber: Contra omnes haereses liber: Extant praeterea nonnulla alia ejus monumenta, quae apud multos conservata invenias.* Hieronymus *de Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 61. *Hippolytus cujusdam Ecclesiae Episcopus (nomen quippe Urbis scire non potui) Rationem Paschae, temporumque Canones scripsit, usque ad primum annum Alexandri Imperatoris, & sedecim annorum Circulum, quem Graeci* ἑκκαιδεκαετηρίδα *vocant, reperit; & Eusebio, qui super eodem Pascha Canonem, decem & novem annorum Circulum, id est,* ἐννεακαιδεκαετηρίδα *composuit, occasionem dedit. Scripsit nonnullos in Scripturas Commentarios, e quibus haec reperi. In* Ἑξαήμερον; *& in Exodum; & in Cantica Canticorum: in Genesim; & in Zachariam: de Psalmis; & in Isaiam: in Danielem: in Apocalypsim: in Proverbia: in Ecclesiasten: de Saul, & Pythonissa: de Antichristo: de Resurrectione: contra Marcionem; de Pascha: adversum omnes haereses, &* προσομιλίαν: *de laude Domini Salvatoris, in qua, praesente Origene, se loqui in Ecclesia*

sia significent. In hujus aemulationem Ambrosius, quem de Marcionis haeresi, ad veram fidem correctum diximus, cohortatus est Origenem, in Scripturas Commentarios scribere; praebens ei septem & eo amplius Notarios, eorumque expensas, & bis Librariorum parem numerum: quodque bis majus est, incredibili studio quotidie ab eo opus exigens. Unde in quadam Epistola ἐργοδιώκτην *eum Origenes vocat.* Eadem pene habet Honorius *de Scriptoribus Ecclesiasticis*. Isidorus lib. 6. *Originum* cap. 17. *Paschalem Cyclum Hippolytus Episcopus, temporibus Alexandri Imperatoris primus conscripsit*. Confer quae edidimus de hoc insigni Canone Hippolyteo in nostris Vindiciis Canonicarum Scripturarum pag. 262, ubi publici juris fecimus Leonis Allatii Viri Clarissimi judicium de Codice Chisiano Hexaplari, complectente inter cetera, Danielem secundum Septuaginta & *Hippolyti Episcopi Romani visionum Danielis, & Nabucodonosoris resolutiones*. Hic Hippolytus est Portuensis Episcopus, qui ab Antiquioribus Romanus dicitur, non quod Romae praesederit, sed ob vicinalem cum Romanis usum. In hoc proposito Canone, seu Cyclo Paschali, (ut animadvertit Franciscus Blanchinus amantissimus Patruus meus in lib. *de Kalendario & Cyclo Caesaris*) videre nobis licet priscorum Patrum Astronomiam, postliminio veluti restitutam, dum adhibetur ad Sacramenta Dei, & Hominis Jesu Christi quotannis rite servanda. Primus in hoc stadio Patruus meus non cucurrit. Occuparunt Viri eruditione praestantes; quorum in commentariis, ut complura scite exponuntur, ita indicantur, aut relinquuntur alia non pauca, quae ipsi a posteris colligi permiserunt. Praemittenda tamen est antiqui lapidis historia, in quo sculptus cernitur Canon ille Paschalis a B. Hippolyto Martyre ante secula quindecim concinnatus. Hanc ita collegit eximius monumenti illustrator P. Bucherius Comment. in Victorii Canonem Paschalem pag. 291. ubi ait: *Victorius Prologi sui §. tertio duorum maxime Paschalium ante se Cyclorum, Canonumve mentionem facit:* LXXXIV. *annorum unius; qui Judaeorum primo, tum Christianorum veterum, saltem Latinorum fuit:* CXII. *alterius, quem ab Hippolyto Portuensi Episcopo conditum satis constat &c. Operae pretium visum est, heic* Paschalem Canonem *Hippolyti Portuensis Episcopi, Victorio ducentis annis & supra senioris subjungere; cujus Eusebius, Hieronymus, aliique meminere. Nam licet is Octaeteride, seu Heckaedecaeteride, non Enneadecaeteride concludatur; tamen iisdem pene Latinorum priscorum principiis innititur: quando & ab quinta Martii primi mensis caput accersit, & quartamdecimam Paschalem citimam ejusdem Martii 18. Dominicam itidem citimam 20 constituit: Pascha ante Lunam sextamdecimam nunquam indicit, & in XXII. usque diffundit. Quod si eumdem limitis finem non habet, id Octaeteridos naturae tribuendum, quae intra 5. Martii, & Aprilis 21. dicta, mensem Paschalem concludit. In quo tamen Hippolytus magis, quam Victorius, cum Patribus Caesariensibus consentit. Perierat iste Canon cum ceteris ejusdem Hippolyti monumentis, nec ejus quidquam praeter nomen supererat; cum ecce, bono Deo, & magna eruditorum omnium laetitia (ut Baronius, Scaliger, Gruterusque testantur) anno Domini 1551. ex Agro Verano, non procul ab Aede S. Laurentii ad Urbem e memoriae Hippolyti antiquae ruderibus, effossa prodiit antiqua e marmore Statua, solio insidens, Graecis utrinque literis inscripta. Literae in binis Cathedrae laterculis Cyclos Paschales annorum* XVI. *exhibebant; quartarumdecimarum dextro, Dominicarum Paschalium sinistro, utrosque 112. annis universim comprehensos: qua annorum periodo ferias easdem in orbem redire credidit Hippolytus. Non erat quidem expressum Hippolyti nomen; sed facile ipsa Heckaedecaeteridos methodo, & librorum lemmate, quod dextrum laterculum continebat, proditum est, eorum enim omnium auctorem Eusebius, Hieronymus, aliique Hippolytum Episcopum faciunt. Tam illustre, tam rarum primitivae Ecclesiae monumentum Marcello Cervino tunc S.R.E. Card., postea etiam ejusdem nominis Papae II. dignissimum visum, quod Romam inde deferretur, & in Vaticana Bibliothecen conderetur. Edidit deinde Graece, ut erat, cum antiquis suis inscriptionibus Gruterus* pag. 140. & 141; *Scaliger etiam notis illustravit*. Fidem egregie praestitit P. Bucherius, ostendens per animadversiones doctissimas, quanta esset hujusce Canonis consensio cum priscis Latinorum rationibus; quanta etiam injuria Scaliger tot illi absurda imputaverit. Ego heic tantum ponendum ob oculos censeo exemplum Latine redditum illius autographæ Inscriptionis, quae Græcis characteribus expressa visitur ad hanc diem in omnibus latere Cathedræ Hippolyteae, ut ab facilius percipi possit.

ANNO

IN PSALMOS

ANNO I. REGIMINIS ALEXANDRI IMPERATORIS FACTA EST XIV. PASCHAE IDIBVS APRILIBVS SABBATO CVM MENSIS EMBOLIMAEVS FVISSET. ET IN SEQVENTIBVS ANNIS SICVT IN TABVLA SVBIECTVM EST. EVENIT VERO IN PRAETERITIS SICVT INDICATVM EST. SOLVERE AVTEM OPPORTET IEIVNIVM VBI DOMINICA INCIDERIT.

DE PYTHONISSA	IDIBVS EM. APRIL.	1	G	F ESDRAS IVXTA DANIELEM ET IN EREMO	E	D	C	B	A
DE EVANGELIO SECVNDVM IOANNEM ET APOCALYPSI	IV. NON. APRIL.	2	D GENESIS CHRISTI	C	B	A	G	F	E
DE CHARISMATIBVS	XII. XI. KA. BISS. APRIL.	3	A EZECHIAS.	G	F IESVS	E	D	C	B
APOSTOLICA TRADITIO	V. EID. EM. APRIL.	4	G IOSIAS	F	E	D	C	B	A
	IV. KA. APRIL.	5	D	C	B	A	G	F	E
CHRONICON AD GRAECOS	XV. KA. APRIL.	6	A	G EZECHIAS IVXTA DANIELEM ET IOSIAS.	F	E	D	C.	B
IN PLATONEM VEL ETIAM DE OMNI	BISS. NONIS EM. APRIL.	7	G	F	E	D IESVS IVXT. DAN.	C	B	A
	VIII. KA. APRIL.	8	D	C	B	A	G	F	E
EXHORTATORIVS AD SEVERINAM	IDIB. EM. APRIL.	9	C	B	A	G	F	E	D
DEMONSTRATIO TEMPORVM PASCHAE	IV. NON. APRIL.	10	G	F	E	D	C	B	A EXODVS.
QVEMADMODVM IN TABVLA	XII. XI. KA. BISS. APRIL.	11	D	C	B	A	G	F	E
ODAE IN OMNES SCRIPTVRAS	V. EID. EM. APRIL.	12	C	B	A	G	F	E	D IN EREMO.
	IV. KA. APRIL.	13	G	F	E	D	C	B	A
DE DEO ET CARNIS RESVRRECTIONE	XV. KA. APRIL.	14	D	C	B	A	G	F	E
DE BONO ET VNDE MALVM	BISS. NONIS EM. APRIL.	15	C EXODVS IVXTA DANIELEM.	B	A	G	F	E	D ESDR.
	VIII. KA. APRIL.	16	G	F PASSIO CHRISTI.	E	D	C	B	A

Duo-

Duobus laterculis constat Canon Paschalis S. Hippolyti, dextro quidem, exhibente Lunas quartasdecimas, designatas Cyclo Eptagrammo Feriarum hebdomadis per 7. priores alphabeti literas; sinistro autem, referente PaschalesDominicas juxta periodum, sub iisdem elementis, septem Feriarum indicibus, ΑΒΓΔΕSΖ; quae in hoc Indiculo totidem Latinis literis exprimuntur, videlicet ABCDEFG, ut Graecae linguae non assuetis facilior sit comparatio. In titulo illius lateris Cathedrae Sancti Hippolyti Martyris, quem exhibemus infra in hac Tab. III. n. 56, haec leguntur: ΕΤΕΙ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ ΚΑΙCΑΡΟC ΤΩ Α̃. ΑΡΧΗ. ΑΙ ΚΥΡΙΑΚΑΙ ΤΟΥ ΠΑCΧΑ ΚΑΤΑ ΕΤΟC. ΑΙ ΔΕ ΠΑΡΑΚΕΝΤΗCΕΙC ΔΗΛΟΥCΙ ΤΗΝ ΔΙC ΠΡΟ ΕΞ. Idest, *Anno primo Alexandri Caesaris. Initium. Dominicae Paschales secundum annos; punctiones vero significant bis sextum*. Scalptor hasce punctiones, sive notas ad latera, annos Bissextiles designantes in Tabula Dominicarum Paschalium omisit; quas tamen in altera tabella Lunarum XIV Paschalium, licet non semper, adposuit, ut animadvertit Doctissimus Card. Norisius *de Epochis Syromacedonum* To.2.p.121., Ita enim apud Gruterum p.CXL. disponuntur: *Anno primo Alexandri Imperatoris facta est decima quarta Paschalis Idibus Aprilis, Sabbato, cum mensis embolimaeus fuisset. Sequentibus annis contingent, sicut in Tabula subjectum est &c.*

A. C.

222. ΕΜ. ΕΙΔΟΙC ΑΠΡΕΙ.
Idibus Aprilis.

223. ΠΡΟ Δ. ΝΩ. ΑΠΡΕΙ.
Ante IV. Non. Aprilis.

224. SS ΠΡΟ. ΙΒ. ΠΡΟ ΙΑ. ΚΑ. ΑΠΡΕΙ.
Ante XII. Ante XI. Kal. Aprilis.

Illae literae EM significant, eum mensem fuisse embolimum sive intercalarem. Binae vero literae Latinae S S denotant, illum annum fuisse Bissextilem: siquidem litera Latina S major, apud Graecos numerum sextum exprimebat, ut ex Nummis Dissert.3.cap.8. §.1. idem Norisius ostendit. Hinc duplex SS *bis sextum* indicat. In altera autem parte lateris memorati Canonis Hippolytei, summa fide heic a nobis exhibita ex archetypo Vaticano, editaque a Grutero pag.141, recitantur Dominicae Paschales in Hippolyti Heckaedecaeteride occurrentes, videlicet:

222. ΠΡΟ ΙΑ. ΚΑ. ΜΑΙ. ΚΥ.
Ante XI. Kal. Maji, Dominica.

223. ΠΡΟ. Η. ΕΙ. ΑΠΡ. ΚΥ.
Ante VIII. Id. Aprilis, Dominica.

224. ΠΡΟ. Ε. ΚΑ. ΑΠΡ. ΚΥ.
Ante V. Kal. Aprilis, Dominica.

225. ΠΡΟ. ΙΕ. ΚΑ. ΜΑΙ. ΚΥ.
Ante XV. Kal. Maij, Dominica,

Ad latus tertii versus ΠΡΟ ε καλανδῶν ἀπριλίων: κυριακῇ, *Ante diem V. Kalendas Aprilis, Dominica*, scalptor omisit notas SS, quibus annus Aerae Vulgaris Christi 224 Bissextilis in autographo Hippolyti exprimebatur. Ex hoc vero praeclarissimo monumento Ecclesiastici Annales Baronii, ac Fasti Panvinii emendantur, annusque primus Imperii Probi Augusti demonstratur. Hippolytus, tum superstes, testatur, anno primo Imperii Alexandri Severi Lunam XIV Paschalem contigisse *Idibus Aprilis, Sabbato*. Fuit hic A. U. a Palilibus 975, Epochae Vulgaris Christi 222, quo dies Iduum Aprilis fuit Sabbatum, Cyclo Lunae XIV, Solis VII, lit. F. Anno sequenti statuit Lunam XIV ante diem IV Nonas Aprilis. Dein annum proxime sequentem notat literis SS, quibus annus Christi 224. designatur *Bissextilis*. Hae notae Bissextilis anni in laterculo Dominicarum Paschalium, uti dicebam, omissae sunt, sed ex die Dominica affixa V. Kal. Aprilis annus Bissextilis apparet. Nam anno superiori dies VIII. Idus Aprilis ponitur Dominica, uti reapse contigit anno Christi 223, Cyclo Solis VIII, lit. E: ac proinde eo anno dies V. Kal. Aprilis fuit dies Veneris, seu Feria VI. Quare, cum anno sequenti ex Hippolyto dies V. Kal. Apr. inciderit in ipsam Dominicam Resurrectionis, annus ille fuit Bissextilis, Cyclo Lunae XVI, Solis IX, lit. DC, qui fuit U. C. 977, Christi 224, Juliano II & Crispino Coss. Ammianus Marcellinus lib. 26. de Valentiniano I. recens ad Imperium evecto scribit: *Nec videri die secundo, nec prodire in medium voluit, Bissextum vitans Februarii mensis tunc illucescens*. Fuit hic annus Christi 364, Joviano & Varroniano Coss. Illa Ammiani verba cum Panvinius praenotasset, scribit lib.3. Fast. ad An. U. 1116, *Hic annus, tanquam fixus maximusque clavus, & index totius meae hujus annorum digestionis, est*. Quae itidem ait Baronius in additis ad Apparatum in calce Tom. x. priorum Editionum. Ve-

Indiculus Tab.III.Sec.II

rum neuter insignis Scriptor memoratum Canonem Hippolyti observavit, cum tamen Romae inventus fuerit anno Christi 1551, & a Marcello Cervino Cardinali (qui postea fuit Marcellus II. ostensus potius, quam datus Pontifex Maximus) in Vaticanam Bibliothecam translatus. Hactenus demonstratum est A.U. 977. Christi 224. fuisse Bissextilem. Quare Bissextilis ab hoc decimus tertius fuit annus Urbis 1029, Christi 276. Tredecim enim Bissextiles exacti dant annos 52. Itaque annus, quo Probus Imperium accepit, Tacito II & Aemiliano Coss., fuit Bissextilis, quo charactere in antiquis Fastis Anonymi apud Bucherium illud collegium Consulum notatur. Rursus ab anno Chr. 276. numerato Bissextiles duos ac viginti, qui dant annos 88, eris ad an. Chr. 364, teste Ammiano, itidem Bissextilem. Denique ab A.U. 977. Chr. 224. Bissextili, qui ex Hippolyti Canone fuit a Martio tertius annus Imperii Alexandri Severi, Juliano II, & Crispino Coss. collige exactos Bissextiles XXXV, qui faciunt annos 140, devenies ad VI. Kal. Martias A.U. a Palilibus 1117. Chr. 364, Joviano & Varroniano Coss. quo anno Bissextili Valentinianus Imperium accepit. Panvinius in Fastis, & Chronico Ecclesiastico, annum tertium Imperii Alexandri vocat U. C. 977. Christi 225. Errat in annis Christi, quod vulgarem Epocham uno anno praevertit. Rursus annum secundum Probi ponit coeptum anno U.C. 1030, Christi 278, Probo Augusto II, & Lupo Coss., qui reapse fuit Christi 277, Probo Aug. & Paulino Coss., quos ille Consules suffectos perperam arbitratus, unius anni jacturam facit. Baronius annum secundum Imperii Probi appellat Christi 280, hisce verbis narrationem rerum eo anno gestarum auspicatus: *Christi anno ducentesimo octogesimo, quo Probus Imperii primo absoluto, annum secundum auspicatur &c.* in quibus triennii metachronismum peccat. Scaliger lib. 5. *de Emend. Temp.* pag. 463. ait: *Annus secundus Probi Imperatoris congruit anno tertio Olympiadis CCLXIV, ducentesimo septuagesimo nono Christi*. Est biennii error. Nam congruit anno primo Olympiadis 264. ac Christi 277. Ita, in annis Imperii Probi disponendis, summi Viri a vera Chronologia exorbitarunt. Ceterum, ad exponendas Epochas ab Eusebio cum anno secundo Probi copulatas, initium Imperii ejusdem anno Christi Bissextili 276, U. C. 1029, ac tertio usque ad Solstitium Olympiadis 263. affigendum ostendit laudatus Card. Norisius, ut ea, quae de eisdem Epochis suo inferius dicit loco, facilius intelligantur, sitque secundus annus Probi index certissimus, quo initium Aerarum plurium Urbium Syriae demonstrantur. Ex his patet error etiam V.Cl. Harduini, qui annum Edessenorum 588. *ait incidere* in A. U. 1031. qui *Probi secundus*; cum annus eorumdem fuerit Epochae Seleucidarum, idemque initus ab Autumno anno Urbis 1029, Chr. 276, & ab Aprili postea sequenti cum A.U. 1030, ac secundo Imperii Probi defluxerit, ut Eusebius in Chronico scripsit.

21. *Apostoli Christi, & IIII. Euangelistae Quadriga Domini, & verum Cherubim, repleti Spiritu Veritatis, ac dono linguarum praediti, scientiam salutis ad bene beateque vivendum, a Philosophis frustra quaesitam, ubique Terrarum circumferunt, & confirmant sanctissimis moribus, verbo, signis, & sanguine dedicatam*. Tales elegit Deus, prorsus rudes, & illiteratos, ut omnipotentiam suam manifestaret evidentius; & progressus Euangelii non Apostolorum industriae, sed Divinae virtuti tribueretur. Vide nostrum *Librum Historicum* cap. I. & II. & Chronicum ad annum Christi 26.

I.

Petrus Princeps Apostolorum post Episcopatum Ecclesiae Antiochenae, & Praedicationem in Ponto, Cappadocia, Asia, & Bithynia, secundo Claudii anno Romam pergit, ibique XXV. annis Cathedram Sacerdotalem tenet, usque ad ultimum Neronis, a quo affixus Cruci, sepultus est in Vaticano. Vide *Chronicum* ad an. Chr. 33. 40. 45. & 65.

II.

Post XII. Apostolos Paulus electus vas electionis, ut portet Nomen Dei coram Gentibus, & Regibus, & Filiis Israel, post peragratas Provincias, sub initium Imperii Neronis vinctus Romam mittitur, & XIV. ejusdem anno ibidem capite truncatur. Sepultus est Via Ostiensi. Vide *Chronicum* ad an. Chr. 30. 43. 50. 56. & 65.

III.

Andreas, qui Scythis, Sogdianis, & Saciis Asiae, ac in Graecia, & Epiro praedicavit Euangeliũ, Cruci suffixus ab Egea, sepultus est Patris.

IV.

Jacobus frater Domini cognomento Justus, post Christi Passionem, statim ab Apostolis Jerosolymorum Episcopus ordinatus, XXX. annis eamdem rexit Ecclesiam; & pertingens ad VII Neronis annum, sub eo praeceps de Tem-

Templo datus, & fullonis fuste percussus, ibidem sepultus est, & usque ad obsidionem Titi, & ultimam Hadriani, Titulum notissimum habuit. Vide *Chronicum* ad ann. Chr. 61.

V.

Joannes XIV. post Neronem anno Imperium ineunte, ac totidem post annis Ecclesiam persequente Domitiano, in Pathmos Insulam relegatus, sub Nerva Principe Ephesum rediit, ac totas Asiae fundavit reaitque Ecclesias. Vide *Chronicum* ad an. Chr. 93. 94. 97. & 99.

VI.

Thomas, cum lumen Christi intulisset Parthis, Medis, Persis, Aethiopibus, Indis, Salaminae lanceis transfigitur. Vide *Chronicum* ad an. Chr. 42.

VII.

Jacobus Zebedaei filius, Joannis frater, Apostolus, primus Martyr occubuit, & sub Herode Agrippa gladio occisus est. Vide *Chronicum* ad an. Chr. 42.

VIII.

Philippus Asiam superiorem, & Scythiam Euangelio excoluit; Hierapolim vero martyrio, & sepulcro illustravit. Vide *Chronicum* ad an. Chr. 29.

IX.

Bartholomaeus Armeniae majori, Albanis, & Indiae citeriori Fidem Christianam annuncians, eandem sanguine fuso testatus est.

X.

Matthaeus primus in Judaea Euangelium composuit Hebraicis literis, dum Petrus ac Paulus Romae, Christum praedicantes, Ecclesiae fundamenta jacerent: in Aethiopia vero martyrium fecit. Vide *Chronicum* ad an. Chr. 37.

XI.

Simon Zelotes in Aegyptum, ac Taddaeus, (qui & Judas) in Mesopotamiam profecti, Christum annunciant, & Persidem simul ingressi, martyrium complent.

XII.

Matthias, in locum Judae proditoris, ab Apostolis sorte electus, pro Euangelii praedicatione martyrium patitur.

XIII.

Barnabas, in communem Ecclesiae censum agri pretio conlato, Christianam paupertatem professus, & cum Paulo Gentium Apostolus ordinatus, multas Regiones pervadit: tum ab eo digressus in Cyprum, circa VII. Neronis annum martyrio coronatur. Vide *Chronicum* ad an. Chr. 36. & 37.

XIV.

INDICULUS TAB. III. SAEC. II

Lucas Pauli comes, Euangelium, sicut audierat, Acta vero Apostolorum, sicut viderat ipse, composuit. Vide *Chronicum* ad an. Chr. 58.

XV.

Marcus Discipulus & interpres Petri Alexandrinam Ecclesiam Christiana Fide atque Apostolicis moribus primus instituit. Vide *Chronicum* ad annum Chr. 41. & 62.

22.) Effigies SS. Apollinaris, Gervasii, 23.) & Protasii, ex Musivo Ravennatensi, de quo vide Ciampinium *Vet. Monim.* To. II. pag. 82. Sanctus Apollinaris, brachiis elevatis, & capite redimito, ac veste, pallioque Pontificio albo, casula vero aurea indutus stat. Passus est sub Vespasiano. Acta ejus antiqua sunt, sed non ex puris fontibus derivata; ut innuunt Patres Bollandiani ad diem 23. Julii, utque ostendit Tillemontius To. II. p. 102. *Confessor* dicitur a S. Petro Chrysologo Serm. 128., *Martyr* vero a S. Gregorio Magno *in Regist.* lib. v. Ep. 32. Medio Saeculo XII. Maurus Archiepiscopus Ravennas, paucis Acta S. Apollinaris describi, insculpique laminis argenteis tribus curavit anno 1173, cum translata sacra Martyris lipsana fuissent in alium locum. SS. Gervasium & Protasium Martyres ritu solemni Mediolanenses colunt; quoniam eorum Corpora S. Ambrosius ibidem invenit anno Dom. 386, ut ipse non semel narrat, scribitque ad Marcellinam Sororem. Ejusdem Inventionis meminere etiam S. Augustinus lib. 9. *Confess.* cap. 7, *de Civit. Dei* lib. 22. cap. 8, ac Sermone *de Diversis* 39. novae Edit. Paulinus quoque *in Ambrosii Vita* num. 6. & alii. Quae in marmore leguntur carmina, consecravit, atque sub depicta effigie S. Anathalonis II. Episcopi Mediolanensis, Mirocles ejusdem Ecclesiae Praesul insculpi curavit. Confer Ughel. *Ital. Sacr.* in Episcopis Mediolanensibus Secundo, & Octavo, ubi agitur de SS. Anathalone, & Mirocle: ibi namque dictum Epigramma Memoriae Anathalonis appositum exhibetur. In vetustissimo Carthaginiensi Kalendario legitur, *XIII. Kal. Julias SS. Gervasii, & Protasii Martyrum*. De eis agunt omnia vetera Martyrologia ad diem 19. Junii. Vide Baronium in notis ad Martyrologium Romanum, & in Annalibus ad an. Chr. 387. num. 37. & seqq. ubi agit de Inventione Corporum eorumdem SS. Martyrum, deque solemni Translatione. Ruinartius in Admonitione ad Martyrium SS. Vitalis & Agri-

INDICULUS TAB.III.SEC.II

Agricolae pag. 512. scite haec adnotavit: „ Felix inter alios fuit in effodiendis thesauris Martyrum S. Ambrosius Mediolanensis Antistes, qui non solum Nazarii & Celsi Martyrum Corpora, in quodam horto extra Civitatem sepulta, levavit (quorum aliqua notio habebatur); sed & *SS. Gervasii*, & *Protasii* detexit Reliquias, qui Martyres ne nomine quidem antea cogniti erant (ut testatur Paulinus *in Ambrosii Vita* num. 6); quamvis prope Sanctos Naborem, & Felicem sepulti fuissent, quorum sepulcra maxime a Mediolanensibus frequentabantur, quosque idem Ambrosius lib. 7. in Lucae Euangelium specialiter cum Sancto Victore *nostros*, idest Mediolanenses, *Martyres* appellat „.

24. *Discipuli Domini*, & *Apostolorum*, *susceptam spiritus fidei, ac disciplinae haereditatem, transmittunt ad posteros incorruptam; sic docentes, quemadmodum ab iis acceperunt, qui ab initio ministri fuerunt sermonis: lux Mundi, praemicant; sal terrae, condiunt aeternitati*. Vide *Chronicum* ad annum Christi 27. De primis Christi Discipulis, quos etiam saepius antiqui Scriptores Apostolos appellare consueverunt, consule Sacrarum Scripturarum Interpretes *Lucae* c. x. ver. 1, & recentiores Historiae Ecclesiasticae Scriptores, praesertim vero Tillemontium Tom. I. *Memoriarum &c.* ubi conatus est expiscari ex Sacra Scriptura, atque ex Sanctorum Patrum traditione illorum nomina, quae hodieque supersunt. Nos heic exhibebimus Catalogum Discipulorum Domini, & Apostolorum, qui in Martyrologio Romano descripti sunt ex Tabulis Ecclesiarum.

DIE JANUARIO.

IV. *In Creta, Natalis S. Titi, qui ab Apostolo Paulo Cretensium Episcopus ordinatus, post praedicationis officium fidelissime consummatum, beatum finem adeptus, sepultus est in Ecclesia, ubi a Beato Apostolo dignus minister fuerat constitutus*. De Titi vita, & rebus ab eo gestis, nonnulla ex variis collegit Bollandus: sed accuratior sylloge ex Scriptura & Patribus concinnata fuit a Tillemontio pag. 139.

X. *In Cypro, B. Nicanoris Diaconi de septem primis, qui gratia fidei, & virtute admirandus, gloriosissime coronatus est*. Confer Martyrologia Adonis, & Usuardi ad diem 10. Januarii. In Martyrologio Romano parvo legitur: *in Cypro, Nicanoris de VII. Diaconibus*.

XXIII. *Philippis in Macedonia, S. Parmenae, qui fuit unus de septem primis Diaconis. Hic traditus gratiae Dei, injunctum sibi a Fratribus officium praedicationis plena fide consummans, sub Trajano martyrii gloriam est adeptus*. Consule Martyrologia Adonis, & Usuardi die 23. Januarii, Patres Bollandianos eadem die, & Tillemontium Tom. 2. pag. 69. & 70.

XXIV. *Natalis S. Timothei Discipuli Beati Pauli Apostoli, qui ab eodem Ephesi ordinatus Episcopus, post multos pro Christo agones, cum Dianae immolantes argueret, lapidibus obrutus, paulo post obdormivit in Domino*. Acta ejus a Polycrate scripta illustrantur a Bollando, ac etiam a Tillemontio Tom. 2. pag. 142. & seqq. Plura ante eos jam literis consignaverat noster Card. Baronius Annalium Tom. 1. & in Notis ad Martyrologium.

XXV. *Apud Damascum, Natalis S. Ananiae, qui Apostolum Paulum baptizavit. Hic cum Damasci, & Eleutheropoli, alibique Euangelium praedicasset, sub Licinio Judice nervis caesus, & laniatus, demum lapidibus oppressus, martyrium consummavit*. De Anania, ejusque gestis nonnulla praenotavit Baronius annis 33. num. 41, 35. num. 5, & 36. num. 1, ac item in Notationibus ad Martyrologium hac die.

XXIX. *Treviris, Depositio B. Valerii Episcopi, Discipuli S. Petri Apostoli*. S. Valerius Episcopus Trevirensis successit S. Eucherio (qui obiit anno Domini 73), & migravit ad Dominum ann. 88. Vide Brovverum Annal. Trevirensium lib. 2. §. 76.

DIE FEBRUARIO.

I. *Natalis S. Ignatii Episcopi & Martyris, qui tertius post B. Apostolum Petrum, Antiochenam rexit Ecclesiam, atque in persecutione Trajani damnatus ad bestias, Romam vinctus mittitur jubente Trajano; ubi circumsedente Senatu, immanissimis poenarum suppliciis primo affectus, Leonibus dehinc objicitur; quorum dentibus praefocatus, hostia Christi efficitur*. Acta ejus genuina, post Usserium, edidit Ruinartius p. 9, & eadem Graece scripta ex Codice Colbertino cum nova Interpretatione ad calcem adjecit pag. 695. Vide quoque Tillemontium Tom. 2. pag. 190. Quo anno passus sit, inter Eruditos pugnatur. Acta genuina eum passum habent anno Chr. 107, sed confer Pagium in Critice ad annum 107. nu. 3, Tillemontium To. 2. Not. 17.

pag. 506.

pag. 506, & Norisium in Epist. Consular. primae Editionis pag. 73.

II. *Caesareae in Palaestina, S. Cornelii Centurionis, quem B. Petrus Apostolus baptizavit, & apud praefatam Urbem Episcopali honore sublimavit*. Ejus gesta, post Baronium in Notis, illustrantur a Bollandianis die 2. Februarii, ac a Tillemontio To. 1. pag. 154.

XIII. *Antiochiae, Natalis S. Agabi Prophetae, de quo B. Lucas in Actibus Apostolicis scribit*. De hoc Novi Testamenti Propheta, ejusque vaticiniis, consule Henschenium in Actis die 13. Februarii, & Baronium ad annos Christi 44. num. 62, & 58. num. 116.

XVI. *Natalis B. Onesimi, de quo S. Paulus Apostolus ad Philemonem scribit; quem etiam, post S. Timotheum Ephesiorum Episcopum, ordinavit, praedicationisque verbum illi commisit. Hic vinctus Romam perductus, ac pro fide Christi lapidatus, primo ibidem sepultus fuit; inde ad locum, ubi Episcopus fuerat ordinatus, corpus ejus delatum est*. De Onesimo, qui & *Apostolus* dicitur, vide Henschenium in Actis die 16. Februarii pag. 855, Baronium in Adnotationibus hac die, & ad annum Christi 110. num. 10, itemque Tillemontium Tom. 1. in Vita S. Pauli pag. 289, & 576.

XXII. *Salaminae in Cypro, S. Aristionis, qui (ut S. Papias testatur) fuit unus de septuaginta duobus Christi Discipulis*. Consule Martyrologia Adonis, & Usuardi die 22. Februarii, qua die Bollandus ex Eusebio, & aliis, ejus elogium exaravit.

DIE MARTIO.

XIV. *Romae, Natalis SS. Quadragintaseptem Martyrum, qui baptizati sunt a B. Apostolo Petro, cum teneretur in custodia Mamertini cum Coapostolo suo Paulo; ubi novem menses detenti sunt: qui omnes sub devotissima Fidei confessione Neroniano gladio consumpti sunt*. Hi Romani Martyres XLVII. ex vulgatis SS. Processi, & Martiniani Actis sumpti sunt. Vide Georgium, & Sollerium in Notis ad Martyrologia Adonis, & Usuardi die 14. Martii.

XV. *Caesareae in Cappadocia, Passio S. Longini Militis, qui latus Domini lancea perforasse perhibetur. Eodem die Natalis S. Aristobuli Apostolorum Discipuli, qui, cursu praedicationis peracto, martyrium consummavit*. Acta S. Longini Græca & Latina, auctore Hesychio Presbytero, edita & recusa a Bollandianis fuere ad diem 15. Martii pag. 386, & 736; sed nullius fidei sunt, ut ostendit Tillemontius Tom. 1. pag. 453, & 477. Ejusdem furfuris sunt illa, quae habentur apud Simeonem Metaphrastem, Latine edita a Lipomano ad diem 16. Octobris, & a Surio ad diem 15. Martii.

XVII. *Jerosolymis, S. Joseph ab Arimathaea nobilis Decurionis, Discipuli Domini; qui ejus Corpus de Cruce depositum in Monumento suo novo sepelivit*. Vide Baron. in Notis.

XX. *In Asia, Natalis S. Archippi Commilitonis B. Pauli Apostoli, cujus ipse in Epistola ad Philemonem, & ad Colossenses meminit*. Notkerus ei adjecit titulum Episcopi, de quo, uti & de Martyrii laurea, Antiquorum testimonia quaerit Henschenius, nec reperit.

XXII. *Narbone in Gallia, Natalis S. Pauli Episcopi, Apostolorum Discipuli, quem tradunt fuisse Sergium Paulum Proconsulem, qui a B. Apostolo Paulo baptizatus, & cum in Hispaniam pergeret, apud Narbonam relictus, ibidem Episcopali dignitate donatus est: ubi praedicationis officio non segniter expleto, clarus miraculis, migravit in Caelum*. De Paulo Narbonensi mentionem faciunt Prudentius Peristephanon Hymno 4, & S. Gregorius Turonensis *Hist. Franc.* lib. 1. cap. 30. Utrum Paulus ab Apostolis in Gallias missus fuerit, & an sit *Sergius Paulus*, discrepant inter se Eruditi Galli, ut scribit Cl. Georgius in Notis ad Martyrologium Adonis XI. Kal. Aprilis pag. 130, & IV. Kal. Januarii pag. 10, ubi de S. Trophimo. Conferantur vero de S. Paulo Episcopo Narbonensi Sollerius in Usuardum die 12. Decembris, & Tillemontius Tom. 4. pag. 469. & seqq.

XXIV. *Brixiae, S. Latini Episcopi*. Vide Baronium in Notis.

XXV. *Jerosolymis, Commemoratio S. Latronis, qui in Cruce Christum confessus, ab eo meruit audire*: Hodie mecum eris in Paradiso. Vide Baronium in Notis.

DIE APRILI.

III. *Tauromenii in Sicilia, S. Pancratii Episcopi, qui Christi Evangelium, quod a S. Petro Apostolo illuc missus praedicaverat, Martyrii sanguine consignavit*. Ejus memoria extat in Tabulis Ecclesiasticis Siculorum, necnon in Martyrologiis Adonis, Usuardi, & Notkeri. Primus

 fuis-

INDICULUS TAB. III. SAEC. II

INDICULUS TAB.III.SAEC.II

fuisse Siculorum Apostolus dicitur, eo missus ab Apostolo Petro; sed ea de re vide, quae diligenter collegit hac die pag. 237 P. Henschenius, & ab apocryphis discrevit.

VIII. *Commemoratio SS. Herodionis, Asyncriti, & Phlegontis, de quibus scribit B. Paulus Apostolus in Epistola ad Romanos.* Vide Baronium ad annos Chr. 58. num. 56, et 69. num. 44.

IX. *Antiochiae, S. Prochori, qui fuit unus de septem primis Diaconis; & fide ac miraculis clarus, martyrio coronatus est. In Judaea S. Mariae Cleophae sororis Sanctissimae Dei Genitricis Mariae.* De S. Prochoro incerta omnia, praeter ejus ad Diaconatum electionem ex Actorum cap. VI. Vide Bollandianos die 9. Aprilis pag. 819. & 910. Episcopum Nicomediae fuisse, aliqui tradunt apud Baronium in Notationibus eadem die, & in Annalibus ad annum Christi 44. num. II. Quae circumfertur Prochori Diaconi de S. Jo. Euangelista narratio, apocrypha est, & fabulis, mendacisque referta.

XI. *Pergami in Asia, S. Antipae testis fidelis, cujus meminit S. Joannes in Apocalypsi. Is sub Domitiano Imperatore in bovem aeneum candentem conjectus, martyrium consummavit.* Vide Baronium in Annal. ad an. 93. num. 9, et 97. num. 14.

XIX. *Natalis S. Timonis Diaconi de septem primis, qui primo apud Beroeam Doctor resedit; ac deinde Verbum Domini disseminans, venit Corinthum, ibique a Judaeis & Graecis (ut traditur) flammis injectus, sed nil laesus; demum Cruci affixus, martyrium suum implevit.* Timonem primus omnium in Fastos Ecclesiasticos intulit Auctor Romani parvi: *Apud Corinthum, Timonis Diaconi de septem*, ex quo eum Ado suo Martyrologio inseruit, & inter festivitates Apostolorum eo exornavit elogio, quo Usuardus fere ad verbum in suo descripsit. Conferatur Henschenius de eo, die 19. Apr. pag. 620.

XXII. *Smyrnae, SS. Apellis, & Lucii ex primis Christi Discipulis.* Vide Baronium in Notis.

XXVI. *Romae, Natalis B. Cleti Papae, qui secundus post Apostolum Petrum rexit Ecclesiam, & in persecutione Domitiani martyrio coronatus est.* An Cletus idem sit ac Anacletus, gravis est inter Historicos controversia, Tillemontius Tom. 2. pag. 555. expuncto Anacleto, Cletum tantum agnoscit, contra Henschenii sententiam, qui ad diem 26 Aprilis pag. 409 Cletum ab Anacleto esse distinguendum monet. Lini Successor ab Irenaeo lib. 3. cap. 3, Eusebio in Chronico, Hieronymo *de Scriptor. Eccl.*, Rufino Praef. in Libros Recognitionum, & Photio Cod. 13 Anacletus; ab Eusebio autem lib. 3. *Histor.* cap. 13. & 15, ac nonnullis Graecis Anencletus; demum ab Epiphanio Haeresi 27. num. 2, & in Canone Missae, necnon in Poemate adversus Marcionem apud Tertullianum, ac in Vetustioribus Romanorum Pontificum Catalogis Cletus nominatur; quem alium ab Anacleto extitisse, ostendimus in Chronico, & in Tab. I. Saec. I. n. 35, ac n. 29. Tab. II. Saec. II. post PP. Bollandianos ad diem 13. Julii pag. 479. Pagius quoque in Critica ad annum 101. num. 4. tutius censuit ab opinione communi non discedere.

XXIX. *Apud Paphum in Cypro, S. Tychici Discipuli B. Pauli Apostoli, quem idem Apostolus in suis Epistolis charissimum fratrem, ministrum fidelem, & conservum suum in Domino appellat.* De eo autem agunt III. Kal. Maji Ado, Usuardus, & Notkerus. Vide Commentarium Henschenii eadem die pag. 613.

DIE MAJO.

VI. *Antiochiae, S. Evodii, qui (ut B. Ignatius ad Antiochenses scribit) primus ibidem a S. Petro Apostolo ordinatus Episcopus, glorioso martyrio vitam finivit.* Decessit anno Christi 68. Successerat S. Petro in Antiochena Sede anno Domini 40, ut scribit Petrus Boschius in Antiochenis Episcopis & Patriarchis, Julii Tom. 4. Ejus elogia collegerunt Bollandiani Socii die 6. Maji pag. 98.

VII. *Tarracinae in Campania, Natalis Beatae Flaviae Domitillae Virginis & Martyris; quae cum esset Flavii Clementis Consulis sororis filia, & a S. Clemente sacro velamine consecrata, in persecutione Domitiani, ob testimonium Christi, cum aliis plurimis in Insulam Pontiam exilio deportata, longum ibi martyrium duxit: novissime vero Tarracinam deducta, cum doctrina & miraculis plurimos ad fidem Christi convertisset, jussu Judicis incenso cubiculo, in quo simul cum suis Virginibus Euphrosyna, & Theodora morabatur, cursum gloriosi martyrii consummavit.* De ea agit Baronius in Notationibus die 7. Maji, & in

in Annalibus ad annos Christi 98. num.4, & 100. num.12. Pater Edmundus de Vitry Societatis Jesu in aureo Opusculo de S. Tito Flavio Clemente num. 19. agit de Sancta Flavia Domitilla, Actisque SS. Nerei & Achillei. Extat in Tabulario Capitolino Dissertatio luculenta de Actis hujus celeberrimae Virginis & Martyris nondum edita, Auctore Francisco Valesio, mei, dum viveret, amicissimo, qui nunquam prae modestia persuaderi poterit, ut eam luce donaret.

IX. *Romae, S. Hermae, cujus Apostolus Paulus in Epistola ad Romanos meminit. Hic digne semetipsum sacrificans, acceptabilisque Deo hostia factus, virtutibus clarus Caelestia Regna petivit.* Citatur ab Adone locus Apostoli Rom. 16, ubi & *Hermam & Hermen* salutari praecipit. Porro nonnulla commemorat de Libro *Pastoris* ab Herma composito, quem apud Henschenium laudant Origenes, & Hieronymus: at multa plura de eo, & enucleatius exposuit Tillemontius Tom. 2. pag. 111. & seqq.

XII. *Romae Via Ardeatina, SS. Martyrum Nerei & Achillei fratrum: qui primo cum Flavia Domitilla, cujus erant Eunuchi, in Insula Pontia longum pro Christo duxerunt exilium; postmodum gravissimis verberibus attrectati sunt: deinde cum a Minutio Ruso Consulari equuleo & flammis ad immolandum compellerentur, dicerentque, se a B. Petro Apostolo baptizatos, nulla ratione posse Idolis immolare, capite caesi sunt.* Extat eorum memoria in Codice Sacramentorum Gelasiano p. 151. Sepulti fuerunt, ut praeferunt Acta vulgata, in Praedio *S. Domitillae, in crypta arenaria, Via Ardeatina,* juxta sepulcrum *S. Petronillae*: ibi eorumdem Martyrum Coemeterium fuit, quod *Joannes Papa I. renovavit*, ut habet Liber Pontificalis in ejus Vita cap. 7. Vide Notitiam veterem Ecclesiarum extra Urbem, editam ab Eccardo ad calcem Tomi I Historiae Franciae Orientalis, & aliam Notitiam apud Willelmum Malmesburiensem lib. 4. de *Rebus gestis Regum Anglorum*; itemque descriptionem Regionum Urbis apud Mabillonium Analectorum Tom. 4. pag. 502, ubi de SS. Nerei, & Achillei sepulcro, seu Coemeterio Via Ardeatina, juxta S. Petronillam. Intra Urbem, secus Appiam Viam, est alia eorumdem Martyrum Ecclesia nostrae Congregationi Oratorii Romani commendata, quae *Titulus Fasciolae* dicebatur, cujus Tituli Presbyteri tres subscripserunt Concilio Romano anno Domini 499, ubi olim S. Gregorius Magnus Homiliam, ordine 28. in Euangelia, ad Populum habuit. Vide Baronium ad annum Christi 270. num. 9, & in Adnotationibus ad Martyrologium die XII. Maji.

XV. *In Hispania, SS. Torquati, Ctesiphontis, Secundi, Indaletii, Caecilii, Hesychii, & Euphrasii, qui Romae a SS. Apostolis Episcopi ordinati, & ad praedicandum Verbum Dei in Hispanias directi sunt; cumque variis Urbibus euangelizassent, & innumeras multitudines Christi fidei subjugassent, in ea Provincia diversis locis quieverunt: Torquatus Acci; Ctesiphon Vergii; Secundus Abulae; Indaletius Urci; Caecilius Illiberi; Hesychius Cartejae, & Euphrasius Illiturgi.* Horum Acta exhibentur a Bollandianis die 15. Maji pag. 444; sed vide Tillemontium Tom. 1. pag. 191, & Georgium, ac Sollerium eadem die in Notis ad Adonem, & Usuardum.

XVII. *Pisis in Tuscia, S. Torpetis Martyris, qui magnus in officio Neronis primum fuit, unusque ex his, de quibus Paulus Apostolus ab Urbe Roma ad Philippenses scribit.* Acta ejus mendosa, & incerta sunt. Vide censuram Tillemontii To. 2. p. 495. Ea discussa, & expensa a Papebrochio habes apud Bollandianos die 17. Maji pag. 7. & seqq.

XIX. *Romae, Sancti Pudentis Senatoris, patris S. Pudentianae Virginis, qui ab Apostolis Christo in baptismo vestitus, innocentem tunicam usque ad vitae coronam immaculate custodivit.* Vide, quae scribit Baronius ad annum Christi 57. num. 101, 112. num. 4, 162. num. 2, & 165. num. 3. In Actis Pudentiana, juxta patrem suum Pudentem, in Coemeterio Priscillae Via Salaria, deposita fuisse dicitur; sed vide Cl. Fontaninum in Historia Literaria Aquilejensi lib. 1. cap. 2, ubi de Titulo Pudentis, Tillemontium Tom. 2. pag. 615, & Patruum meum in Notis ad Anastasium Bibliothecarium Tom. 2. pag. 122. & seqq.

XXIV. *Antiochiae, Natalis S. Manahen, Herodis Tetrarchae collactanei, Doctoris & Prophetae sub gratia Novi Testamenti, in eadem Urbe quiescentis.* Hujus nomen in Divinarum Scripturarum Libris celebratur. Vide *Actus Apost.* cap. 13. vers. 1, & Bol-

& Bollandianos die 24. Maji pag. 272, & 273.

XXXI. *Romae, S. Petronillae Virginis, filiae B. Petri Apostoli, quae Flacci nobilis viri conjugium spernens, acceptis triduanis ad deliberandum induciis; interim jejuniis & orationibus vacans, tertia die, mox ut Christi sacramentum accepit, emisit spiritum.* Cur S. Petri filia dicatur, vide Baronium ad annum Christi 69. num. 32, & 33, ac Henschenium die 31. Maji pag. 420. Romae habuit Coemeterium, de quo consulendi Anastasius Bibliothecarius in Gregorio III, Bosius, Severanus, Aringhius, & Boldettus. De Translatione Corporis S. Petronillae ex ejus Coemeterio in Oratorium prope Basilicam Vaticanam, a Paulo I Romano Pontifice facta, lege Anastasium Bibliothecarium in Vita ejusdem Pauli, & Baronium ad annum Christi 758. num. 1. & seqq.

DIE JUNIO.

VI. *Caesareae in Palaestina, Natalis B. Philippi, qui fuit unus de septem primis Diaconis.* De rebus gestis, ac de Episcopatu ejus Trallensi, vide Baronium in Notationibus ad Martyrologium Romanum die 6. Junii, & eadem die Georgium, & Sollerium in Notationibus ad Adonem, & Usuardum. Itemque Tillemontium To. 2. pag. 65, & 490.

VIII. *Aquis in Gallia, S. Maximini primi ejusdem Civitatis Episcopi, quem Domini Discipulum fuisse tradunt.* Vide Baronium in Notis.

XIV. *Syracusis, S. Marciani Episcopi, qui a B. Petro ordinatus Episcopus, post Evangelii praedicationem, a Judaeis occisus est.* Vide Baronium in Annal. ad an. Chr. 46. num. 2.

XXIV. *Romae, Commemoratio SS. plurimorum Martyrum, qui sub Nerone Imperatore de Urbis incendio per calumniam accusati, diverso mortis genere ab eodem jussi sunt saevissime interfici: quorum alii, ferarum tergis contecti, laniatibus canum expositi sunt, alii crucibus affixi, aliique incendio traditi, ut ubi defecisset dies, in usum nocturni luminis deservirent. Erant hi omnes Apostolorum Discipuli, & Primitiae Martyrum, quas Romana Ecclesia fertilis ager Martyrum, ante Apostolorum necem, transmisit ad Dominum.* Vide Baroninm in Notis.

XXV. *Apud Beroeam, Natalis S. Sosipatris Discipuli B. Pauli Apostoli.* Baronius in Notationibus hunc eum esse ait, de quo habetur mentio in Actibus Apostolorum cap. 10, & in Epistola S. Pauli ad Romanos cap. 16. Hunc Origenes in eadem Epistola Thessalonicensem Episcopum ordinatum fuisse tradit, & Dorotheus in Synopsi Iconii Episcopum dicit. Vide etiam Hippolyti Thebani Libellum de septuaginta duobus Discipulis, & Dionysii Epistolam ad Sosipatrum (licet utraque isthaec Opuscula inter apocrypha enumerentur), in quibus Sosipater nominatur: qui plura velit, conferat Henschenium in Sylloge Historico-Critica die 25. Junii pag. 4, Sollerium, & Georgium in Notationibus ad Adonem, & Usuardum, eadem die.

XXVII. *In Galatia, S. Crescentis Discipuli B. Pauli Apostoli, qui in Gallias transitum faciens, verbo praedicationis multos ad fidem Christi convertit: rediens vero ad gentem, cui specialiter datus erat Episcopus, cum Galatas ipsos usque ad finem vitae suae in opere Domini confirmasset, demum sub Trajano martyrium consummavit.* Vide Sollerium die 27. Junii in Notis ad Usuardum, item Bollandianos in Actis Sanctorum ad eamdem diem. Baronius in Notis de ejus Apostolatu disquirit, an scilicet Christi fidem Viennensibus in Gallia praedicaverit, & in Germania Moguntinis. Consule Rerum Gallicarum Scriptores, & Tillemontium Tom. 1. pag. 312, & 584.

XXX. *Lemovicis in Gallia, S. Martialis Episcopi cum duobus Presbyteris Alpiniano, & Austricliniano, quorum vita miraculorum signis admodum effulsit.* De Martialis Apostolatu consule Papebrochium in Actis Sanctorum die 30. Junii pag. 535, & seqq. Vide etiam ibidem pag. 538 Dissertationem Jo. Cordesii de missione in Aquitania S. Martialis, & pag. 544 Epistolam Petri de Marca de tempore praedicatae primum in Galliis fidei.

DIE JULIO.

II. *Romae Via Aurelia, Natalis SS. Martyrum Processi, & Martiniani, qui a B. Petro Apostolo in custodia Mamertini baptizati, sub Nerone oris contusionem, equuleum, nervos, fustes, flammas, scorpionesque perpessi, novissime gladio caesi, martyrio coronati sunt.* Legitur in Notitia ab Eccardo edita: *Inde haud procul in sinistra manu juxta Viam*

Viam Aureliam, *S. Processus*, *S. Martinus* (pro Martinianus). Et in Notitia veterrima Regionum Urbis apud Mabillonium, Analectorum Tom. IV. pag. 501. num. 69. *S. Processus*, *& S. Martinianus inter Viam Aureliam & Portuensem memorantur*. De eorum Actis adeundus Baronius ad annum 68. num. 24, & in Notationibus die 2. Julii, item Bollandiani Socii eadem die in Commentario pag. 301.

VI. *Fesulis in Tuscia, S. Romuli Episcopi & Martyris, Discipuli B. Petri Apostoli; qui ab eodem missus ad praedicandum Euangelium, cum in multis Italiae locis Christum annunciasset, rediens Fesulas, sub Domitiano Principe martyrio coronatus est cum aliis sociis.* Vide Baron. in Notis.

VIII. *In Asia minori, SS. Aquilae & Priscillae uxoris ejus, de quibus in Actibus Apostolorum scribitur.* Vide Tillemontium Tom. I. pag. 246. & seqq, & Socios Bollandianos die 8. Julii, qui de eorum cultu, elogiis, ac martyrio pag. 534. & seq. multa literis consignarunt. Passi sunt circa annum Christi 65. vel 69.

XII. *In Cypro, B. Jasonis antiqui Christi Discipuli. Aquilejae, Natalis S. Hermagorae Discipuli B. Marci Euangelistae, & primi ejusdem Civitatis Episcopi: qui inter miracula sanitatum, & praedicationis instantiam, ac populorum conversionem, plurima poenarum genera expertus; tandem una cum Fortunato Diacono suo, capitali supplicio perpetuum meruit triumphum. Lucae in Tuscia, B. Paulini, qui a S. Petro primus ejusdem Civitatis Episcopus ordinatus, sub Nerone ad radices Montis Pisani post multos agones martyrium suum cum aliis sociis consummavit.* De Jasone, vide Acta Apostolorum cap. 21, Baronium in Notationibus ad Martyrolog. die 12 Julii, Socios Bollandianos eadem die pag. 248, & Henschenium ad diem 25 Junii p. 4. & seqq. De Paulino, consule Martyrologium Usuardi Commentariis illustratum a Sollerio in Auctariis Tom. 7. Junii Actorum Sanctorum pag. 397, & Ughellium in Italia Sacra. De Hermagora demum, vide Dominicum Bertolum in Antiquitatibus Aquilejensibus pag. 363. 364. 366, & 370, & Tillemontium Tom. 2. pagina 77. 497. & 507. Ejus Acta habentur apud Bollandianos die 12. Julii pag. 251.

XIII. *In Macedonia, B. Silae, qui cum esset unus de primis fratribus, & ab Apostolis ad Ecclesias Gentium, una cum Paulo & Barnoba, destinatus; praedicationis officium, gratia Dei plenus, instanter consummavit, atque in passionibus suis Christum clarificans, postmodum requievit.* Ejus gesta in Actis Apostolorum habentur, atque in Epistolis SS. Petri & Pauli. Vide Baronium in Notationibus die 13. Julii, & in Annalibus ad annum Christi 51. num. 64. & seqq., ac Tillemontium Tom. I. variis locis.

XIX. *Natalis S. Epaphrae, quem S. Paulus Apostolus concaptivum appellat. Hic ab eodem Apostolo Colossis Episcopus ordinatus, clarus virtutibus ibidem martyrii palmam pro ovibus sibi commendatis virili agone percepit: cujus corpus Romae in Basilica S. Mariae Majoris conditum est.* Utrum ab Apostolo Paulo fuerit Colossensis Episcopus ordinatus, disputat Tillemontius Tom. I. pag. 292. Vide, quae de eo habent Patres Bollandiani die 19. Julii pag. 581. & seq.

XX. *Eadem die, Natalis B. Joseph, qui cognominatus est Justus, quem Apostoli cum B. Mathia statuerunt, ut locum Apostolatus Judae proditoris impleret: sed cum sors cecidisset super Mathiam, ipse nihilominus praedicationis, & sanctitatis officio inserviens, multamque pro fide Christi a Judaeis persecutionem sustinens; in Judaea victorioso fine quievit: de quo etiam refertur, quod venenum biberit, & nihil ex hoc triste propter Domini fidem pertulerit.* De hausto veneno, vide Eusebium Rufini lib. 3. cap. 28, Baronium in Notationibus ad Martyrologium die 20. Julii, Bollandianos eadem die pag. 22. & 23, ac Tillemontium Tom. I. pag. 129.

XXII. *Apud Massiliam, Natalis S. Mariae Magdalenae, de qua Dominus ejecit septem daemonia, & quae ipsum Salvatorem a mortuis resurgentem prima videre meruit. Philippis, S. Syntyches, cujus B. Paulus Apostolus meminit.* De S. Maria Magdalena, vide Sollerium in Notis ad Usuardum die 22. Julii, & Tillemontium Tom. 2. pag. 28, ac de S. Syntyche, Adonem, Usuardum, & Bollandianos eadem die pag. 225, & 226.

XXIII. *Natalis S. Apollinaris Episcopi, qui ab Apostolo Petro Romae ordinatus, & Ravennam missus, pro fide Christi diversas & multiplices poenas perpessus est: postea*

INDICULUS TAB.III.SAEC.II

in Aemilia Euangelium praedicans, plurimos ab Idolorum cultu revocavit: tandem Ravennam reversus, sub Vespasiano Caesare gloriosum martyrium consummavit. Acta ejus, licet antiqua, non sunt ex puris fontibus derivata. Vide Tillemontium Tom. 2. pag. 102, & Bollandianos ad diem 23. Julii pag. 343. num. 83. & 84. De ejus Martyrio, egimus supra in Indiculo hujus Tabulae num. 22. Patrum elogia de S. Apollinare, recensent Bollandiani eadem die pag. 328. & seq.

XXVI. *Philippis in Macedonia, Natalis Sancti Erasti, qui illic a B. Paulo Apostolo relictus Episcopus, ibidem martyrio coronatus est.* De Erasto agitur in Actibus Apostolorum cap. 19. vers. 22, in Epistola I. ad Romanos cap. 16. vers. 23, & ad Timotheum cap. 4. vers. 20. Vide Tillemontium Tom. 1. pag. 113, & Bollandianos die 26. Julii pag. 297. & 298.

XXVIII. *Mediolani, Natalis SS. Martyrum Nazarii, & Celsi pueri, quos Anolinus sub rabie persecutionis, quae per Neronem excitata est, diu maceratos, & afflictos in Carcere, gladio feriri jussit.* Vide Clarif. Georgium in Notis ad Martyrologium Adonis die 12. Junii, & 28. Julii, itemque Bollandianos.

XXIX. *Tarasci in Gallia Narbonensi, Sanctae Martae Virginis, hospitae Salvatoris nostri, & sororis B. Mariae Magdalenae, & S. Lazari.* Vide Baronium in Notationibus ad Martyrolog. Rom., & Tillemontium Tom. 2. pag. 31. & seqq.

DIE AUGUSTO.

III. *Neapoli in Campania, S. Aspren Episcopi, qui a S. Petro Apost. ab infirmitate curatus, & deinde baptizatus, ejusdem Civitatis Episcopus ordinatus fuit.* Vide. Baron. in Notis.

IV. *Thessalonicae, Natalis B. Aristarchi Discipuli, & comitis individui S. Pauli Apostoli, de quo ipse ad Colossenses scribit: Salutat vos Aristarchus concaptivus meus. Is ab eodem Apostolo Thessalonicensium Episcopus ordinatus, post longos agones sub Nerone, coronatus a Christo, quievit. Romae, S. Perpetuae, quae a B. Petro Apostolo baptizata, Nazarium filium, & Africanum virum ad fidem Christi perduxit, & multa SS. Martyrum corpora sepelivit, ac tandem bonorum operum meritis cumulata, migravit ad Dominum.* De S. Aristarcho, vide ea, quae ex Actibus Apostolorum, & S. Pauli Epistolis collegit, illustravitque Doctissimus Tillemontius To. 1. & praesertim pag. 571, ubi varia Graecorum elogia de eo expendit. Confer etiam Bollandianos in Actis Sanctorum ad diem 4. Augusti pag. 313. & seq. De S. Perpetua, vide Baronium in Notationibus, & Sollerium in Auctariis Martyrologii Usuardi die 4. Augusti.

V. *Catalauni in Gallia, S. Memmil Civis Romani, qui a S. Petro illius Civitatis Episcopus consecratus, populum sibi commissum ad Euangelii veritatem perduxit.* De eo agit S. Gregorius Turonensis in libris de Gloria Confess. cap. 66. Missum in Gallias a S. Petro vetus Auctor Saeculi VII. tradit, quod habet etiam Flodoardus. Almannus Monachus Altivilaris, qui Saeculo IX. floruit, hujusmodi missionem ad idem Saeculum novum revocat. Vide Bollandianos die v. Augusti in Actis Sanctorum.

XXI. *Veronae, S. Euprepii Episcopi & Confessoris.* Vide Ughellium in Episcopis Veronensibus, Perettum, & Bagottam, itemque Cl. Viros Scipionem March. Maffejum, & Biancolinum in Verona illustrata.

XXVII. *Capuae in Campania, Natalis S. Rufi Episcopi, & Martyris, qui cum esset Patriciae dignitatis, a B. Apollinare S. Petri Discipulo cum universa familia baptizatus est. Bergomi, S. Narni, qui a B. Barnaba baptizatus, primus ab eodem ejusdem Civitatis Episcopus est ordinatus.* An Episcopalis Dignitas, praeter Martyrii palmam, Rufo sit tribuenda, non iis argumentis probat Ughellius, ut adversantes convincat, auctore Sollerio in Notis ad Usuardum die 27. Augusti. Eum B. Apollinaris Discipulum fuisse tradunt, cujus celebris est memoria in vetustissimis libris Liturgiae Romanae, praesertim in Codice Sacramentorum Gelasiano pag. 169. Acta ejus ex S. Apollinaris gestis sumuntur a Bollandianis dicta die 27. Augusti pag. 16. & seqq. De S. Narnio Bergomensi, vide ea, quae habet Ughellius.

DIE SEPTEMBRI.

I. *Capuae Via Aquaria, S. Prisci Martyris, qui fuit unus de antiquis Christi Discipulis. Rhemis in Gallia, S. Xysti Discipuli B. Petri Apostoli, qui ab eo primus ejusdem Civitatis Episcopus consecratus, sub Nerone martyrii coronam accepit.* De Prisco agitur in Codice Vetustissimo Gelasiano pag. 170,

170, itemque in nonnullis Sacramentariis Mss. Gregorianis. Plura leges apud Michaelem Monachum in Sanctuario Capuano. De Via Aquaria agit Florentinius in Notis ad Martyrologium die 1. Septembris. Sixtus Rhemensis, antiquioribus Martyrologiis praeteritus, ab Usuardo in Sacras Tabulas relatus est.

III. *Corinthi, Natalis S. Phoebes, cujus meminit B. Apostolus Paulus ad Romanos scribens. Aquilejae, SS. Virginum & Martyrum Euphemiae, Dorotheae, Theclae, & Erasmae, quae sub Nerone post multa supplicia gladio caesae sunt, & a S. Hermagora sepultae.* S. Phoebes elogium ab Adone ex S. Pauli Epistola ad Romanos cap. 16. concinnatum est. Plura vide apud Tillemontium Tom. I. pag. 244, & 266. De Euphemia, & Sociis ejus, vide Sollerium in Auctariis Usuardi die 3. Sept.

IV. *Neapoli in Campania, Natalis S. Candidae, quae S. Petro ad eam Urbem venienti prima occurrit, atque ab eo baptizata, postea sancto fine quievit.* De ea consulendi sunt Ughellius, & Mazzoechius in Commentario *in Vetus Marmoreum Kalendarium Sanctae Neapolitanae Ecclesiae*.

VI. *In Hellesponto, S. Onesiphori Apostolorum Discipuli, cujus meminit S. Paulus ad Timotheum scribens: qui ibidem una cum S. Porphyrio jussu Hadriani Proconsulis acriter verberatus, & a ferocibus equis raptatus, spiritum Deo reddidit.* S. Onesiphori meminit B. Paulus 2. *Tim.* 1. Graeci in Menologio 29. Aprilis, & 6. Octobris, eum Colophonis Episcopum fuisse tradunt. Dorotheus vero, Coroniae Praesulem facit.

XII. *Apud Ticinum, S. Juventii Episcopi, de quo sexto Idus Februarii. Is a B. Hermagora Discipulo S. Marci Evangelistae ad eam Urbem una cum S. Syro directus est: & ambo illic Christi Evangelium praedicantes, & magnis virtutibus ac miraculis coruscantes, etiam vicinas urbes divinis operibus illustrarunt; sicque in Pontificali honore glorioso fine quieverunt in pace.* Multa in Juventii, & Syri Actis reperiuntur, quae notam praeferunt falsitatis, praesertim circa tempora, quibus floruisse dicuntur, & circa susceptam ab Hermagora missionem. Ego Guallae, & de Gasparis (ille in Sanctuario Papiae, hic in Breviario SS. Episcoporum Ecclesiae Ticinensis) nunquam acquiescam, sed potius Tillemontio Tom. 2. pag. 561, qui omnia erudite de more expeudit, & illustravit.

XIX. *Nuceriae, Natalis SS. Martyrum Felicis, & Constantiae, qui passi sunt sub Nerone.* Agunt de his Ado, Usuardus, & Notkerus die 19. Septembris. Gesta omnia incerta sunt. Vide Florentinium in Notis ad Martyrologium Hieronymianum.

XXIII. *Romae, S. Lini Papae & Martyris, qui primus post B. Petrum Apostolum Romanam Ecclesiam gubernavit, & Martyrio coronatus, sepultus est in Vaticano prope eumdem Apostolum. Iconii in Lycaonia, S. Theclae Virginis & Martyris, quae a S. Paulo Apostolo ad fidem perducta, sub Nerone Imperatore in confessione Christi ignes, ac bestias devicit, & post plurima ad doctrinam multorum superata certamina, Seleuciam veniens, ibi requievit in pace: quam SS. Patres summis laudibus celebrarunt. In Hispania, SS. mulierum Xantippae, & Polyxenae, quae fuerunt Apostolorum Discipulae.* De S. Lino, vide Franciscum Blanchinum Patruum meum in Notis ad Anastasium Bibliothecarium To. 2. p. 26. & seq., & nostrum Chronicum, & Indiculum Tab. I. Saec. I. num. 16. Clarissimam Virginem, & inter Virgines Prothomartyrem Theclam celebrant omnia Martyrologia. Ejus vitae seriem Doctissimus Tillemontius Tom. 2. pag. 60, & seqq. ex SS. Patrum auctoritatibus concinnavit, post Em. Baronium in Notationibus ad diem 23. Septembris, & in Annalibus ad annum Chr. 47. num. 2, & seqq. Hic consulatur eadem die in Notis ad Martyrologium Romanum, ubi agit de SS. Xantippa, & Polyxena.

XXV. *In Castello Emmaus, Natalis B. Cleophae Christi Discipuli, quem tradunt in eadem domo, in qua mensam Domino paraverat, pro confessione illius a Judaeis occisum, & gloriosa memoria sepultum. Eodem die, S. Anathalonis Episcopi, qui Beati Barnabae Apostoli Discipulus, in ejus locum Ecclesiae Mediolanensis Episcopus successit.* De S. Cleopha, vide Tillemontium Tom. I. pag. 366. 459. & 612, & Calmetti Commentarium verbo *Cleopha*.

Item

Item Adonem, & Usuardum, & Notkerum die 25. Septembris, & Graecos die 13. Octobris. De S. Anathalone egimus supra in Indiculo hujos Tabulae III. numeris 22. & 23. Plura vide in Episcopis Mediolanensibus apud Ughellium.

XXVII. *Bibli in Phoenicia, S. Marci Episcopi, qui & Joannes a B. Luca nominatur. Mediolani, S. Caji Episcopi, Discipuli B. Barnabae Apostoli, qui multa in persecutione Neronis passus, in pace quievit.* Vide Baroouium io Notationibus ad Martyrologium Romanum hac die, & Ughellium in Episcopis Mediolanensibus.

DIE OCTOBRI.

IV. *Corinthi, Natalis SS. Crispi & Caji, quorum meminit S. Paulus Apostolus ad Corinthios scribens.* De Crispo fit mentio io Actis Apostolorum cap. 18. Tres Cajos Apostolorum Discipulos, distinguendos esse putat Sollerius in Notis ad Usuardum die 4. Octobris; primum nempe Pauli hospitem, de qoo ad Romanos cap. 16; alterum Derbium, de quo *Act.* 20; & tertium, ad quem Joannes suam Epistolam tertiam destinavit.

VI. *Laodiceae, B. Sagaris Episcopi & Martyris, qui fuit unus de antiquis Pauli Apostoli Discipulis.* De Sagare, vide Baronium in Notatiooibus hac die, & Georgium in Notis ad Martyrologium Adonis.

XIII. *Apud Troadem, Asiae minoris urbem, Natalis S. Carpi Discipuli B. Pauli Apostoli.* Vide S. Pauli Epistolam secuodam ad Timotheum cap. 4. v. 13, Baronium in Notis, & Tillemootium Tom. I. pag. 301, & 581.

XXII. *Jerosolymis, S. Mariae Salome, quae in Euangelio legitur circa Domini sepulturam sollicita.* Lege Matthaeom cap. 15. et 16, et Dictionarium Biblicum Calmetti verbo *Salome*. De eà agunt in Martyrologiis Ado, et Usuardus totidem fere verbis.

XXXI. *Eodem die, SS. Ampliati, Urbani, & Narcissi, quorum meminit S. Paulus ad Romanos scribens.* Vide Baron. in Notis.

DIE NOVEMBRI.

III. *Natalis S. Quarti Apostolorum Discipuli.* Ejus meminit S. Paulus io Epist. ad Rom. cap. 16. vers. 23. Apocrypha sunt, quae ex Dorothei Synopsi, et ex Hippolyto citantur a Baronio in Notationibus hac die, ut animadvertit Sollerius in Commentario ad Martyrologium Adonis.

IV. *Eodem die, Natalis SS. Philologi, & Patrobae, S. Pauli Apostoli Discipulorum.* Vide Baronium io Notis.

VII. *Patavii, Depositio S. Prosdocimi primi ejusdem Civitatis Episcopi, qui a B. Petro Apostolo Episcopus ordinatus, ad praedicandum Dei verbum ad praedictam Civitatem missus est: ubi multis virtutibus & prodigiis coruscans, beato fine quievit.* Vide Ughellium io Episcopis Patavinis, & Sollerium in Auctariis ad Martyrologium Adonis die 7. Novembris pag. 658.

X. *Iconii in Lycaonia, SS. Mulierum Tryphennae, & Tryphosae, quae B. Pauli praedicatione, & exemplo Theclae, in Christiana disciplina plurimum profecerunt.* Vide Baronium in Notis.

XXI. *Eodem die, Natalis B. Rufi, de quo S. Paulus Apostolus ad Romanos scribit.* Quae de ejus Episcopatu Thebarum habentur in notha Dorothei Syoopsi, & in Hispaoicis pseudochronicis exploduntur a Tillemontio Tom. I. pag. 447.

XXII. *Colossis in Phrygia, SS. Philemonis, & Apphiae S. Pauli Discipulorum, qui sub Nerone Imperatore, cum Gentiles in die festo Dianae invasissent Ecclesiam, ceteris fugientibus, tenti, jussu Artoclis Praesidis verberibus caesi, & in foveam, usque ad renes, inclusi, lapidibus opprimuntur.* Vide Baronium io Notis.

XXIII. *Natalis S. Clementis Papae, qui tertius post B. Petrum Apostolum Pontificatum tenuit, & in persecutione Trajani apud Chersonesum relegatus, ibi alligata ad collum ejus anchora in Mare praecipitatus, martyrio coronatur: cujus Corpus Nicolao I Pontifice Romam translatum, in Ecclesia, quae ejus nomine antea fuerat extructa, honorifice reconditum est.* De ejus Actis, vide Baronium ad annum Christi 102. num. 2. & seqq., Sollerium in Usuardum hac die, Tillemootium Tom. 2. pag. 149. & seqq., & 549; & Franciscum Blaochioum Patruum meum in Notis ad Anastasium Bibliothecarium Tom. 2. pag. 46. & seqq.

DIE DECEMBRI.

VIII. *Treviris, S. Eucharii Discipuli B. Petri Apostoli, & primi ejusdem Civitatis Episcopi.* Vide Galliam Sacram Fratrum Samarthanorum, & Sollerium in Auctariis ad

ad Martyrologium Usuardi hac die, pagina 729.

IX. *Papiae, S. Syri primi ejusdem Civitatis Episcopi, qui Apostolicis signis, & virtutibus claruit.* Vide Baronium in Notis, Ughellium in Episcopis Papiensibus, & Sollerium in Auctariis Adonis.

XIV. *Bergomi, S. Viatoris Episcopi & Confessoris.* Vide Baronium in Notis, & Ughellium in Episcopis Bergomensibus.

XVII. *Massiliae in Gallia, B. Lazari Episcopi, quem Dominus in Euangelio a mortuis suscitasse legitur.* Vide Sollerium hac die in Usuardum, Tillemontium Tom. 2. pag. 31. & seqq., & Castellanum in primo Bimestri pag. 342. & seqq.

XXVI. *Jerosolymis, Natalis S. Stephani Protomartyris, qui a Judaeis non longe post Ascensionem Domini lapidatus est.* Lege Acta Apostolorum, & Tillemontium sub Tomi 2. initium.

XXIX. *Arelate, Natalis S. Trophimi, cujus meminit S. Paulus ad Timotheum scribens: qui ab eodem Apostolo Episcopus ordinatus, praefatae urbi primus ad Christi Euangelium praedicandum directus est: ex cujus praedicationis fonte (ut S. Zosimus Papa scribit) tota Gallia fidei rivulos accepit. Viennae in Gallia, S. Crescentis Discipuli B. Pauli Apostoli, & primi ejusdem Civitatis Episcopi.* De S. Trophimo, vide Sollerium in Usuardum hac die, & Jacobum le Long in Bibliotheca Historica Gallicana lib. 2. cap. 1. pag. 34. & seqq. Confer etiam Joannem Gerardum Dubois in Hist. Eccl. Parisiensis, utrumque Pagium, & Tillemontium Tom. 4. pag. 703. S. Crescentis vero elogium in vulgatum Adonem irrepsisse tradit Sollerius; & recte praetermittitur ab Usuardo.

25.) Imagines SS. Polycarpi Smyrnensis,
26.) Irenaei, & Pothini Lugdunensium Episcoporum, Zachariae Presbyteri, & Sancti Diaconi, ex Musivo Ravennatensi, de quo consulatur Ciampinius *Veter. Monimentor.* Tom. II. pag. 94. Tab. XXVI. S. Polycarpus Joannis Apostoli Discipulus, & ab eo Smyrnae Episcopus ordinatus, usque ad Imperium M. Antonini, & L. Aurelii Commodi vitam perduxit; quibus quartam post Neronem adversus Christianos persecutionem moventibus, Smyrnae, sedente Proconsule, & universo Populo in Amphiteatro adversus eum personante, igni traditus est, ut ait S. Hieronymus in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum in Polycarpo. Accensa flamma sic torreri Martyris corpus coepit, ut gratissimum odorem emitteret. Etbnici, qui vivere in rogo hominem, neque consumi posse intuebantur, carnifici, ut propius accederet, eumque pugione coufigeret, praeceperunt. Id ut est factum, tanta vis sanguinis e corpore Martyris manavit, ut flammam extingueret, & maximam inspectanti Populo moveret admirationem. Inter praecipua Sacrae Antiquitatis monumenta, (inquit Ruinartius in Admonitione ad ejus Martyrium pag. 23.) quae ex primis Ecclesiae temporibus ad nostram usque aetatem pervenerunt, jure merito computatur illa egregia Epistola, quam de *B. Polycarpi* martyrio Ecclesia Smyrnensis, cui praefuerat, conscripsit. Hanc tanti fecit Eusebius Caesariensis, ut maximam ejus partem Historiae suae inserere necessarium esse putaverit lib. 4. cap. 15; ut si ejus exemplaria, quae tunc circumferebantur, aliquando perirent, praecipua saltem capita Passionis tanti Viri ex suis libris haberetur... Cum vero in illa Epistola ea solummodo habeantur, quae ad B. Polycarpi martyrium pertinent, operae pretium visum est Ruinartio aliqua etiam de ejus vita, & gestis proferre, quæ ex certis & probatis auctoribus collegit, praecipueque ex Irenæo Lugdunensium Antistite, qui priusquam in Gallias veniret, ejus Sancti viri Discipulus fuerat. Quae autem refert S. Irenaeus (apud Eusebium lib. 5. *Hist.* cap. 20) de summo studio, quo tenebatur vir ille Apostolicus, ut institutiones, & fidei dogmata ab Apostolis Ecclesiae tradita retinerentur, scripta sunt ad Florinum quemdam, qui ad Valentini partes transierat. Heic unum tantum referam S. Irenaei locum ex lib. 3. adversus Hæreses cap. 3. in quo Polycarpum non solum ab Apostolis fuisse edoctum, & conversatum cum multis ex iis, qui Dominum nostrum viderunt; sed etiam ab Apostolis in Asia, in ea, quae est Smyrnis, Ecclesia constitutum Episcopum, ubique summum veritatis Catholicae assertorem se praebuisse: *Hic docuit semper, quae ab Apostolis didicerat: quae & Ecclesiae tradidit, & sola sunt vera; & testimonium his perhibent, quae sunt in Asia Ecclesiae omnes, & qui usque adhuc successerunt Polycarpo.* De ejus passionis die, & anno tam diverse inter se sentiunt omnes, cum veteres, tum recentiores Historici, ut vix ea de re aliquid certi statui possit. Graeci

INDICULUS TAB. III. SAEC. II

INDICULUS TAB.III.SAEC.II

ejus Festum recolunt die 23. Februarii; Latini vero die Januarii 26. Utrobique ambages; cum neutra dies cohaereat aliis Chronologicis notis, quae etiam variae a variis assignantur. Sane, si compertum nobis esset, quid *Majoris Sabbati* nomine intellexerint Smyrnensis Epistolae Scriptores, quo die omnes Polycarpum passum volunt; aliqua fortassis lux inde nobis affulgeret: in memorata namque Epistola Ecclesiae Smyrnensis legitur pag. 34. num. XVI, *Martyrium Sancti Polycarpi mense Aprilio VII. Kalend. Maji, Majore Sabbato, hora octava. Captus est ab Herode, Pontifice Philippo Trajano* (lege *Tralliano*), *Proconsule Statii Quadrati.* At, cum de ejus nominis interpretatione Eruditi inter se non conveniant, singulaeque sententiae suas patiantur difficultates, res novis ambagibus involvitur. Incertus dies, annum quoque reddit incertum. Alii annum 169. assignant; alii vero (& quidem, ut mihi videtur, probabilius) 166; Henricus Valesius annum VII Marci Aurelii Imperatoris. Quam sententiam probat non solum ex Eusebii Chronico, verum etiam ex Aristidis, Polycarpo coaequalis, Orationibus Sacris I. & IV, ex quibus nititur ostendere vir eruditus, Quadratum, sub quo Polycarpus passus est, eo anno Asiae Proconsulatum gessisse. Qui plura de his videre cupit, ipsum Valesium adeat in notis ad cap. 15. lib. 4 Eusebianae Historiae, Usserium in notis ad Smyrnensis Ecclesiae Epistolam, Halloxium in cap. XII Vitae Sancti Polycarpi, Pearsonium Dissertat. 2. de Episcopis Romanis cap. 18, Joannem Bollandum ad diem 26. Jan., ac demum Sollerium, & Georgium Praesulem eadem die in Notis ad Martyrologia Usuardi, & Adonis. Atque haec de S. Polycarpo sint satis. Nunc dicendum de S. Pothino Episcopo, qui in Epistola Eccles. Viennensis & Lugdunensis apud Ruinartium pag. 52. ita commendatur: *Beatus autem Pothinus, qui Episcopatum Lugdunensis Ecclesiae administrabat, nonogenario major, & corpore admodum infirmo, ob praesentem quidem corporis imbecillitatem aegre spiritum trahens; ceterum, prae cupiditate imminentis martyrii, mirabili alacritate animi firmatus, etiam ipse ad tribunal ferebatur, corpore quidem partim ob senectutem, partim vi morbi penitus exhausto ac soluta, animam vero adhuc retinens, ut per eam Christus triumpharet. Perlatus igitur a Militibus ad Tribunal, prosequentibus ipsum Magistratibus Civitatis, & universa plebe, variis cum acclamationibus impetente, tanquam ipse Christus esset, egregium edidit testimonium. Interrogatus vero a Praeside, quisnam esset Christianorum Deus, respondit: Si dignus fueris, cognosces. Post haec absque ullo humanitatis respectu raptatus, atque innumeris plagis affectus est; cum ii quidem, qui propius adstabant, calcibus, & pugnis illum contumeliose appeterent, nec ullam ejus aetati reverentiam exhiberent: qui vero longius distabant, quidquid ad manum erat, in ipsum conjicerent: omnes denique gravissimi delicti, ac piaculi reos se existimarent, nisi pro sua quisque parte ei petulanter insultare studuissent. Quippe hoc modo injuriam Deorum suorum ulturos se arbitrabantur. Exinde, vix adhuc spirans, in carcerem projectus est, tandemque post biduum animum exhalavit.* Vide etiam quae ibidem habentur de SS. Zacharia Presbytero, & Sancto Diacono, quorum iconas damus. Eorum memoria celebris est apud Usuardum, & Adonem. Severus Sulpitius lib. 2. Historiæ Sacrae scribit: *Sub Aurelio Antonini filio Persecutio quinta agitata: ac tum primum intra Gallias Martyria visa, serius trans Alpes Dei religione suscepta.* Persecutio itaque in Galliis mota fuit tempore Eleutheri Papae (ut animadvertit Schelestratius in notis ad Vitam S. Hygini Tom. II. *Anast. Bibliothec.* pag. 103), cum M. Aurelius decimum septimum Imperii annum ageret: in qua persecutione passi sunt S. Pothinus Episcopus, & alii quamplurimi, de quorum martyrio ceteri Confessores carceribus inclusi ad Ecclesias Asiae, & Phrygiae retulerunt. Extat ea de re Martyrum Lugdunensium Epistola apud Eusebium lib. 5. cap. 2, in qua Pothinum prope nonagenarium diris cruciatibus enecatum fuisse perhibet: & addit Eusebius cap. 5, *Igitur* cum Pothinus (Photinum alii male legunt) *anno aetatis nonagesimo una cum Gallicanis Martyribus caesus esset, Episcopatum Lugdunensis Ecclesiae post illum suscepit Irenaeus.* Idem habet Divus Hieronymus libro de Script. Eccles. in Irenaeo; affirmat enim, quod, *Pothino prope nonagenario ob Christum martyrio coronato, in locum ejus substitutus sit.* Ex quibus omnino sequitur, Irenaeum in persecutione Marci Aurelii Antonini (quae anno Imperii ejus 17, seu Æræ Chr. 177, coepit, & cum morte ejus anno 180. finem accepit) Pothino in Sede Lugdunensi successisse; cum jam antea a Martyribus Lugdunensibus Romam missus fuisset ad Eleutherum Papam, ut patet ex

corum-

eorumdem Martyrum literis, quas refert Eusebius lib. 5. cap. 4; ubi testatur, Irenaeum nondum Episcopum fuisse, sed solum Presbyterum, cum a Martyribus Eleuthero commendatus fuit. Verba Eusebii sunt: *sed iidem Martyres Irenaeum, qui tunc temporis adhuc Presbyter Lugdunensis Ecclesiae erat, supradicto Eleuthero per literas commendarunt*. Et Presbyteri Confessores in ipsis literis, *Te per omnia, ac perpetuo optamus in Deo valere, Pater Eleuthere. Has literas ad te perferre fratrem nostrum Irenaeum, & ministerii consortem, rogavimus: teque obsecramus, ut illum, utpote studio incredibili erga testamentum Christi flagrantem, gratia & benevolentia prae ceteris complectaris. Quod si locum, & gradum Ecclesiastici ministerii, vim, & facultatem habere justitiae cuiquam impertiendae animadverteremus, hunc ut Presbyterum Ecclesiae (hoc namque muneas obtinet) in primis tibi commendavissemus*. Jam diximus ex Ruinartio, Irenaeum in Beatissimi Viri Sancti Polycarpi Smyrnensis Episcopi schola educatum fuisse, idque ex ejusdem Irenaei verbis in Epistola ad Florinum, quam refert Eusebius lib. 5. *Histor.* cap. 20. constat. At, qua occasione, quove tempore in Gallias ex Asia accesserit, incompertum plane nobis est; nisi quod anno 177, quo maxime efferbuit Lugduni adversus Christianos Persecutio, ejus urbis Ecclesiae Presbyter esset, quod discimus ex memorata Epistola ad Eleutherum. Quin & eum, aliquot ante eamdem Persecutionem annis, in illa civitate fuisse conversatum, colligi potest ex eo, quod non solum pro rebus Ecclesiae gerendis Romam missus fuerit, sed etiam, quod eum, tunc dignum omnes judicaverint, qui Pothino Episcopo, quem Persecutio sustulit, in tam impeditis Ecclesiae temporibus substitueretur. In Episcopali Cathedra constitutus, ministerii sibi a Deo commissi partes egregie adimplevit, Ecclesiam non modo verbis, & vitae sanctimonia, sed etiam multis praeclare Scriptis illustrando. Quo autem animo scriberet, ipsemet aperit in Praefatione lib. 5. adversus Haereses. Nihil in his libris omisit, ut arma Catholicis adversus haereticos administraret. Hinc Sanctus Epiphanius Haeresi 31 (quae est Valentini) num. 33. de eo sic loquitur: *Optimus ille senex Irenaeus.... vir omnino Spiritus Sancti donis instructissimus, tanquam fortis athleta productus a Domino, & caelestibus ornamentis, ut ita dixerim, ad certamen perunctus, qui sincerae fidei, ac scientiae praesidiis, omnia illorum prostravit evertitque mendacia*. Idem opus laudat Hieronymus in Epist. ad Magnum Oratorem Romanum, cujus ope Patres adversus quoslibet haereticos decertarunt. S. Basilius Magnus, ipsius auctoritate, pro asserenda Spiritus Sancti Divinitate, usus est lib. de Spiritu S. cap. 29. Eamdem Augustinus contra Pelagianos adhibuit lib. 1. contra Julianum cap. 3, ubi *Irenaeum antiquum hominem Dei* appellat. Istis, aliisque multis laboribus perfunctum Irenaeum, vitam martyrio glorioso consummasse, non solum recentiores Auctores tradunt, sed & ipse Hieronymus in cap. 64. Isaiae, ubi eum *Virum Apostolicum, Episcopum, & Martyrem* appellat. Idem asserit Auctor libri Quaestionum, & Responsionum ad Orthodoxos, qui inter Opera Justini Martyris vulgatus est, Responsione ad Quaestionem 115. At S. Gregorius Magnus lib. 9. Epist. 50. ad Aetherium Lugdunensem Episcopum, conqueritur, quod B. Irenaei *Gesta & Scripta*, a se diu conquisita, reperire non potuerit. Scriptorum optimam partem habemus, libros scilicet quinque adversus Haereses, & aliquot Epistolarum ejus fragmenta apud Eusebium; sed utinam Acta etiam, integra & sana haberemus. Eorum quidem fragmentum a se repertum fuisse affirmat Baronius in Notis ad Martyrolog. Romanum, & in Annal. Eccl. ad annum 205. num. 28; sed nec ipsum usquam protulit. At ibi refert, milites jussu Severi Imperatoris urbem Lugdunensem circumdedisse, statimque omnes Christianos, qui in ea inventi sunt, fuisse obtruncatos, atque inter alios Irenaeum, quem, post varios cruciatus occisum, sepelivit Zacharias Presbyter. Innumeros Martyres cum Irenaeo interfectos fuisse, testatur etiam Gregor. Turonensis lib. 1. Histor. num. 29, quem in crypta S. Joannis sepultum fuisse dicit lib. 1. de Gloria Martyrum cap. 50; quae omnia Ado, ceterique Martyrologiorum Scriptores suis Martyrologiis inseruere ad diem 28. Junii, quo ejus Festivitas celebratur. S. Irenaei Martyrium, quantum conjici potest, anno circiter 203. contigit sub Severo Imperatore. Certe B. Epiphanius passim eum *beatum Senem* appellat, quem Eusebius in Chronico ad annum 183. tunc temporis insignem fuisse refert. Hactenus ex Ruinartio.

27. *In Hispania Boetica Torquatus Acci, Ctesiphon Vergii, Indaletius Urci, Caecilius Illiberi, Hesichius Carthesiae, Euphrasius Illitur-*

INDICULUS Tab.III.Sec.II

turgi, *Secundus Abulae*, *Geruntius Italicae*, *Mancius Eborae*, *Petrus Bracarae*, diversis Urbibus euangelizantes, quieverunt. Ado in Martyrologio sub die 15.Maji, *Natale Sanctorum Confessorum Torquati*, *Ctesiphontis*, *Secundi*, *Indaleeii*, *Caecilii*, *Esitii*, *Euphrasii*; *qui Romae a Sanctis Apostolis Episcopi ordinati*, *& ad praedicandum Verbum Dei ad Hispanos*, *tunc adhuc gentili errore implicatos*, *directi sunt*. *Cumque ad Civitatem Accitanam venissent*, *& propter laborem itineris modicum quiescentes*, *causa victus emendi discipulos in urbem misissent*; *mox paganorum multitudo*, *qui tunc forte Diis suis Festa celebrabant*, *eos usque ad fluvium persecuta est*; *in quo Pons mirae magnitudinis*, *& firmitatis extructus*, *transeuntibus Sanctis*, *Dei nutu*, *cum omni persequentium multitudine funditus corruit*. *Ad quod miraculum ceteri territi*, *& cujusdam magnae Senatricis Lupariae* (*quae divinitus inspirata*, *eos benigne suscipiens*, *credidit*) *exemplum sequuti*, *relictis idolis*, *Christo Domino crediderunt*. *Post hoc diversis urbibus euangelizantes*, *& innumeras multitudines Christi fidei subjugantes*, *Torquatus Acci*; *Ctesiphon Vergii*; *Secundus Abulae*; *Indalecius Urci*; *Caecilius Iliberi*; *Hesichius Carthesae* (*alias Carcerae*); *Euphrasius Illiturgi quieverunt*. *Extat usque hodie illustre miraculum ad commendationem pretiosae mortis eorum*. *Nam*, *eadem solemnitate apud praefatam Accitanam urbem*, *ad sepulcrum S. Torquati*, *arbor olivae divinitus florens*, *maturis fructibus onustatur*. In Martyrologiu Romano parvo eadem die legitur: *Torquati*, *Ctesiphontis*, *Secundi*, *Indalecii*, *Caecilii*, *Esicii*, *Euphrasii*, *qui Romae ab Apostolis ordinati sunt*. Septem numero Hispaniae Episcopi memorantur a Wandelberto hoc versu: *Pontifices septem Hesperiam simul Idibus ornant*. Mirum est, in alia quoque Latinorum Martyrologia eorum nomina non fuisse derivata. Eorum Acta exhibentur a Bollandianis hac die pag.444. & seq. Vide quae scribit Tillemontius Tom. 1. pag. 191. De horum Episcoporum veterrimo apud Hispanos cultu, ex Breviario Mozarabum, & aliis, Baronius in Not. hac die, & Salazarius in Martyrologio Hispanico agunt.

28.) *Opus anaglypticum Jovis Pluvii*
29.) *sculpti in Columna M. Antonini Pii*, de quo Montfauconius Tom. I. Part. 1. *Antiq. Expliq.* pag. 44. Tab. 13. haec ait: „ Juppiter Pluvius &c. senex est barba praelonga, promiscuaque, alis instructus, expansis brachiis, manu dextra paulum erecta. Aqua ex brachiis, exque barba urceatim erumpit: ipsam vero aquam Romani milites, qui in Marci Aurelii exercitu siti & ariditate pene consumpti erant, in clypeorum concavo avide excipiunt. Romani multiplicium Numinum errore adhuc obruti, id prodigii Jovi Pluvio adscripserunt „. Haec Jovis imago accuratissime delineata, lignoque incisa, extat etiam apud nostrum Cardinalem Baronium *Annal. Eccles.* Tom. II. ad an. 176. num. 25. ubi scribit: Ex diversis effectibus, diversis quoque nominibus a Gentilibus Juppiter appellari consuevit: unde Phornutus haec in libro de Natura Deorum: „ Deinde eum Nubicogum, & Grandistrepum appellant, quod superne nubes cogat, & tonitrua, & illinc etiam fulmina & tempestates immittat: „ *& paulo inferius*: „ Ob alias, *inquit*, similes ac manifestas causas Pluvius, & Fructifer, & Descensor, & Fulminator, & alio saepius modo, secundum diversam sententiam appellatur „: ac pariter secundum diversas causas, diversis quoque imaginibus solitus erat sculpi, atque depingi. Cum igitur pluviam daret, Pluvius dicebatur; & fundens undique imbres (ut Imago impressa demonstrat) effigiari pariter consuevit. Sunt Tibulli versus *lib. 1. Eleg. 7.* de Jove Pluvio Aegyptiis tantum ignoto:

Te propter nullos tellus tua postulat imbres,
Arida nec Pluvio supplicat herba Jovi.

Idemque apud Virgilium *Georg. lib. 2. v. 325.* appellatus est Aether; ut cum ait,

Tum Pater omnipotens foecundis imbribus aether
Conjugis in gremium laetae descendit &c.

At Arnobius lib. 5. Jovem ipsum, pluviam, dictum esse testatur: quem Tertullianus *contra Marcion. lib. 3. cap. 5.* eadem ex causa, Aquilicem nominat: a Graecis itidem ab imbre ὑέτιος Ζεὺς dictus, atque ὄμβριος, aliisque nominibus eamdem rem significantibus, ut pluribus docet Lilius Giral. *Hist. Deorum*. Porro Jovis Pluvii non erat obscurus cultus, nec privatus: nam Auctor est Strabo *lib.* 15. Indos quoque coluisse Jovem Pluvium. Quod reliquum est, de ceteris ibi sculptis ejusdem Tabulae imaginibus, illa tantum repraesentari videtur historia, cum sic fulminibus atque pluviis confectum Barbarorum Exercitum Romanus miles insequitur. Quomodo autem idem castris potitus, eos, quos invenit, in deditionem accepit, quae huic conjun-

jungitur in eadem reflexa columnae zona, historia sculpta declarat. At licet Marcus Imperator publicis literis tantam divinitus impartitam gratiam, Christianorum precibus acceptam fuisse, professus fuerit; tamen, vel quod Numen Christianorum illi esset incognitum, vel quod invidiosum admodum videretur haec Christianorum religioni tribui, cui contradicebatur ab omnibus; oreque omnium Gentilium diffamabatur, a Jove, quem colerent, illud fuisse concessum; idcirco Jovis pariter imago pluviam dantis in Columna fuit expressa. Ostendimus supra fusiori calamo (n.175.Tab.II.Saec.II.) ex Patribus, atque ex Scriptoribus Ecclesiasticis, aquam illam precibus militum Christianorum a Deo fuisse impetratam. Vide Chronicum ad annos Christi 173. & 174.

30.) Martyrologium Romanum xv.Kal.
31.) Sept. *In Illyrico, SS. Martyrum*
32.) *Flori, & Lauri artis lapicidinae, qui, consumptis martyrio eorum Magistris Proculo & Maximo, sub Licione Praeside post multa tormenta in profundum puteum sunt demersi.* Vide Baronium in Notis. Idem Martyrol.III.Idus Apr., *Salone in Dalmatia, Sanctorum Martyrum Domnionis Episcopi, cum militibus octo.* Confer Henschenium, & Papebrochium ad eamdem diem, Sollerium in Comment. in Usuardum, Franciscum Mariam de Aste in Notis ad Martyrologium Romanum, & nostrum Elenchum num. 17. hujus Tabulae. Idem v. Idus Aprilis, *Sirmii, Passio SS. Septem Virginum & Martyrum, quae, dato simul pretio sanguinis, vitam mercatae sunt aeternam.* De eis agunt Ado, Usuardus, & alii apud Patres Bollandianos. Praesul Dominicus Georgius Vir Clarissimus in *Adnotationibus ad Martyrologiũ Adonis* die 9. Apr. pag.150. scribit: „ De his *septem Virginibus* agunt hac die fere omnia Latinorum Martyrol. depravata tamen in plerisque eorum, inscitia Amanuensium, lectione. Agunt in primis Hieronymiana, sed non omnino inter se conveniunt. Apographum Lucense habet: *In Sirmia, Natalis V. Virginum, quarum nomina Deus novit.* Mox: *Et Natalis VII. Virginum.* Epternocense: *In Sirmi, V. Virginum.* Mox: *Et VII. Virginum canonicarum.* Beda genuinus: *In Sirmio, Natale septem Virginum, quae in unum meruerunt coronari.* Romanum parvum: *Apud Sirmium, septem Virginum, quae in unum coronatae sunt.* Gellonense: *Septem Virginum,* tantum. Usuardus concordans cum Mart. Romano, declinat ab Adone, habetque: *In Sirmio, passio SS. septem Virginum, quae dato simul pretio sanguinis, vitam mercatae sunt aeternam.* Rabanus, & Notkerus: *In Sirmio, Natalis VII. Virginum, quae in unum meruerunt coronari.* Mart. Rom. XVII. Kal. Oct. *Marcianopoli in Tracia, S. Melitinae Martyris, quae sub Antonino Imperatore &c. capite plexa est.* Vide Baronium ad annum Chr.154.n.3, & Menolog. Græc. sequenti die. Idem Mart. Rom. XVIII. Kal. Julii, *Syracusis, S. Marciani Episcopi, qui a B. Petro ordinatus Episcopus, post Evangelii praedicationem a Judaeis occisus est.* Consule eundem Baronium ad an.46, num. 2. Demum Martyrol. Roman. Idibus Jan. *In Sardinia, S. Potiti Martyris, qui sub Antonino Imperatore &c. gladio martyrium consecutus est.*

33.) Imagines Sanctorum Cornelii, Cy-
34.) priani, & Cassiani, ex Musivo Ravennarensi, de quo Cl. Ciampinius *Veter. Monimentorum* Tom. II. pag. 94. haec literis consignavit: *Omnes hae Figurae veluti coronam in manibus gestant; & illam esse puto, quam quisque in aeterna beatitudine gaudens, pro Dei amore patiendo meruit. Unde Ven. Beda in Serm.* 18. de Sanctis *sic exclamavit*: „ Hodie, dilectissimi, omnium Sanctorum sub una solemnitatis laetitia celebramus Festivitatem; quorum societate Caelum exultat, quorum patrociniis terra laetatur, triumphis Ecclesia Sancta coronatur; quorum confessio, quanto in passione fortior, tanto est clarior in honore: quia, dum crevit pugna, crevit & propugnantium gloria; & Martyris triumphus multiplici passionum genere adornatur: perque graviora tormenta, graviora fuere praemia; dum Catholica Mater Ecclesia, quae per totum Orbem longe lateque diffusa est, in ipso capite suo Christo Jesu edocta est contumelias, cruces, & mortem non timere; magis, magisque roborata non resistendo, sed perferendo: universos, quos agmine inclito carcer poenalis inclusit, pari & simili calore virtutis ad gerendum certamen gloriam triumphalem inspiravit. O vere beata Mater Ecclesia, quam sic honor divinae dignationis illuminat, & quam vincentium gloriosus Martyrum sanguis exornat; quam inviolatae confessionis candida induit Virginitas. Floribus ejus, nec rosae, nec lilia desunt. Certent nunc, carissimi, singuli, ut ad utrosque honores amplissimam accipiant dignitatem; coronas, vel de Virginitate can-

didas, vel de passione purpureas „ . *Has autem coronas designat B. Jacobus Apostolus in Ep. Catholica, c. 11. v. 12. ubi ait :* „ Beatus Vir, qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitae, quam repromisit Deus diligentibus se„ . *Eaedem quoque coronae adumbrari videntur in Apocalypsi c. 4. v. 4. ubi* legitur, „ Et in circuitu sedis sedilia viginti quatuor, & super thronos, vigintiquatuor seniores sedentes, circumamicti vestimentis albis, & in capitibus eorum coronae aureae„ . *Quem locum Andreas Archiepiscopus Caesareae, qui Seculo quinto floruit, sic explanat :* „ Coronae tandem aureae, victoriae, adversus malignos daemones non absque magni animi fortitudine obtentae, sunt notae„ : *Quae coronae, oblatae, sive oblationes dicebantur, ut innuit S. Gregorius Magnus lib. 4.* Dialog. c. 55. *sive alius sit Auctor:* „Tunc duas secum oblationum coronas detulit„ . *De hisce oblationibus* fusius agit Ciampinius in aliis locis, & praecipue ubi scribit de Ecclesia SS. Cosmae & Damiani. Singula Sanctorum nomina in nostra Tab. expressa ex Musivo Ravenn. his n. 33. & 34. haec sunt : S. CORNELIUS, S. CYPRIANUS P. S. CASSIANUS. Martyrium S. Cornelii Papae, (ut scribit Patruus meus amantissimus Franc. Blanchinus in Notis ad *Anast. Bibl. de Vitis Romanorum Pontificum*, Tom. 2. pag. 200. *sect.* XXII.) referendum est ad diem 14. Septembris, ut comprobant illa documenta, quae enumerantur a Schelestratio *Antiquitat. Eccl.* Diss. 2. c. 6. num. 7. una cum aliis, ex Tabulariis Ecclesiae Romanae depromptis. Asserit Hieronymus in lib. *de Scriptoribus Ecclesiasticis, Cyprianum passum eodem die, quo Romae Cornelius, sed non eodem anno.* „ Ex hoc vero textu maximae auctoritatis, non tantum locum, sed etiam diem passionis Cornelii cognoscimus. Cum enim Cornelius eodem die, quo Cyprianus Martyr, occubuerit; Cyprianum autem XVIII. Kal. Octobris passum fuisse conveniat inter omnes; necesse est, Cornelium illo quoque die pro Christo obiisse. Porro de die Martyrii S. Cypriani, testatur Kalendarium antiquissimum Ecclesiae Carthaginiensis a Cl. Viro Jo. Mabillonio editum Tom. 3. Analectorum : *xviij. Kal. Octobr. Sancti Cypriani Episcopi & Martyris Carthag.* Concinunt Acta Passionis S. Cypriani. Passus est autem Beatissimus Cyprianus Martyr die octava decima Kalendarum Octobrium. Qua die in Martyrologiis non solum D. Cypriani, sed etiam Cornelii Papae memoria reperitur. Diem igitur Martyrii Sancti Cornelii cum cognoscamus perinde certam, ac diem passionis S. Cypriani 13. Septembris, de anno jam est inquirendum. Diversus a variis Scriptoribus constituitur. Card. Baronius distulit ad 255. ob Consulatus, biennio, vel triennio postpositos. Schelestratius refert ad annum 253. Pagius cum plerisque figit in 252. Huic postremae Pagii, & aliorum illi adhaerentium sententiae libenter accedo: ad quam me impellunt invicta, quae afferuntur argumenta. Considerat Schelestratius in laudata Dissert. 2. cap. 6. num. 4. duo Hieronymi testimonia. In Vita Pauli Eremitae tradit: *Sub Decio & Valeriano persecutoribus, quo tempore Cornelius Romae, & Cyprianus Carthagine felici cruore damnati sunt, multas apud Aegyptum, & Thebaidam Ecclesias tempestas saeva populata est.* Libro autem *de Script. Eccl.* in Cornelio refert : *Rexit Ecclesiam annis duobus sub Gallo & Volusiano.* Priori autem loco asserere videtur Hieronymus, Cornelium sub Decio occubuisse; secundo vero diserte affirmat, sub Gallo & Volusiano martyrio coronatum fuisse : quae sibi invicem adversa erunt, nisi priori loco Decii persecutionem intelligas, quae sub Gallo & Volusiano continuata est, & proinde una eademque cum Decii persecutione censetur. S. Cyprianus Carthaginiensis Episcopus martyrium obiit sub Valeriano, ejusque filio Gallieno Romanis Imperatoribus, anno Christi 258. Ejus laudes celebrarunt Sanctus Gregorius Nazianzenus Oratione 18, Sanctus Hieronymus in Catalogo, in Epistola *ad Paulinum*, & in illa *ad Magnum Oratorem* Romanum, in Commentariis ad cap. 51. *Isaiae*, & ad cap. 4. *Jonae*, Sanctus Augustinus in Sermonibus habitis *in Natali Sancti Cypriani*, Sanctus Paulinus in *Natali* 11, Prudentius Hymno 5, Vincentius Lirinensis in *Commonitorio* 1. cap. 11, S. Petrus Chrysologus in Sermonibus, Ennodius Ticinensis in Hymnis, Sanctus Fulgentius in Sermonibus, Cassiodorius Lib. *Divinarum Lectionum* cap. 19. & 28, Facundus lib. 19. cap. 3. & alii. Ruinartius in Admonitione ad Acta ejusdem Sanctissimi Martyris p. 193. & seqq. hæc habet: „ Cum, teste Maximo Taurinensium Antistite, *Cypriani non mors solum, sed etiam vita in conspectu Domini pretiosa fuerit,* haud dubium, quin Divina providentia factum sit, ut non solum hujus Sanctissimi Praesulis Martyrii Acta, sed etiam reli-

quas

quas ipsius vitae actiones, ab eo saltem tempore, quo Christi fidem amplexus est, conscriptas haberemus. Libellum de ejus Vita referre debemus acceptum Pontio ejus Diacono, qui, teste Beato Hieronymo in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum, *egregium volumen Vitae, & Passionis Cypriani reliquit.* Cujus quidem Auctoris narratio eo certior censenda est, quod ea, quibus ut plurimum interfuerat, & quae coram positus viderat, & audierat, ab eo referantur. Quod attinet ad ipsius Passionis Acta, haec, prout ea nunc habemus, duplicem ipsius coram Proconsule confessionem continent, fueruntque ex ipsis Actis publicis excepta, quae a S. Augustino visa, lectaque fuisse constat ex ejus Ser. 309. novae Edit., cum is fere totus ex horum Actorum verbis contextus sit. Quanti vero ejusmodi Acta a Fidelibus facta fuerint, illud argumento est, quod, Cypriano etiam superperstite, jam primae ejus confessionis Acta in omnium manibus haberentur. Id, praeter Pontium, Nemesianus, aliique Martyres in metallo constituti asserunt in Epistola, quae est inter Cyprianicas novae Edit. 77, Pamel. 78; „ Quasi bonus, *inquiunt*, & verus Doctor, quid nos discipuli secuti apud Praesidem dicere debemus, prior apud Acta Proconsulis pronuntiasti, & tuba canens, Dei milites caelestibus armis instructos ad congressionis praelium excitasti „: Haec porro Acta, iis adjunctis, quae in extrema Confessione, & ipsa morte contigerant, in unum fasciculum a Fidelibus redacta, simul cum Pontii de Cypriani Vita libello ad nos usque pervenerunt, eaque omnia ipsius Sancti Cypriani Operibus praefixa sunt in Edit. Oxoniensi. Utraque autem ad nonnullos Codd. Mss. rursus exacta, nobis exhibuit Cl. Ruinartius. Vitam contulit ad duos optimae notae, & antiquitatis venerandae Codd. Mss., quorum unus Sancti Petri Fossatensis annos 800. superat, alter vero ex Floriacensis Monasterii celebri olim Bibliotheca annos 600. videtur praeferre: Acta vero Proconsularia in plurimis quidem Codd. etiam antiquissimis reperit; sed in paucis pura, & omnino sincera: quorum varietates, si quae observatione dignae sunt, in notulis apposuit. Ceterum Passio Sanctorum Cornelii & Cypriani, quae passim in Codd. Mss. occurrit, in Cod. Monasterii S. Petri Resbacensis Dioecesis Meldensis, annorum circiter 500, attribuitur Hilduino his verbis: „ Incipit Historia (S. Cornelii) Papae cum passione, „ quam jubente Serenissimo Augusto Hlothario Hilduinus Archicancellarius de diversis Opusculis S. Cypriani Episc. & Martyris, aliisque Auctoribus gestorum collegit, & ordinavit. *Deinde sic incipit*: In diebus illis cum universus Orbis Terrarum Romanorum ditione &c„. Decii persecutionem (ut dictur infra num. 33. & 34.) brevi subsequuta est alia, ab Imp. Gallo excitata, de qua visionibus crebris, a Deo certior factus Cyprianus, non plebem solum sibi commissam, sed etiam alios Africanae Ecclesiae Fideles ad eam fortiter perferendam adhortatus est: qua de re extat ejus Epistola ad Plebem Thibari consistentem, quae est novae Edit. 58. veter. 56. De eadem Persecutione Cornelium Papam monet Epistola 57. alias 54. & quidem in ea martyrium finivit Cornelius, cujus gloriosam confessionem laudat Cyprianus Epist. 60. alias 57, mortem vero Epist. sequenti, qua Lucio in Cornelii locum substituto, de reditu ab exilio gratulatur. Sed cum ipse quoque Lucius paulo post Martyr occubuisset, utriusque memoriam commendavit Stephano eorum Successori Epist. 68. alias 67. his verbis: „ Servandus est enim Antecessorum nostrorum Beatorum Martyrum Cornelii, & Lucii honor gloriosus, quorum memoriam cum nos honoremus, multo magis tu, Frater carissime, honorificare, & servare gravitate, & auctoritate Tua debes, qui Vicarius, & successor eorum factus es „. Post tot vero Martyres, quos ad Caelos praemiserat Cyprianus, & ipse tandem glorioso martyrio coronatus est. „ Praecesserant, *inquit Augustinus Serm.* 309, Cyprianum multi Martyres, quos flagrantissimis exhortationibus suis ad vincendum diabolum accenderat; & erat utique justum, ut quos veridicus loquendo praemiserat, patiendo intrepidus sequeretur „. Id contigit anno 258, adstante omni Civitatis suae Populo, ut ipse semper exoptarat, & quidem in unitate Ecclesiae Catholicae, quod pluribus in locis asserit, & probat idem Augustinus. S. Cypriani memoria ab omnibus omnino Orbis Christiani Ecclesiis celebratur. Id quippe testatur Gregorius Nazianzenus Orat. 18. Tom. I. ubi haec habet: „ Neque enim Carthaginiensi tantum Ecclesiae, nec Africae, ab eo, & propter eum etiam nunc clarae, & celebri, praeficitur, verum etiam Occiduis omnibus Regionibus, ac prope etiam Orientali omni, atque Australi, & Septentrio-

INDICULUS TAB.III.SAEC.II

„ trionali orae, quocumque illius fama, & „ admiratio pervagata est. Sic Cyprianus „ noster efficitur „. Testatur deinde, ejusdem Martyris Festum tunc in Ecclesia Orientali celebratum fuisse; quod & in antiquis omnibus Ecclesiae Occidentalis Liturgiis occurrit. In Romanae Canone, *Cypriani* nomen inter alios Martyres semper recitatum fuit; quod sane maximum est argumentum, hunc beatum Pontificem in ejus Ecclesiae communione, defunctum fuisse (contra nonnullos id inficiantes, arbitrantesque eum Cyprianum, a Stephano Papa abstentum fuisse). Quin & ipsius Festum prioribus Saeculis Romae celebratum fuisse, certum est ex Kalendario Bucheriano, ubi 18. Kal. Octobris haec habentur: *Cypriani Africae. Romae celebratur in Callisti*. Per totam vero Italiam ejusdem Sancti Martyris Festum celeberrimum fuisse testantur S. Petrus Chrysologus Sermone 129, S. Maximus Taurinensis jam laudatus, & Rex Athalaricus Epist. ad Severum, quae est ult. lib. 8 Variarum Cassiodorii. In Gallia ab ejus Festo, sequentes in Adventum Dominicae numerabantur. Vide Liturgiā Gallic. lib. 3. Non minus Hispani eum colebant, ut ex Prudentii Hymno 13 Peristephanon, qui de eo inscribitur, certum est; tum ex Hymno 11, ubi inter solemnes dies Festum *Cypriani* recensetur; tum denique ex Mozarabum Missali, & Breviario. „ Nec immerito „ (*inquit Maximus Taurinensis Homil. 2.*) „ tanto cum honore, Cypriani nominis me- „ moria per amplissima Mundi spatia cele- „ bratur; quia per universum Orbem, ad „ firmamentum fidei nostrae, & passio ejus, „ & doctrina profecit „. Sed nunc dicenda nonnulla sunt de Passione Sancti Cassiani, expressi tertio loco in nostra Tabula ex Musivo Ravennatensi, quod illustramus. Laudatus Ruinartius in Admonitione ad ejus Acta pag. 314. scribit, se Sancti Cassiani Tingitani Martyris Passionem Beati Marcelli Centurionis Actis conjunxisse, non solum ob temporum viciniam, verum etiam, quod ab uno & eodem Auctore collecta, ita connexa sint, ut quae de Cassiani Martyrio narrantur, vix sine B. Marcelli Actis intelligi queant. Narrationem Actorum S. Cassiani ex Cod. Ms. Bibliothecae Colbertinae describit, & quidem cum mendis: cum nondum edita fuerit illa Passio, nec aliunde Codd. Mss., in quibus habeatur, reperire licuerit. Cassianum *gloriosum Martyrem* appellat Ado in Martyrologio ad diem 3. Decembris, quo die, sicut & in aliis vetustis & recentioribus Martyrologiis, ejusdem Martyris memoria celebratur. Ipsa quoque Passionis Acta Usuardo nota fuisse, conjici potest ex his, quae de eodem Sancto ad praedictum diem refert his verbis: „ Tingi Metropoli, Passio Sancti „ Cassiani, qui Exceptoris diu gerens offi- „ cium, tandem caelitus inspiratus, exe- „ crabile duxit Christianorum neci deser- „ vire cruentus. Unde renuntians eidem „ officio, sub Christiana confessione trium- „ phum meruit obtinere Martyrii „. Haec eadem verba Martyrologio Romano inseruit Cardinalis Baronius, quae paulo aliter in Martyrologio Galesinii habebantur. Hunc vero Martyrem Saeculo Quarto jam notissimum fuisse, patet ex Hymno 4. Prudentii de Coronis, ubi praecipuos variarum Ecclesiarum Patronos recensens, haec de B. Cassiano habet versu 45.

Ingeret Tingis sua CASSIANUM.

Porro, cum paulo post S. Marcelli necem passus fuerit Cassianus, jam nulla difficultas superest in assignando ipsius mortis anno, quae nempe ad annum 298, Marcelli extremum, revocanda est.

35. *Martyres Dei Stephanum ducem secuti virum in lege doctissimum, plenum fide, & Spiritu Sancto, contestes Passionum Christi ante Reges & Praesides, accepta divinitus verba constanter asserunt, scribendoque Apostolico Symbolo & Ecclesiae gestis sanguinem administrant*. Vide S. Lucam in *Actibus Apostolorum* cap. 6. & 7, qui fuso calamo narrat Martyrium S. Stephani; licet pauca habeat de aliis Apostolis, praeter Petrum, & Paulum; breviterque perstringat S. Jacobi necem ab Herode peractam: quoniam Stephanus primus omnium fuit, qui pro Christi nominis confessione sanguinem effudit. In illa *persecutione magna*, quae tunc contigit Hierosolymis, multos Sanctorum in carceribus inclusos, & occisos fuisse, S. Paulus asseverat. Vide Chronicum ad annum Chr. 29, Ruinartium in Adnotatione ad Martyrium S. Jacobi Majoris Apost. pag. I, & P. Mamachiū *Orig. & Antiq. Christian.* To. I. lib. 2. cap. 5. p. 296. Prima Ecclesiae Persecutio a Judaeis facta sanguine Stephani fuit purpurata. Tunc Viri Cyprii, & Cyrenei, qui ob illud dispersi sunt, Christum annunciarunt etiam Graecis.

36.) SS. Matthaeus, Eugenia, Leoni-
37.) des, Plutarchus, & Socii ejus, ex
38.) Musivis Ecclesiarum Salernitanae & Ravennatensis, de quibus vide Ciampinium

nium *Vet. Monimens.* Tom. 2. pag.94. Sanctus Matthaeus Apostolus primus in Judaea Euangelium composuit Hebraicis literis, dum Petrus & Paulus Romae Christum praedicautes, Ecclesiae fundamenta jacerent. In Aethiopia vero martyrium fecit. Vide Eusebium *Hist.* lib. 3. cap. 1, Socratem lib. 1. cap. 15. & seqq., S. Paulinum Nolanum *Natal.* XI, S. Ambrosium in *Enar.* in Psal. 45. num. 21, Martyrologia Usuardi, & Adonis die 21. Septemb. Menologia Basilii, & Sirleti die 6. Nov. & Card. Baronium ad ann. 31. num. 71. ad 41. n. 14. & ad 1080. n. 45. Avitus Viennensis Antistes testatur lib. 6. *de laude Virginitatis*, Eugeniam Virg. & Mart. ubique terrarum suo tempore celeberrimam fuisse: nulla tamen de ejus laudibus hodie superest Homilia apud SS. Patres. Ejus Natalis dies in Martyrologiis recensetur die 25. Decembris Acta SS. Leonidis, Plutarchi, & Sociorum extant apud Ruinartium in *Actis Mart. sinc.* p. 96. & seqq. Confer etiam Eusebium *Hist. Eccl.* lib. 6. cap. 1. & seqq. Leonidis Natalis meminit Martyrologium Romanum die 22. Aprilis; Plutarchi vero, & Sociorum, die 28. Junii: de singulis vetustiora Martyrologia eodem die agunt, quamvis eos variis diebus passos, ex ejusdem Eusebii narratione certum sit. Horum SS. martyrium ad annum circiter CCX. quo maxime efferbuit, praesertim Alexandriae, Severi Persecutio, referri posse censeo. Vide nostrum *Indiculum* num. 47. hujus Tab. III, ubi de Sancto Leonide.

39. *Episcopi, ab Apostolis instituti Doctores, & Judices, ac Successores, depositum Doctrinae, per manus traditum, in Ecclesiis servant; lectisque Sacerdotibus, ac Ministris, Praecones Verbi Dei, juxta ordinem Hierarchiae, cum spiritus, & gratiae collatione constituant.* Vide nostrum *Librum Historicum* Capite secundo.

40.) Effigies SS. Thomae Apostoli, &

41.) Panthaeni Presbyteri Scholae Alexandrinae Praefecti celeberrimi, ex valvis aeneis Basilicae S. Pauli Via Ostiensi scalpro incisis Constantinopoli anno Christi 1070, atque ex antiquo Musivo. S. Panthaenus dextera manu tenet Euangelium S. Matthaei, quod ipse post Thomam Indis, aliisque Gentibus, quae in Orientis ultimis secessibus recondebantur, devotionis calore succensus annunciavit. Eusebius Caesariensis lib. V. cap. X. *Hist. Eccl.* pag. 223. edit. Cantabrig. de eo sic scribit: *Tantum animi ardorem erga verbum Dei idem vir ostendisse perhibetur, ut Orientis Nationibus Euangelii Christi praedicator extiterit, ad ipsam usque Indiam progressus. Quippe complures erant etiam tum Euangelistae sermonis Dei, qui divina quadam emulatione succensi, Apostolorum exemplo studium suum conferre ad aedificationem fidei, & ad incrementum Verbi Divini properabant. Ex quorum numero Panthaenus ad Indos usque penetrasse dicitur, ibique Euangelium Matthaei, quod adventum ipsius jam praevenerat, apud quosdam Christi notitia imbutos reperisse. Quibus scilicet Bartholomaeus unus ex duodecim Apostolis, olim, ut fama est, praedicaverat, & Euangelium Matthaei Haebraicis conscriptum literis reliquerat: quod quidem ad praedicta usque tempora servatum esse memoratur.* S. Thomae quoque martyrium in dictis Valvis aeneis exhibetur, cum epigraphe, Ο ΑΓΙΟС ΘΩΜΑС ΛΟΧΙ ΥΠΟ ΗΝΔΙΑ ΤΕΛΗΟΤΕ. *S. Thomas lancea in India moritur.* Eum Parthis, Medis, Persis, Brachmanis, Indis, aliisque Nationibus finitimis Parthorum Imperio subditis Euangelium praedicasse, *Origenes apud Eusebium lib. 3. Histor. Eccles. cap. 1, Sophronius* Recognitionum Auctor *lib. 9. cap. 29, S. Gregorius Nazianzenus Orat. 25, S. Hieronymus Epist. 148, S. Ambrosius in Psal. 45, S. Gaudentius Homil. 17, Fortunatus lib. 5. cap. 1*, aliique tradunt. Tres illos item Magos, qui Christum natum adoravere, ipsum baptizasse, sibique socios in praedicatione Euangelii assumsisse, scribit Auctor Operis imperfecti in Matthaeum *Homil.* 11. Martyrio demum obiisse agnoscunt *Theodoretus Graecarum affectionum lib. 8, S. Gaudentius Homil. 17, S. Asterius Homil. 10, S. Nilus apud Photium Cod. 276, & S. Gregorius Turonensis lib. de Gloria Martyrum cap. 32.* Calaminae in India obiisse, testatur *Sophronius*. Est autem Calamina, quae nunc *Maliapur*, & a Lusitanis dicitur civitas *S. Thome*, quem ibi lancea confossum, traditio est.

42.) Memoria SS. Barsimaei, Sarbelii,

43.) Barbeae, & Romuli, qui celebritate anniversaria ab Ecclesia recoluntur IV. & III. Kal. Februarii in Martyrologio Romano, & Idibus Octobris a Graecis in Menaeis. Card. Baron. ad an. Chr. 107. num. 2. *Constat* (inquit) *Ecclesiam Edessenam Trajani Persecutione diu vexatam: praeerat tunc illi Barsimaeus Episcopus, qui, cum Gentiles plurimos convertisset ad Fidem, eosdemque ad subeundum Martyrium exhortatus, ipse demum eamdem quoque Martyrii coronam promeruit.*

INDICULUS TAB. III. SEC. II

Agitur ejus Natalis anniversaria celebritas trigesima Januarii, Illustre item inter alia fuit sane Martyrium Sarbelii, & Barbaeae sororis ejus, qui ambo a Barsimaeo Episcopo fuerant baptizati. Ceterum Sarbelius, quod Sacerdos Idolorum fuisset, graviora tormenta coactus est experiri; quibus omnibus Dei gratia superior factus, tandem inter duo ligna ligatus, sectus est; Soror autem ejus truncato capite martyrium consummavit. Agitur de omnibus quoque commemoratio die 30. Januarii. De Persecutione Cochebae seu Barchochebae Judæi vide Chronicum ad annum Christi 132, Rninartius pag. 42, in admonitione ad Acta S. Justini Mart, de eadem Persecutione sic scribit; *multa in iis* (S. Justinus) *de Christianorum constantia refert, qui a Judaeis & Gentilibus varie agitati, nec minis, nec suppliciis, nec ipsa morte a vera fide revocari poterant: qua occasione refert, Barchochebam Judaeorum rebellium Ducem, tempore Hadriani, Christianos variis suppliciis affecisse, quod Christum negare abnuerent; quam Persecutionem Eusebius in Chronico commemorans ad annum 134, asserit Christianos diris cruciatibus necatos fuisse, quod Judaeis adversus Hadrianum opem ferre noluerint: unde commendari potest antiquorum Christianorum erga Principes, quantumvis sibi adversarentur, religio & observantia.* Et in Praefatione pag. xxxiv. *Hadriani odium in Judaeos, Christianis ejus favorem minime conciliavit. Verum quidem est, Barchochebam, factionis Judaicae Ducem, plurimos e Christianis morte, & suppliciis affecisse; quod Christum negare nollent, referente Justino; quodque adversus Romanos nollent rebellare, testante Eusebio in Chronico, cui Orosius, ceterique consentiunt: sed, ut ajebat Justinus in Epistola ad Diognetum,* adversus Christianos Judaei bellum gerunt, & Graeci eos persequuntur; & osores eorum causas inimicitiarum dicere nequeunt.

44.) Imagines *SS. Proti*, (seu *Protuae*)
45.) *Demetrii*, & *Eugeniae*, ex Musi-
46.) vo Ravennatensi, de quo vide

Ciampinium *Veter. Monim.* Tom. 2. pag. 94, & 100. Martyrologium Adonis III. Idus Septembris de SS. Proto, & Eugenia sic habet: *Romae Via Salaria vetere, in Coemeterio Basillae Natale SS. Proti, & Hyacinthi, qui erant Eunuchi B. Eugeniae Virginis, cum qua ab Heleno Episcopo baptizati, aliquanto tempore Divinis solum eruditionibus vacantes, in sancto proposito perstiterunt: atque in Servorum Dei Monasterio mira humilitate conversati sunt: & hoc apud Aegyptum. Inde cum Beatissima Virgine Romam reversi &c. pariter decollantur. Post haec tenetur S. Eugenia &c., quam ingenti saxo circa scapulas ejus constricto Tiberi praecipitem dederunt.* Vide etiam Patrem Sollerium To. 7. *Act. Sanctorum* Junii in Notis ad Martyrolog. Usuardi pag. 527. Agunt de SS. Proto & Hyacintho Kalendarium Bucherianum, Hieronymiana, Beda genuinus, Rabanus, Florus, Usuardus, Wandelbertus, Notkerus, & alii: quibus adde Libros Liturgicos Gregoriani Ritus vetustissimos. Locus dormitionis, seu sepulturae eorum in Coemeterio *Basillae Via Salaria Veteri*, insignis ob eorum cultum, ornatus etiam fuit a Sancto Damaso Papa Carmine 26., quod vide in luculenta nupera Editione Viri Eruditissimi Antonii Mariae Merendae pag. 235: atque apud Gruternm pag. 1172, & in veterrima descriptione Regionum Urbis apud Mabillonium *Analectorum* Tomo iv. pag. 501; ubi etiam aliud epigramma habetur de Sepulcro S. Martyris Hyacinthi, cui Einsildensis Monachus haec addit: LEOPARDVS PRESBYTER ORNAVIT: & pag. 513. in Via Pinciana inter Martyrum corpora ibi quiescentia, Prothus & Hyacinthus enumerantur, prout in Notitia apud Eccardum, & Willelmum Malmesburiensem. De horum Martyrum Cnemeterio consulatur Aringhius lib. 4. cap. 34. Acta eorum eadem sunt, atque Acta S. Eugeniae Virg. & Mart. de qua, die xxv Decembris. Qua fide scripta sint, Baronius in Notationibus refert. Plura vide apud Cl. Georgium in Commentariis ad Martyrologium Adonis III. Idus Septembris pag. 465.

47.) *S. Leonides* Martyr, pater Orige-
48.) nis, qui Alexandriae sub Severo
49.) Imp. passus est. Ejus meminit Mar-
50.) tyrologium Romanum die 22. Apr.

Extant Acta SS. Leonidis, Plutarchi, & aliorum Martyrum Alexandrinorum apud Eusebium lib. 6. *Hist. Eccles.* cap. 1. & seq. edita a Ruinartio. De S. Demetrio agit Ado in Martyrol. ubi de Passione S. Dionysii Alexandrini Episc. haec scribit: *tunc temporis etiam Maximus Presb. & Dioscorus,* DEMETRIUS *quoque, & Lucius, necnon Faustinus, atque Aquila satis clari & insignes titulo confessionis effecti sunt.* Plura vide in Indiculo hujus Tabulae num. 46. *S. Aristion* Salaminae in Cypro passus est. Unus fuit de septua-

feptuaginta duobus Chrifti Difcipulis, atque ejus meminit Papias Hieropolitanus in Phrygia Epifcopus, quem referunt Irenaeus apud Eufebium lib. III. cap. 39, & Hieron. de *Script. Ecclefiaft.* cap. 18. ac in Epiftola 28. *ad Lucinium.* Agunt de eo etiam Ado, & Ufuardus die vigefima fecunda Februarii, qua die Bollandus ex Eufebio, & aliis ejus Elogium exaravit. *Nicanor* Diaconus de Septem primis, gratia Fidei, & virtute admirandus, apud Cyprum gloriofiffime coronatus eft. Vide Martyrol. Adonis, & Ufuardi die 10. Januarii. Nihil heic addendum putamus ad ea, quae de Nicanore expendit Sollerius ad Ufuardum eadem die. *Tychicus* Apoftolorum Difcipulus apud Paphum obiit. De eo agunt III. Kal. Maji Martyrol. Rom. parvum, Ado, Ufuardus, & Notkerus. Hujus Tychici meminiffe Paulum Apoftolum in Epift. *ad Ephef.* cap. VI, & in Secunda *ad Timotheum*, ejufque ipfum fuiffe difcipulum, laudatus Ufuardus teftatur. Confule perbreve Comentarium Henfchenii die 29. Aprilis pag. 613. *S. Jafonis*, (al. *Nafonis*) meminit IV. Idus Julii Martyrol. Roman. parvum, Ado, Ufuardus, & Notkerus. Hic autem cenfetur Rofvveido effe Jafon (vel *Mnafon*) Cyprius, de quo *Acta Apoft.* loquuntur cap. 21. Ita, poft Rofvveidum, & Henfchenium ad diem 25. Junii pag. 4, cenfet etiam Sollerius in Ufuardum, ubi monet *Jafonem* in Martyrologio nuncupari, de quo plura habet Baronius in Notis fuis. Duos *Eupfychios* Martyres Caefareae Cappadociae fuiffe conftat; quorum alter, de quo agitur in Martyrol. Roman. 7. Idus Septemb., paffus eft temporibus Hadriani Imperatoris; alter autem, de quo ad quintum Idus April., fub Juliano Apoftata martyrium confummavit. Vide Menolog. Graecorum, & Baronium in Notis.

51. Imago S. Lucae Euangeliftae, ex valvis aeneis Bafilicae S. Pauli Via Oftienfi, Conftantinopoli fcalpro incifis. Ciampin. *Veter. Monim.* Tom. I. pag. 41. col. I. num. 48 Iconam heic expreffam ita defcribit: *S. Lucae Euangeliftae obitus defignatur, cum ejus corpus fepulcro mandari cernatur, ut tres circa eum legentes, necnon Presbyter cum Thuribulo extenfo, Graecorum more, cadaver fumigans. Lemma eft* Ο ΑΓΙΟϹ ΛΟΥΚΑϹ ΕΝ ΙΡΗΝΗ ΤΕΛΙΟΥΤΕ. *S. Lucas in pace moritur* Spiritu Sancto plenus in Bithynia. Ejus offa Conftantinopolim funt translata, de qua Translatione confulendi S. Hieronymus in lib. *de Script. Ecclefiaft.* cap. 7, & in Epift. adverfus Vigilantium, Idatius *in Fuftis*, Theodorus Lector lib. 2. Collectan., Chronicon Alexandrinum, & ex recentioribus, poft Baronium in Notationibus ad Martyrolog. Romanum, & in Annal. ad an. 336. num. 72, PP. Bollandiani ad diem 24. Jan. p. 564, Cangius in Conftantinopoli Chriftiana lib. 4. p. 105, Henricus Valefius in Notis ad Theodorum Lectorem pag. 170, Pagius in Critice ad an. 356. num. 13, ac 357. num. 1, & Tillemontius To. I. p. 320. Agunt de S. Luca XV. Kal. Nov. Rabanus, Notkerus, & alii. Rabanus in Bithynia, ut diximus, eum obiiffe fcribit, prout Ado, Ufuardus, Martyrolog. Gellonenfe, & Kalendarium Vaticanum 3806. Martyr appellatur dicitur in Kalendario Carthaginienfi; quem fane titulum innuit etiam S. Gregorius Nazianzenus Orat. I. *in Julianum*, & aperte SS. Paulinus, & Gaudentius Epifcopus Brixienfis in Sermone de Dedicatione Ecclefiae Quadraginta Martyrum.

52. Imago S. Afterii Amafeae Epifcopi, ex Mufivo Literanenfi. Vide fupra in Indiculo hujus Tabulae num. 14.

53. *Clerici, & Catechiftae (Apoftolorum Epiftolae fcriptae non atramento, fed fpiritu Dei vivi) Sacrorum Canonum difciplinam fub idoneis Doctoribus affecuti, lectioni, exhortationi, & orationi attendentes, atque Angelorum imitatores effecti, ea, quae audierint, non quae ufurpaverint, fatagunt enuclare.* Vide *Librum Hiftoricum* capitibus II. & VII.

54. Effigies S. Polycarpi Smyrnenfis Epifcopi, ex Mufivo Ravennatenfi. Vide fupra num. 25, & Eufebium lib. 5. cap. 24, Pagium in Critice ad annum 167. num. 4. ac feqq., Praefulem Georgium in Notis ad Martyrologium Adonis die VII. Kal. Febr. pag. 66, & noftrum Chronicum ad ann. Chr. 158. 159. & 164. Francifcus Blanchinus Patruus meus *in Notis ad Anaft. Biblioth.* Tom. 2. Sect. XI. pag. 114. fcribit (ut refert Eufebius), temporibus Aniceti Papae Romam veniffe B. Polycarpum, Joannis Euangeliftae auditorem, id teftantibus literis Irenaei, ob quaeftionem quandam, quae de Pafchatae inciderat. Auctor vero Chronici Alexandrini annum quoque indicat adventus ejus, nempe fub Confulatu Tertulli & Sacerdotis, Æræ Chriftianae an. 158. Quid in Urbe praeftiterit, nos docet laudata Irenaei Epiftola apud Eufebium lib. 4. cap. 14. *Aniceti*, inquit, *temporibus Romam veniens (Polycarpus) multos ex fupradictis haereticis* (Marcionis affeclis) *ad Ecclefiam*

Indiculus Tab.III.Sec.'{I

elesiam Dei revocavit . Et paulo post: *Ipse etiam Polycarpus , cum ei Marcion aliquando occurrisset, dixissetque : Agnoscis nos ? respondisse fertur : Agnosco te primogenitum Satanae. Adeo religiose cavebant Apostoli , eorumque Discipuli , ne vel sermone tenus miscerentur cum ullo eorum,qui veritatem adulterabant. Quemadmodum & Paulus dixit : Haereticum hominem post unam , aut alteram admonitionem devita ; sciens , hujusmodi hominem perversum esse, & suo ipsius judicio condemnatum peccare* . Hactenus Irenaeus (ioqoit Eusebios) . Haec testimooia probant aperte, eamdem coostantiam fuisse Presbyterii Romani vacante Sede, & Aoiceti Pootificis, quae fuit Polycarpi , dum submovereot ab iogressu Ecclesiae, & a societate Catholicorum Marciooem in haeresi sua pertioacem. Illostris qooque Martyr Justinus Romae ageos per eadem tempora , Eusebio teste lib.4. cap.16, libros edidit cootra Marciooem,ab Ireoaeo commendatos (ibi c.18), & ab Hegesippo pari laude dooatos apud Eusebium cap.22 , ubi Marcionitarum errores a Judæorum Sectis emanantes perstringit. Contra eundem Marcionem Rhodon Asia oriundus, sed Romae institutus a Tatiano, varios conscripsit libros (ait Eusebius capit. 13), & cum reliquis adversus Marciouis haeresim decertavit. Quae vero inter se amice cootulerint Anicetus , & Polycarpus de controversia ritus Paschalis , idem Eusebius commemorat lib. 5. cap. 4. ex literis Irenaei ad Victorem : *Cum Beatissimus Polycarpus* (ioquit) *Aniceti temporibus Romam venisset, atque inter eos de quibusdam aliis rebus modica esset controversia , statim mutuo pacis osculo se complexi sunt , de hoc capite non magnopere inter se contendentes* . Honorifice habuit Polycarpum Auicetus , *cui consecrandi etiam munus in Ecclesia honoris causa concessit* . Ceterum ooo ooiisit cogere Syoodum , cui S. Polycarpus interfuit , & alii decem Episcopi ; si fidem accommodaious Libello Synodico , per Pagium producto oum. 3 ad Aoicetum . Illa Synodus definivit, *tremendam & salutarem Domini nostri Jesu Christi Passionem in S. Parasceve mystice celebrandam ; Resurrectionem autem vitae auctricem , ipsa celebri & magna Dominica esse peragendam* . Verum quia Heoricus Valesius io Notis ad caput 23. lib. v Eusebiani de auctore hujus libelli Syoodici nonnihil dubitat, sive Syoodum coegerit Anicetus, sive distulerit,expectans consensum Polycarpi , postquam io Asiam rediisset; certum est Anicetum aperte respoodisse Polycarpo , decessorum suorom morem sibi esse retineodum . Dodvellus ioferre conatur, id moris iostitutum a Sixto , propterea quod Epistola Irenaei solum memoret Pium, Hyginum, Telesphorum , Sixtum ioter decessores Aniceti, qui diem Domioicam jusserint esse Paschalem, nec suis permiseriot,ut aliam hebdomadae feriam Paschati destioarcot. Ab Apostolo Petro eam traditiooem acceperaot Romani , non secus atque Aotiocheoi , & Alexandrioi Patriarchatus Ecclesiae,& Ponticae, ot ex literis supra iodicatis coostat. In illa vero Epistola Ireoæi asceodere oequaquam debuit Vir Apostolicus,enumeraodo oltra ætatem Sixti, quaodo Polycrates objiciebat,permissum fuisse a Joanoe Euaogelista , ut Luoa XIV Pascha celebraretur. Nam Sixti decessores meminisse poterant Joaonis Apostoli, qui Romae fuerat sub Domitiano . Porro, si quae permissio foit Joanois Apostoli,oon alia certe, quam temporaria ceoseoda erat , ex privilegio Apostolis concesso , ot differreot legalium praxim de medio tollere ; etiam post celebratiouem Concilii Antiocheoi,prout ipsorum prudeotiæ videretur,ut Judæos lucrifacerent: quemadmodum Paulo licuit circumcidere Timotheum eadem de causa . Quare cum Irenaeus videret eapeditam fore exceptionem Victoris , quem suadere conabatur, ad tollerantiam Asianae coosuetudiois eaemplo decessorum , si eos quoque oumerasset, qoi vidisse poteraot Joaonem Apostolum ita permittentem , recensuit tantummodo Sixtum , & ab eo consecutos Pontifices : quorum exemplum retundi non poterat Apostolico privilegio temporaneæ permissionis Joaoois Euaogelistae , aote Sixti Pontificatum , jam vita fuocti . Contra hujusmodi inductionem, etiam intra tempus Sixti , & successorum validius coarctatam ab Ireoaeo , Victor cum Auiceto , similia repooente precibus Polycarpi , ostendit , cootrariam consuetudinem ab iisdem decessoribus suis coostanter observatam . a se quoque firmiter esse retinendam, ejusque observantiam a ceteris eaigeodam , qui Joaoois privilegio Apostolis tantum concesso , non esseot praediti ,, . Et loqueos de Martyrio Bmi Polycarpi, p.133.,, Ceterum, inquit , quocumque tandem anuo , post iooitum a M. Aurelio Imperium cum Lucio fratre , ceoseatur martyrium Polycarpi , sive anoo 164, ut ego seotio, sive 166. vel 167. aut 169, ut docti Viri a Ruioartio recensiti , (quos

(quos ergo supra num.25.hujus Tabulæ recitavi) judicant; certum est, in literis Ecclesiæ Smyrnensis, eo de martyrio datis ad Ecclesias Ponti, id legi, nempe sperari jam posse Beati Polycarpi martyrio, quasi signaculo quodam, impositum esse finem Persecutioni: *Scripsimus vobis fratres, tum de reliquis Martyribus, tum de B. Polycarpo, qui martyrio suo veluti signaculo quodam Persecutioni finem imposuit*.

55. *Confessores, & Anachoritae, eum omni humilitate & mansuetudine sollieiti servare unitatem Spiritus in vinculo pacis, ministrant in fide virtutem, in virtute autem scientiam, abstinentiam, pietatem: Martyria sua, exempla faciunt ad innoeentiam; simplices, & eum simplieitate prudentes.* Vide Chronicũ, & Indiculũ consequentium Saeculorum III. & IV. hujus *Demonstrationis Historiae Ecclesiasticae Quadripartitae*. Franciscus Blanchinus Patruus meus *in Notis ad Anast. Bibl.* Tom.2. in Vita S. Telesphori PP. Sect. IX. p.96. scribit, fuisse Anachoretas aetate Telesphori: idque nemo negaverit, qui attendat ex Euangelio, ante praedicationem Christi Domini Joannem illius Praecursorem deserti accolam, zona pellicea succinctum lumbos, & locustis, ac melle silvestri famem sedantem, antra deserti subiisse teneris sub annis. Ejusdem certe exemplo Patres attribuunt, & cum his Catholici omnes, originem vitæ Monasticæ apud Christianos; quem propterea Monachorum Principem dixerunt SS. Joannes Chrysostomus, & Hieronymus, aliique simili elogio commendant, videndi apud Baronium ad annum Christi 31. num. 14. & 15. Quin etiam Divinus ipse Praeceptor noster Christus Dominus, uti virtutum omnium exemplar, & norma, ita etiam in deserto agens per dies quadraginta, videtur insinuasse vitae solitariae institutum, antequam activae praecepta daret. Quare Basilius agens de laudibus Eremi, ubi eam commendavit ab exemplis Moysis, Eliae, Elisei, & Joannis Praecursoris, aliorumque Prophetarum, altius orationem extollens, ait: *Et quid amplius memorem? Quandoquidem ipse Salvator omnium in exordio suae manifestationis inviserit, ac propria dignatus est se habitatione consecrare. Postquam enim Baptismatis aquam, qua lotus est, lavit, ut Euangelista testatur, statim Spiritus expulit eum in Desertum ... Debitorem se tibi Mundus agnoseat, unde praedicaturum, ae mirabilia facturum suscepisse Deum non ignorat*. Merito itaque referunt Scriptores nostri, cum Hieronymo, & Cassiano, aliisque, ad Marci Euangelistae Discipulos Alexandrinos rationem illius instituti, quam in Essenis, hoc est in prima illa Ecclesia Christiana tantopere commendavit Philo, ejusdem formam describens plane Anachoreticam, neque admodum diversam a consuetudine primorum Fidelium, per Apostolos conversorum post adventum Divini Spiritus: quos iisdem Essenis in Christum credentibus per Marci praedicationem in Aegypto peræquat Hieronymus in elogio Philonis: *Ex quo apparet*, inquit, *talem primum in Christo eredentium fuisse Eeclesiam, quales nunc Monaehi esse visuntur; & eupiunt, ut nihil eujusquam proprium sit, nullus inter eos dives, nullus pauper, patrimonia egentibus dividantur, orationi vaeetur, & psalmis, doctrinae quoque, & continentiae: quales & Lucas refert primum Hierosolymis fuisse eredentes*. Viguisse quoque in Judaea eadem aetate Apostolica Essenorum Ascetarum copiam, luculenter ostendit Baronius ad annum 64, invictis argumentis comprobans, contra Novatorum commenta, plerosque illorum, qui a Josepho laudantur, fuisse Christianos ex Judaeorum Essenis quidem conversos: neque habendos illius antiquitatis, quam Plinius, & Solinus iisdem affingunt; sed circa aetatem Christi Domini, & Herodis Magni a Scriptoribus tantummodo memoratos; qui, cum ceteras Judaeorum Sectas superioribus aetatibus describere non omiserint, de his ne verbum quidem proferunt. Cum vero de Essenis fateatur Solinus, interiora Judaeae illos colere, praeditos morali disciplina, recessisse a ritu Gentium universarum, Venere se penitus abdicare, pecuniam nescire, palmis victitare, & plurimos undique gentium ad eos properare; neque tamen ullum admitti, nisi quem castitatis fides, & innocentiae meritum prosequatur; jure Annalium parens in eis recognovit Christianos, ad fidem facilius perductos ex Essenorum secta, quam ex ceteris apud Judaeos tunc vigentibus. Sive igitur Telesphorus Anachoreta Christianus fuerit ex prioribus illis consilia Euangelica professis in Judaea, aut Alexandriae, sub Apostolis, & Marco; sive Anachoreta primum inter Judaeorum Essenos, ad quos undique gentium convolabatur; adeoque & ipse adveniens illuc e Graecia, perfectioris vitae studio se illis adjunxerit; mox certior factus nostrae professionis, in Schola Christi eam adinvenerit, relictis Judaeorum Essenis; potuit utroque mo-

INDICULUS TAB.III.SEC.II

do dici *ex Anachoreta* ad Maximum Sacerdotium evectus in hac Romana Sede ab Auctore libri Pontificalis.

56.) Statua S. Hippolyti Martyris, ex
57.) marmore Bibliothecae Vaticanae. En alterum segmentum Sedis marmoreae S. Hippolyti, inventae an. 1551, quae est inscripta ejus Canone, ubi dies Lunae xiv Paschalis, ac solemnes etiam dies Resurrectionis Dominicae designantur. Incipit Canon a primo anno Alexandri Severi, in eoque dicitur, illo anno terminum Paschalem incidisse in diem decimum tertium Aprilis, & Pascha celebratum fuisse die vigesima prima; ac denique decimum tertium Aprilis fuisse diem Sabbathi. En titulum Latine versum: ANNO ALEXANDRI CAESARIS PRIMO INITIUM. DOMINICAE PASCHALES SECUNDUM ANNOS. ADPUNCTIONES VERO OSTENDUNT BISSEXTUM. Sequitur deinde, ut in nostra Tabula, Expansio Cycli Paschalis seu Canonis Hippolytei annorum 112. per septem Heccaedecaeterides, quem heic item Latio donatum damus.

ANNO ALEXANDRI CAESARIS PRIMO INITIUM DOMINICAE PASCHALES SECUNDUM ANNOS ADPUNCTIONES VERO OSTENDUNT BISSEXTUM.

	I.	III.	V.	VII.
1	xi.Kal.Maji. Dominica.	xvi. Kal. Maji. Dñica.	xiv. Kal. Maii. Dñica.	xii. Kal. Maii. Dñica.
2	viii. Idus Apr. Dñica.	vi. Idus Aprilis.	iv. Idus Aprilis.	Nonis Aprilis.
3	v. Kal. Apr. Dominica.	x. Kalendas Aprilis.	viii. Kal. Aprilis.	vi. Kalendas Aprilis.
4	xv. Kalendas Maji.	Pridie Idus Aprilis.	xviii. Kalendas Maii.	xvi. Kalendas Maii.
5	iv. Nonas Aprilis.	Pridie Nonas Aprilis.	viii. Idus Aprilis.	Kalendis Aprilis.
6	viii. Kalendas Aprilis.	xiii. Kal. Aprilis.	xi. Kalendas Aprilis.	ix. Kalendas Aprilis.
7	Idibus Aprilis.	vi. Idus Aprilis.	iv. Idus Aprilis.	Pridie Idus Aprilis.
8	[illegible] Kalendas Aprilis.	Pridie Kal. Aprilis.	iv. Nonas Aprilis.	v. Kalendas Aprilis.
9	xi[illegible]. Kalendas Maji.	xii. Kalendas Maji.	xvii. Kalendas Maji.	xv. Kalendas Maii.
10	iv. Idus Aprilis.	Nonis Aprilis.	vii. Idus Aprilis.	v. Idus Aprilis.
11	viii. Kalendas Aprilis.	vi. Kalendas Aprilis.	iv. Kalendas Aprilis.	ix. Kalendas Aprilis.
12	xviii. Kalendas Maji.	xvi. Kalendas Maji.	iii. Idus Aprilis.	Idibus Aprilis.
13	viii. Idus Aprilis.	Kalendis Aprilis.	iii. Nonas Aprilis.	Nonis Aprilis.
14	xi. Kalendas Aprilis.	ix. Kalendas Aprilis.	vii. Kalendas Aprilis.	xii. Kalendas Aprilis.
15	iv. Idus Aprilis.	Pridie Idus Aprilis.	vii. Idus Aprilis.	v. Idus Aprilis.
16	iv. Nonas Aprilis.	v. Kalendas Aprilis.	iii. Kalendas Aprilis.	Kalendis Aprilis.

	II.	IV.	VI.
1	xvii. Kalendas Maji.	xv. Kalendas Mali.	xiii. Kalendas Maji.
2	vii. Idus Aprilis.	v. Idus Aprilis.	Pridie Nonas Aprilis.
3	iv. Kalendas Aprilis.	ix. Kalendas Aprilis.	vii. Kalendas Aprilis.
4	iii. Idus Aprilis.	Idibus Aprilis.	xvii. Kalendas Maji.
5	iii. Nonas Aprilis.	Nonis Aprilis.	Pridie Kalend. Aprilis.
6	vii. Kalendas Aprilis.	xii. Kalendas Aprilis.	x. Kalendas Aprilis.
7	vii. Idus Aprilis.	v. Idus Aprilis.	iii. Idus Aprilis.
8	iii. Kalendas Aprilis.	Kalendis Aprilis.	vi. Idus Aprilis.
9	xiii. Kalendas Mart.	xi. Kal. Maji. Dñica.	xvi. Kalendas Martii.
10	Pridie Nonas Aprilis.	viii. Idus Aprilis.	vi. Idus Aprilis.
11	vii. Kalendas Aprilis.	v. Kalendas Aprilis.	x. Kalendas Aprilis.
12	xvii. Kalendas Maji.	xv. Kalendas Maji.	Pridie Idus Aprilis.
13	Pridie Kalend. Aprilis.	iv. Nonas Aprilis.	Pridie Nonas Aprilis.
14	x. Kalendas Aprilis.	viii. Kalend. Aprilis.	xiii. Kalend. Aprilis.
15	iii. Idus Aprilis.	Idibus Aprilis.	* iii. Idus Aprilis.
16	vi. Kalendas Aprilis.	iv. Kalendas Aprilis.	Pridie Kalend. Aprilis.

* seu potiùs vi. Idus: nam in marmore vexata litera dubiam reddit lectionem.

58. CA-

58. CALAGURIS. Nummus Tiberii, cum epigraphe in antica, TI. CAESAR DIVI F. AVGVSTVS IMP.VIII. *Caput Tiberii laureatum*: in postica vero, quam heic exhibemus, MV. C. I. C. CELERE. C.RECTO. II.VIR. *Municipium Calaguris Julia. Cajo Celere, Cajo Recto Duumviris*. Bos, Municipiorum symbolum. Duumviri, qui Graecis Δύανδροι, instar duorum Consulum, (penes quos Romæ olim summa Reipublicae constituendae, atque administrandae fuit) erant in Civitatibus, & Municipiis. Calaguris Tiberio hunc Nummum dedicavit cum titulo in antica *Imperatoris VIII*, quem ille Arminio, & Cheruscis a Germanico devictis accepit: quoniam cum diu octavum Imperatoris titulum, & alium deinceps non habuit; difficile est, quo U. C. anno cusus sit Nummus, pronunciare. *Rectus*, & *Celer* Duumvirorum sunt cognomina, quorum (inquit Vaillantius) ignorantur Familiae. L. Fulvius Rectus Sextumvir Augustalis, in Inscriptione in Hispania reperta, apud Gruterum pag. 237. 1, perhibetur. *Celer* vero, cognomen plurimis Familiis vulgare. Calaguris Civitas Hispaniae Tarraconensis in Vasconibus collocata: hinc Calaguritani, qui in ea habitant; quorum alii Sabulacenses, aut Fibularenses; alii Nascici cognominautur, ut inquit Plinius lib. 3. Sect. 4. *Calaguritani, qui Nassici cognominantur*. Ambr. Morales ex veteri Inscriptione, MVN. CALAGVRIS. IVLIA. NASSICA. Est autem ab *Huesca* in Arragonia Hispaniae Provincia, leucis IV. dissita. Calaguris vulgo dicitur *Calaborra*. Haec Municipium ne, an Colonia fuerit, ambigit *Antonius Augustinus Dialog. 6. Antiq. Hisp.* Municipium tamen potius, quam Coloniam fuisse, mihi suadet hic Tiberii Nummus, aliique ærei Augusti, quos & ipse Augustinus loco citato expendit, in quibus legitur MVN. CAL. IVL., videlicet *Municipium Calaguris Julia*. Eos omnes penes Adolphum Occonem in Coloniis, & Municipiis Augusti observare licet. Vide etiam Spanhemium *ad Constitut. Antonini Imp.* Exercit. I. apud Graevium Tom. XI. pag. 47. Calaguris SS. Hemiterio, & Chelidonio gloriatur, qui martyrio coronati sunt circa ann. Chr. 304. *Acta eorum*, inquit Henschenius, *ab Auctoribus coaevis consignata scripto fuerunt, quae rabie, ac vi Tyranorum periisse deplorat Aurelius Prudentius Clemens, cujus diligentiae debemus omnem horum Martyrum notitiam*, in Hymno IV Peristephanon, in quo loquitur inscripto de Sanctis Martyribus Calaguritanis.

59. TURIASO. Nummus Tiberii cum epigraphe in antica, TI. CAESAR AVGVSTVS. *Caput Tiberii laureatum*: in postica vero, quam heic exhibemus, MVN. TVR. DIVVS AVGVSTVS. *Municipium Turiaso Divus Augustus*. Figura capite radiato sedens, quae dextra globum, sinistra hastam puram tenet. Municipium *Turiaso*, Urbs est Hispaniae Tarraconensis, nunc *Tarrazona*, trans Iberum, in Aragoniae confinio, de qua vide Antonium Augustinum *Antiq. Rom. & Hispan.* Dialog. VII. Turiasonenses inter Populos Romana Civitate donatos a Plinio numerantur lib. 3. Sect. 4: *ex his Civium Romanorum ... Turiasonenses*, qui Tiberio gratulantes, quod Augustus ejus Pater inter Divos esset relatus, hunc Nummum ipsi procuderunt. Statua sedens, ejusdem Augusti est, a Turiasonibus posita post ipsius Apotheosim. Coronam radiatam, hastam puram, & globum in dextra, Divinitatis symbola esse, jam saepius animadvertimus.

60. TARRACO. Nummus Tiberii, cum epigraphe in antica, DIVVS AVGVSTVS PATER: in postica vero, quam heic exhibemus, C. V. T. T. *Colonia Victrix Togata Tarraco*. De *Togatae* cognomine vide Ant. Augustinum Dialog. VII. Antiquitatum Roman. & Hispan. pag. 105. Urbs insignis, totiusque Hispaniae Tarraconensis caput, Tarraco est, in ora Catalauniae. Plinius lib. 3. sect. 4, *Colonia Tarraco, Scipionum opus*. Extant duae Inscriptiones apud Gruterum pag. 382, & 429, in quibus haec Colonia memoratur. In hoc Tiberii Nummo, quem repraesentamus, visitur Ara, ex qua palma arbor enascitur. Augustus ad bellum Cantabricum anno U. C. 728 Tarraconem se contulit, teste Dione lib. 53. pag. 514. ibique in morbum incidit. Tarraconenses, votis pro ejus salute susceptis, Aram ipsi consecrarunt; super qua, cum longe post Augusti discessum enata esset palma, id pro victoriae omine, atque aeternitatis symbolo reputantes, Romam Legatos miserunt, gratulatum de enata palma. Vide M. Fabium Quintilianum lib. 6. cap. 4. *Instit. Orat.* & laudatum Ant. Augustinum Dialogo II. *Antiq.* p. 13. Hic typus etiam in Nummis a Tarraconensibus ipsi Augusto percussis visitur. In nostro vero Tiberius exprimitur, quia & ipse in gloriae partem venit post devictam Hispaniam. Tarracone passi sunt SS. Fructuosus Episcopus, Augurius & Eulogius Diaconi ejus.

Indiculus Tab.III.Sec.II

ejusdem socii, quorum Acta habentur apud Ruinartium pag. 219. De eis vide *Libellum Orationum Gothico-Hispanum* remotissimæ antiquitatis, ad usum Ecclesiae Tarraconensis, quem ego primus omnium publici juris feci ex Codice millenario Tom. I. *Operum Ven. Card. Thomasii*. Passi sunt Aemiliano & Basso Consulibus, idest anno Christi 259 Feria sexta, 21. die mensis Januarii, qua die tum in novis, tum in veteribus Martyrologiis eorum memoria recolitur. Et quidem eadem die 21. Januarii eorum Natale apud Hipponem — Regium celebratum fuisse ex S. Augustini Sermone patet, qui num.6. sic de iis loquitur: *Beati, quorum Passio recitata est*. Haec habet S. Augustinus Sermone 273. novae Edit. alias 101 *de diversis*, quem in eorum Sanctorum Natali habuit. Lege etiam Prudentium, qui Hymnum vi. in ipsorum Martyrum honorem ex ipsisinet Actis pene totum concinnavit.

61. GRACCURIS. Nummus Tiberii, cum epigraphe in antica, TI. CAESAR. DIVI. AVG. F. AVGVSTVS. *Caput Tiberii laureatum*: in postica, quam heic exhibemus, MVNICIP. GRACCVRIS. Bos vittatus victimae ritu, ac more: qua victimam litare se Jovi pro Decennalibus Tiberii, vel ob sublatum Sejanum, Graccuritani hoc Nummo testantur. Fuit enim bos major victima Jovi, Majoribusque Diis dicata. Tertullianus in libro *de Corona* cap. 12. *Tunc* (inquit) *tibi, Juppiter, bove cornibus auro decoratis vovemus esse futurum*. Vide Harduinum *in Nummis Antiquis Populorum* pag. 186. Graccuritanorum meminit Plinius lib. 3. sect. 4. A Ti. Sempronio Gracco nomen *Graccuris* accepit, ut legitur in Livii Epitome lib. 41. Hinc *Martyres Graccuritani* in Martyrologio. Municipium erat, & quidem sine suffragio; cum inter Latinorum Veterum Populos a Plinio recenseatur. Nunc Oppidum est Hispaniae Tarraconensis, dictum *Agreda*, in Arragoniae confinio, prope Turiasonem.

62. ERGAVICA. Nummns in honorem Augusti percussus. Legitur in antica, AVGVSTVS DIVI F. *Capat Augusti laureatum*: in postica vero, quam heic exhibemus, MVN. ERGAVICA. *Maaicipium Ergavica*. Bos. Vaillantius *de Coloniis* Tom. I. pag. 52. „ Ergavica (*inquit*) urbs est Celtiberorum in Hispania Tarraconensi, cujus meminit Livius lib. 6. Decad. 5. *Ab hoc praelio Gracchus duxit ad depopulandum Celtiberiam Legiones, & cum ferret passim cuncta, atque ageret, populique alii voluntate, alii metu jugum acciperent, centum tria Oppida intra paucos dies accepit. ... Ergavica inde nobilis, & potens Civitas, aliorum circa populorum cladibus territa, portas Romanis aperuit*. Quae Urbs ab eo tempore circa annum U.C. 574. videtur Municipium facta, sed sine suffragio. Municipium Ergavica, inquit Patinus pagina 34, nonnulli Ergaviam vocant. Citerioris Hispaniae locus apud Vascones, quorum Regio nunc Navarra dicitur. Atque hoc Municipium vel deletum jam, vel sane ita obscurum, ut nulla ejus mentio inveniatur apud recentiores; nisi illud sit, quod Ant. Augustinus *Alcaniz* vocat, aut quod dicitur *Mondegiar*: sed *Mondegiar* longe distat Turiassone, & Cascanto, cum quibus tamen Ergavienses conjungit Plinius. In hoc Nummo bovem Coloniae symbolum esse, quod Colonia dicta sit a colendo, bobus autem arari soleat, omnibus ita notum est, ut nihil magis. Legitur apud Gruterum pag. 382. EX. CONVEN. CAESAR. ERGAVIC. hoc est, *ex Conventu Caesaraugustano, Ergavicensis*. Plinius lib. III. sect. IV. de citeriore Hispania ait, *Nunc universa Provincia dividitur in Conventus septem: Carthaginiensem, Tarraconensem, Caesaraugustanum &c.* Et eadem sect. num. II. *Caesaraugusta Colonia immunis, Amne Ibero affusa, recipit Populos LV. Ex his ... Ergavicenses*.

63. CASCANTUM. Nummus in honorem Tiberii cusus. Legitur in antica, TI. CAESAR DIVI AVG. F. AVGVSTVS. *Caput Augusti laureatum*: in postica vero, quam heic exhibemus, MVNICIP. CASCANTVM. Bos. Cascantum, Oppidum Navarrae trans Iberum, prope Turiasonem. Antoninus Pius *in Itiner.* a Mediolano ad Leucas VII. geminum inter Caesaraugustam, & Calagorram collocat. *Caesarea Augusta M. p. XLVI. Cascanto M. p. L. Calagorra M. p. XXIX. Cascatenses*, Plinius lib. 3. sect. 4. inter Populos Latinorum veterum recenset. Ptolemaeus lib. II. cap. 6. Κάσκαντον in Vasconibus, hoc est Navarris. Bos in hoc quoque Nummo, non tanquam major hostia pro salute Tiberii, insculptus est, ut videtur P. Harduino, pag. 118, sed pro Municipii symbolo. Boves ad sacrificia spectantes, infula, seu mitra ornati sunt. Plura vide apud Patinum *de Num. Imp. Rom.* pag. 68.

64. BILBILIS. Nummus in honorem Au-

Augusti cusus. Legitur in antica, AVGVSTVS DIVI F. *Caput Augusti sine laurea*: in postica vero, quae haeic exhibetur, BILBILIS. Figura equestris decurrens, hasta directa. Vaillantius de Coloniis Tom. I. pag. 16. „ Bilbilis, *inquit*, Urbs est Celtiberorum in Hispania Tarraconensi ad Salonem fluvium, de qua Strabo lib. 3. pag. 162. *Celtiberorum porro Urbes sunt Segobriga, & Bilbilis, circa quas Metellus & Sertorius bellum gesserunt*. Eques decurrens, solitum Urbis est insigne; quod plurimae Hispaniae Urbes ob Equorum abundantiam sibi vindicant. De Celtiberorum equis sic loquitur Strabo loco citato pag. 163. *Idemque hoc Hispaniae tradit peculiare esse, quod cornices nigrae sint, & quod Celtiberorum Equi sint subvariegati, & versicolores &c.* Sed Martialis, cui Bilbilis patria, Nummi typum clarius illustrat lib. 1. Epigr. 49.

Videbis altam, Liciniane Bilbilim
Equis, & armis nobilem.

Harduinus tamen in *Antirrhetico* p. 37. & 38 putat, in aliqua Romana Legione, vel Cohorte equis fecisse stipendia Bilbilitanos, ideoque sculptum Equitem in hoc Nummo; non quod Regio illa Equis abundaret, vel quod gens ejus esset bellicosa. Alius extat Bilbilitanorum Nummus Augusto Principe cusus, cum epigraphe MVN. AVGVSTA. BILBILIS L. COR. CALDO. L. SEMP. RVLLO IIVIR. Et in parte altera, AVGVSTVS. DIVI. F. PATER. PATRIAE. Bilbilis ferrariis officinis clara fuit. Plinius lib. 34. sect. 41. *haec* (inquit) *alibi atque alibi utilior aqua nobilitavit loca gloria ferri, sicut Bilbilim in Hispania, & Turiasonem*. Vide Patinum *de Num. Imp. Rom.* pag. 35, & Goltzium pag. 166.

65. ILERDA. Nummus Augusti, cum epigraphe in antica, IMP. AVGVST. DIVI F. *Caput Augusti sine laurea*: in postica vero, quam heic exhibemus, MVN. ILERDA. Lupas gradiens. Urbs Ilerda (nunc *Lerida*) Caesaraugustani conventus, in Hispania Tarraconensi, in colle sita est juxta Sicorim fluvium, de qua Lucanus libro IV.

Colle tumet modico, lenique excrevit in altum
Pingue solum tumulo, super hunc fundata vetusta
Surgit Ilerda, manu placidis praelabitur undis
Hesperios inter Sicoris non ultimus amnes.

Plura vide apud Cæsarem. *Ilerdenses* in Cæsaraugustanorum Foro disceptare, narrat Plinius lib. 3. sect. 4, eosque inter Populos Civium Romanorum recenset: *Ex his Civium Romanorum Ilerdenses Surdaonum gentis, juxta quos Sicoris fluvius*. De Ilerda quoque mentionem facit Horatius,

Aut fugies Uticam, aut vinctus mitteris Ilerdam.

Et Lucanus 1. Epist. 21.

.... Fundata vetusta,
Surget Ilerda manu.

Lupa autem, an Ilerdae insigne sit, ut videtur Antonio Augustino, an Romanae dominationis tessera, dubito. Ilerda, Pompeji Legatorum Petreji & Afranii bello cum Julio Caesare memorabilis fuit, de quo inquit Florus lib. 4. *Anceps, variumque & cruentum in Hispania bellum cum Legatis Cn. Pompeji Petrejo & Afranio, quos Ilerdae castra habentes, apud Sicorim amnem obsidere, & oppido intercludere aggreditur.*

66. CLUNIA. Nummus Tiberii cum epigraphe in antica, TI. CAESAR. AVG. F. AVGVSTVS IMP. *Caput Augusti nudum*: in postica vero, quam heic exhibemus, CLVNIA. CN. POMP. M. AVO. T. ANTO. M. IVL. SERAN. IIII. VIR. *Clunia Cneo Pompejo, Marco Avonio, Tito Antonio, Marco Julio Serano Quatuorviris*. Bos. Clunia, *Colonia* dicitur a Ptolemaeo lib. 2. cap. 6; & in Nummo apud Goltzium *in Thesauro* pag. 239, COL. CLVNIA. Ipsa vero inter septem Provinciae conventus a Plinio numeratur. Erat ita Populo frequens, ut eam Quatuorviros pro Civium multitudine hic Nummus habuisse declaret. Celtiberiae finis erat, apud Durium fluvium, in Castella Vetere. Vaillantius *de Colon.* Tom. I. pag. 104. epigraphem Nummi, de quo loquimur, ita illustrat: Cluniae, inquit, Dio meminit, quam Metellum oppugnantem rebelles Hispanos fudisse narrat lib. 3. pag. 115. *Eumdem ipsi Cluniam oppugnantem aggressi superarunt, & ipsum coeperunt*. *Pompeja* gens, Plebeja: *Avonia* pariter. Sextus Avonius Curator Vici Fortunae Mammosae perhibetur apud Grut. pag. 251. *Antonia*, & *Julia* in Patricias, & Plebejas divisae. *Seranus*, cognomen a *sero*, pro semino seu planto, sumpsit; quod agrum cum sereret absens Dictator electus est. Vide Plin. lib. 18. cap. 3. Ejus etiam meminit Virgil. *Aeneid.* 6.

Et te sulco, Serane, serentem.

Bos Nummo insculptus, deductae index Coloniae est. Vide Goltzium *in Thesauro* pag. 249, Pa-

INDICULUS TAB.III.SEC.II 239, Patinum *de Num. Imp. Rom.* pag. 71, Spanhemium *ad Constitut. Antonini Imp. Exercit.* I. apud Graevium Tom. xi. pag. 56, Harduinum *in Nummis Antiquis illustratis* pag. 120, & Museum Theupolum Tom. I. pag. 660.

67. OSCA. Nummus Augusti cum epigraphe in antica, AVGVSTVS DIVI F. *Caput Augusti laureatum*: in postica vero, quam heic exhibemus, V.V. OSCA. *Urbs Victrix Osca*. Eques decurrens, qui dextra hastam gerit. Extant & alii Augusti Nummi, cum sequenti Inscriptione, VRB. VIC. OSCA D. D. *Urbs Victrix Osca, Decreto Decurionum*. Patinus *de Num. Imp. Rom.* pag. 37. „ Osca, *inquit*, Urbs est Hispaniae Citerioris in Aragonia, quae nunc dicitur HUESCA. *Oscenses, Regionis Vescitaniae* vocat Plinius lib. 3. sect. 4. Hos, inter Hispaniae Populos, non ignobiles fuisse modo, sed & inter principes connumeratos, docet Caesar lib. I. *de Bel. Civil.* Urbis antiquitas, *Osca* nomen fortassis indidit: Oscum enim, pro antiquo usurpabatur. Oscensis argenti meminit Livius lib. 34. c. 10, cujus centum & viginti millia pondo quadringenta triginta octo in aerarium tulit Helvius, & ducenta septuaginta octo millia Q. Minucius. Famam igitur Oscae auxerunt etiam celebres argenti fodinae, quibus Hispaniam abundasse veteres Scriptores docent. Vaillantius *de Coloniis* Tom. I. pag. 55. scribit: Osca, Urbs Hispaniae Tarraconensis, inter Oppida Civium Romanorum recensetur a laudato Plinio. Urbs per excellentiam appellatur, ut putat Ant. Augustinus Dial. 7. pag. 109; quod ille confirmare nititur Plutarchi auctoritate, qui eam vocat *magnam* in Sertorio: *Nam ex parentibus sibi gentibus nobilissimam Oscam amplam Urbem contraxit, iisque doctores praefecit literarum Graecarum, & Latinarum*. Osca *Victrix* dicta est, si recte opinor, a Julio Caesare (quasi ejus deditione contra Pompeji Legatos victor extitisset), qui de Bel. Civil. lib. I. scribit: *Interim Oscenses, & Calagurritani, qui erant cum Oscensibus contributi, mittunt ad eum Legatos, seseque imperata facturos pollicentur*. Eques decurrens in hoc Augusti Nummo, non ejus ad bellum profectionem arguit, nec ad aliquam ipsius expeditionem spectat (idem enim typus & in aliis Hispaniae Urbibus passim, in Tiberii nempe, & Caligulae Nummis occurrit); sed quod regio illa Equis abundaret, quodque gens ejus prae ceteris bellatrix esset, teste Floro, qui lib. 2. Hispaniam dicit, *Bellatricem illam, Viris armisque nobilem*. Constat ergo, regionem illam equis, armisque celebrem fuisse. Quare memoratus Caesar Hispanorum Equitatum maxime commendat lib. 5. de Bello Gal. *Cum celeriter nostri arma coepissent, vallumque ascendissent, atque ex una parte Hispanis Equitibus emissis, Equestri praelio superiores fuissent &c.*

68. OEA. Nummus Antonini Pii cum epigraphe in antica, IMP. ANTONINVS AVG. P. P. P. *Caput Antonini Pii laureatum*: in postica vero, quae heic exhibetur, C. A. O. A. F. *Colonia Antonina Oeensis Augusta Felix*. Caput muliebre turritum. Vaillantius *de Colon.* To. I. pag. 247. ita epigraphem legit, *Colonia Aelia Oea* (vel *Oensis*), *Augusta Felix*, subditque: „ *Oea* Melae, *Oea* Plinio, Antonino Pio, & Ammiano Marcellino, Urbs Africae Littoralis, Colonia Romana fuit, ut tradit Itinerarium ejusdem Antonini Pii: *A Macomadibus in Alexandriam Oea Colonia M. P.* XXVIII. Nomen Aeliae, ab Hadriano, ant Antonino Pio, quibus illius Gentis appellatio communis est, Oeam Coloniam deductam indicat. Et Holstenius Nummum affert rem penitus dirimentem in Adnot. ad Ortelium p. 134, ubi asserit, cum *Aeliae* cognominae, coojunctam esse *Antoninae* appellationē, *ut testatur Nummus, in quo duo boves terram arantes, cum hac inscriptione*, COLONIA AELIA ANTONINA OEA AVGVSTA. Quanta lux historiae ex Nummis affulget! Oeenses beneficii memores fundatori Nummos cum capite turrito, Urbis scilicet Genio, percusserunt „ Haec Vaillantius. Sed Harduinus *in Antirrhetico* pag. 128, Nummum, de quo loquimur, non, ut censet Vaillantius, *Col. Aelia* &c. legendum putat, sed, ut nos, *Colonia Antonina* vel *Antoniana, Oeensis Augusta Felix*; tum quod A, pro AE, ut Aelii nomen indicetur, sive in Nummis, sive in marmoribus prorsus reperire non sit; tum quod ab Antonino id nomen acceperit, teste eodem Holstenio. Antonino Aelii quidem nomen fuit, sed cognomen Antonini peculiare. Quare, si alterum dumtaxat e duobus insculpi Nummo necesse sit, ob areae angustias, Antonini cognomen intelligi signarique necesse fit: ne, si Aeliae nomen ponatur, ad Hadrianum potius, quam ad Antoninum id cognomentum referatur. Vide laudatum Harduinum etiam *de Nummis Antiq.* pag. 368, & in Notis Plinianis lib. v. sectione 4.

69. VIMINACIUM. Nummus Gordiani III. cum epigraphe in antica, IMP. GORDIA-

DIANVS PIVS FEL. AVG. *Caput Gordiani laureatum* : in postica vero, quam heic exhibemus, P.M.S.COL.VIM. *Provinciae Moesiae Superioris Colonia Viminacium*. In imo AN. IIII. Mulier stolata inter taurum, & leonem stans: dextra signum militare (inscriptum VII, idest *Septimae* Legionis) tenet, & sinistra alterum, in quo IIII. *Quartae*. Hic Nummus ad Viminacium pertinens, indicat Coloniam ibi deductam fuisse denuo a Gordiano III Principe. Renovatas fuisse interdum Colonias, sciunt, qui vetustos Scriptores rerum Romanarum terunt. Vide Harduinum *in Nummis Antiq.* pag. 516, & Sertorium Ursatum *de Notis Romanorum* apud Graevium Tom. XI. pag. 635. De Gordiano III. scribit Capitolinus pagina 162. *Fecit iter in Moesiam, atque in ipso procinctu quidquid hostium in Thraciis fuit, delevit, fugavit, expulit, atque submovit*; tuncque deducta ab eo Viminacium Colonia est. Cl. Vaillantius *de Coloniis* To. 2. p. 220. hunc Nummum mirifice illustrat, scribens: „ Elegans hic Nummus, per mulierem ambabus manimus vexilla gerentem, in qnibus scripta sunt Legionum nomina, nos edocet VII. Claudianae, & IIII. Scythicae Veteranos Viminacium Colonos a Gordiano esse deductos. Nummum edidit Patinus pag. 369. mutilum quidem, & ob id forsan illum non intellexit; nec alii Antiquarii ejus meminerunt. Colonia Viminacium anno Gordiani Imperii secundo deducta fuit, ad Provinciae contra Carpos & alios Barbaros custodiam: VII. autem Legio Claudiana hiberna agebat in Moesia superiore, teste Dione lib. 55. p. 564. *Septimia in Mysia Superiori Claudiana praecipue nuncupata*. Novis itaque militibus in supplementum Legionis VII. missis, & Veteranis in primaria Provinciae Urbe collocatis, Moesia ad motus Barbarorum coercendos munita est: porro necessaria fuit in hac Provincia Imperatoris praesentia, antequam ille in Syriam contra Persas proficisceretur: ideo Capitol. ejus profectionis in Moesiam meminit. Cum autem Nummi quarto, & non alio, a dednctà Colonia anno, signa haec militaria cum Legionum nominibus exhibeant; liceat nos suspicari, Veteranos IIII Scythicae in Syria morantis, teste Dione, post Syriam a Gordiano recuperatam, ob barbarorum in Moesiam iterum incursiones per Imperatoris absentiam, Viminacium ab eo missos esse: quare in ejus rei memoriam Nummi eodem anno signati sunt, quod pro conjectura tantum a nobis indicatur.

70. OLBABA. Nummus Gordiani III. cum epigraphe in antica, IMP. C. M. ANT. GORDIANVS AVG. *Caput Gordiani laureatum*: in postica vero, quam heic exhibemus, COL. OLBA.... reliquis exesis detritisque literis. Hanc epigraphem ita interpretatur Vaillantius Tom. 2. *de Coloniis* pag. 210. *Colonia Olbabenorum*: mox subdit, *Olba, urbs Pamphyliae, non Olbia*. Sed Harduinus *in Antirrhetico* p. 129. adversus eundem Vaillantium haec scribit: „ memoratam *Pamphyliae Civitatem*, negas OLBIAM *recte appellari*, cum OLBAM Nummi vocent. *Atqui non* OLBAM, *sed* OLBABAM, *vocant*.„ Pamphyliae vero Oppidum, quod Vaillantius designari putat, a Strabone, quem laudat, & a Ptolemaeo lib. V. cap. V. concordissime Ὀλβία, a Plinio quoque lib. V. sect. 26 *Olbia* nuncupatur. Olbia autem Plinii, Strabonis, & Ptolemaei, apposita littori est in Lyciae Pamphyliaeque confinio. Quam vero Olbam Stephanus commemorat (ubi plures refert ejus nominis Civitates), in mediterraneo Pamphyliae fuit. Pamphylia gemina saltem fuit: altera ad mare inferior, altera ad Thaurum montem. In hoc Olbabenorum Nummo, quem illustramus, Baccus stat, atque in ejus dextra poculum, in laeva thyrsus, & pro pedibus pardalis: quo typo Bacchi cultus ab Olbabenis ei praestitus indicatur; quod vites forsan in illorum agris essent foecundissimae. Quare concludit Harduinus, Vaillantium Olbiae ut Nummos duos adscriberet qui sunt Olbabenorum, neque qui Olbabeni essent, se novisse; & ex duobus Oppidis unum conflasse.

71. Signum Lucii Veri Imperatoris, ex marmore Musei Capitolini in Agro Lavinio effosso. Ipse inquit Xiphilinus *in Marco Antonino* pag. 270, *robustus erat, ac vultu ad severitatem composito: & quamvis, dum in Oriente militiae nomen daret, omnibus voluptatibus persuaderetur; attamen feritatem quamdam ficte praeferebat*. Ea vero severitas mirifice in hac Protome elucet, quae etiam omnino respondet ipsius Nummis. Aliud Caput Veri forma quasi colossea a praestantissimo artifice scalptum, in Villa Pinciana Excel. Principum Burghesiorum adservatur. Capitolinus in ejus Vita cap. 10. scribit: *fuit decorus corpore, vultu geniatus, barba prope barbarice demissa, procerus, & fronte in supercilia adductiore venerabilis*. Dicitur autem tantam habuisse curam flaventium capillo-

pillorum, ut caput ramentis auri respergeret, quo magis coma illuminata flavesceret. Lingua impeditior fuit, aleae cupidissimus, vitae semper luxuriosae, atque in pluribus Nero, praeter crudelitatem, & ludibria. Neque inter bonos, neque inter malos Principes ponitur, quem constat non inhorruisse vitiis; nec abundasse virtutibus. Tantae dexteritatis fuit Marcus, ut Veri vitia, teste eodem Capitolino in ejus Vita, & celaverit, & defenderit; quum ei vehementissime displicerent, mortuumque eum Divum appellaverit. Vide Patinum *de Numismat. Imp. Rom.* pag. 254.

72. Inscriptio L. Veri Imp., quae extat in Mole Hadriani, & habetur apud Gruterum pag. 253. *L. Verus* Tertium Consulatum iniit anno Chr. 161. (ut ostendit Card. Norisius *in Epist. Consul.* pag. 95), Tribuniciam vero Potestatem VIIII. anno 169. exeunte mense Decembri, quo ipse apud Altinum, Venetorum Urbem, diem suum obiit in Expeditione Marcomannica Imperator V. Vide eumdem Card. Norisium etiam in Differt. 4. *de Epochis Syro-Macedonum* cap. I.

73. *Triumphus Marci Aurelii* Imp. ex marmore Capitolino in Palatio Excel. Conservatorum. Montfauconius *Antiq. Expliq.* Tom. 4. Part. I. Tab. 103 p. 162. scribit: *in hac* (marmorea) *Tabula M. Aurelii Triumphus visitur*. Imperator sedet in Thensa, cui juncti quatuor Equi. Victoria alata lauro illum coronat, alteraque manu palmam tenet. In exteriore thensae facie aliquot Numina repraesentantur: Juno in sella magna sedet; ad cujus alterum latus Neptunus eum tridente, ad alterum vero Minerva: erat namque illud solitum Thensarum triumphalium ornamentum. Marcus Aurelius ex Oriente Romam reversus, filio Commodo appellato Imp. Augusto die v. Kal. Decembris, una cum eo de Marcomannis, Quadis, Suevis, Sarmatis, Germanisque triumphavit, ut scribit Lampridius in Commodo cap. 2. Vide etiam Pagium in Critice ad annum Chr. 176. num. 3, nostrum Chronicum ad eundem annum, & Panvinium in Commentario *de Triumpho*, apud Graevium Tom. 9. pag. 1360.

74. *SS. Flavia Domitilla, Euphrosina, Theodora, Serapia, Balbina, Praxedes, & Pudentiana*. Brutius apud Eusebium, cum in Chronico, tum in Historia, *plurimos Christianos sub Domitiano fecisse Martyrium* scribit. Ex quibus, ait, Flavianı Domitillam, cum multis aliis, in exilium deportatam fuisse, ob sexus forte, aut conditionis rationem. Nec id conjectando dicimus, quod nempe disertis verbis legitur relatum a Dione Xiphilini: *Eodem anno*, inquit, *Domitianus, cum alios multos, tum vero Fabium Clementem Consulem (etsi patruelis ejus erat, & Flaviam Domitillam, Domitiani consanguineam, uxorem haberet) morte affecit, illato ambobus crimine impietatis. Cujus rei causa multi, qui in Judaeorum* (sic Ethnici Christianos Judaismi, Atheismi, aut impietatis reos appellabant) *mores transierant, damnati sunt, quorum pars occisa est, pars spoliata facultatibus: Domitilla, tantummodo in Pandatariam relegata est*. De hac S. Flavia Domitilla vide eruditum Commentarium pientissimi Viri Francisci Valesii post ejus mortem luce donatum anno 1742, ac Notas Sollerii, & Georgii in Martyrologia Adonis, & Usuardi, Nonis Maji, qua die etiam agitur de SS. Euphrosina, & Theodora collactaneis & convirginibus ejus. De S. vero Serapia Virgine consule Tillemontium Tom. 2. pag. 246, & 597. Acta ejus apud Surium a recentioribus respuuntur. De S. autem Balbina, ejusque cultu, agunt Bollandiani Pridie Kal. Aprilis pag. 900. Romae extat ejus Titulus apud Aventinum Montem, de quo Anastasius in Vita Leonis III. item Coemeterium, ubi sepultus est S. Marcus Papa. Vide Kalendarium Romanum in nostra Tabula Secunda Saeculi I. num. 31. Celeberrimus quoque jam inde a priscis temporibus Romae fuit S. Praxedis Virginis Natalis dies, ubi extat antiquissimus ejus Titulus, in quem S. Virginis Corpus e Coemeterio Priscillae translatum est. De S. Pudentianae denique cultu, ejusque vetustissimo Titulo in Urbe, vide laudatum Georgium in Notis ad Martyrologium Adonis XIV. Kal. Junii.

75. Signum Plotinae Trajani Imp. uxoris, ex marmore Musei Capitolini. Adeo rara sunt hujus prudentissimae Feminae Simulacra, ut Aldrovandus, qui exquisite enumerat universa sua aetate Romae adhuc existentia, nullam protomam Plotinae Aug. recenseat. Quae a nobis heic exhibetur, quamsimillima Nummis est, qui in Thesauro Brandeburgico Tom. 2. p. 652, in Museo Aug. Reginae Suecorum *Havercamp.* Tab. XI, & apud Vaillantium *Num. Imp. Rom.* Tom. I. p. 54. conspiciuntur. Comarum ejus concinnatio, quae in memoratis Nummis apparet, vix, aut ne vix quidem differt ab ea, quae cernitur in hoc marmore. Vide *Museum Capitolinum* Tom. II. pag. 27.

76. *Si-*

76. *Sixtus Universalis Apostolicae Ecclesiae Episcopus omnibus Episcopis in Domino salutem.* Quamvis ex Isidori officina duae prodierint Sixti Papae I Epistolae, in quarum postrema Universalis Apostolicae Ecclesiae Episcopus inscribitur, (ut videre est apud Baronium in Annal. ad an. 142. n. 4, Pagium in Critice ad an. 140. n. 4, Labbeum Tom. I. *Concil.* c. 556, & Petrum Coustantium *in Epist. Rom. Pont.* Tom. I. col. 55.) legebatur tamen in genuino Victoris Papae Decreto PONTIFEX MAXIMUS EPISCOPUS EPISCOPORUM. Quare inscriptio Sixtinae Epistolae, de qua loquimur, licet ab usitato illorum temporum scribendi more videatur aliena, miror nihilominus, cur ille titulus adeo novatores hujus aetatis offendat; perinde ac si fuerit humanum inventum, dogma illud Scripturis, & unanimi Ecclesiae traditione firmatum, ut Petrus scilicet, & qui ei in Sede succedunt, & in Petro totius Ovilis Dominici curam a Domino susceperunt, Universalis Ecclesiae Episcopi & nominentur, & sint. Porro hujusmodi titulus, ut scilicet Universalis Ecclesiæ dicatur Episcopus, idemque & Pontifex Maximus, qui in Sede Petri succedit Romanae Ecclesiae Antistes, non recens est in Ecclesiam introductus, sed antiquitus usitatus: quod ego tamen nolo, ut ex Pseudo-Epistola, quae jure ab omnibus doctis Viris nunc falsitatis arguitur, demonstretur; quandoquidem paulo infra, nempe n. 78, in medium proferam insignem Tertulliani locum, in quo fit mentio de memorato Edicto Victoris Pontificis Maximi, Episcopi Episcoporum.

77. Cathedra Sancti Petri, quæ in SS. Vaticana Basilica summa veneratione servatur, & colitur, & in qua Romae Beatissimus Apostolus sedit. Franciscus Maria Phoebeus luculentam scripsit Dissertationem *de ejus identitate atque antiquitate*, in qua probare nititur, eam a Pudente Senatore Petro fuisse oblatam. De ea Ven. Card. Baronius in notis ad Martyrologium die 18. Jan. haec habet: *Quid mirum Apostolorum verticis Cathedram fuisse diligentia conservatam? ipsa etenim, qui supra se sederit, virtute miraculorum praedicat, in ligno arido viridem gratiam curationum consecuta; cum per eam Deus Divinam opem implorantibus beneficia praestare non desinat.* Narrant quoque Petrus Mallius, Severanus, & Turrigius *de Sacris Trophaeis* pag. 120, aliquando in flammis illaesam permansisse, consumpta capsa, in qua condebatur, tempore Alexandri Papae II. Quibus caelestibus signis, accedit etiam ab Antiquitate depromptum illustre monumentum, videlicet illam prope B. Petri Corpus olim conditam, indeque erutam fuisse; ut Michael Lonigus Sacrarum olim Caeremoniarum Magister, Vir Ecclesiasticæ Historiæ peritissimus, in suis eruditis Mss. libris testatum reliquit. Solebant enim antiquitus Episcopos cum suis simul Cathedris sepelire: qui sepeliendi usus comprobatur etiam facto S. Stephani Papae, de quo laudatus Baronius ad ann. Christi 260 num. 4. scribit: *Sepelierunt corpus ejus cum ipsa Sede sanguine ejus aspersa in eadem Crypta, in loco ubi dicitur Coemeterium Callisti.* Porro Sedes ligneæ, quibus Apostoli insedissent, summa diligentia custodiebantur ab Antiquis, in memoriam Apostolicæ praedicationis; ut notat idem Baronius ad annum Chr. 45. num. 11. Sedem, cui primus Jerosolymorum Episcopus Jacobus insedit, usque ad Constantini tempora integram fuisse servatam, auctor est Eusebius libro 7. cap. 17. Onuphrius Panvinius Civis meus Cathedram B. Petri, de qua loquimur, ita describit in Manuscripto Libro de Rebus memorabilibus Basilicae cap. IV: *Ea Cathedra lignea est, emblematibus, & quibusdam eburneis sigillis ornata; antiquitatem ipsissimam adhuc redolens, quae perpetuo pro Petri Cathedra in Ecclesia illa venerata fuit, maximum supremae dignitatis Basilicae argumentum.* Panvinio accedit Jacobus Grimaldus, qui in Tab. Reliquiarum Basil. Vatic. sic inquit: *Ornatur eburneis phrygiis duorum digitorum latis, ad flores, & homines, & animalium capita elegantissime sculptis: frons tota quadratum continet: pulchris operibus eburneis artificiose caelatis, & auro segmentatis pariter decoratur.* Plura habent Franciscus Maria Turrigius in memorato libro *Sac. Troph.* pag. 122, Phoebeus *de antiquitate atque identitate Cathedrae Romanae* pag. 16, ac pag. 69, & Cl. Pater Philippus Bonannius Societatis Jesu in Libro inscripto, *Numismata Summorum Pontificum Templi Vaticani Fabricam indicantia*, pag. 131. & seqq. Panvinius in libro *de Septem Ecclesiis* pag. 41. *Erat*, inquit, *antiquitus in Basilica Vaticana tertium Delubrum, & Altare proxime fuit S. Hadriani Papae, in quo servabatur Cathedra S. Petri Apostoli*: & p. 55. eam inter Reliquias recenset. Servabatur nempe olim haec Cathedra prope Januam, quam Sanctam vocabant: inde translata ad Altare S. Hadriano sacrum, ex quo iterum ad Altare S. Annae in Sacrario

INDICULUS TAB.III.SEC.II

rioBasilicae,ubi illam extitisse sub NicolaoV. scribit Tiberius Alpharanus. Anno vero 1634. in Sacello,quod proximum est Januae Templi ad meridiem collocatae, Urbanus VIII Altare extruxit, ut ibi ad publicum Populorum cultum exhiberetur. Supererat, ut ad perficiendam Romanae hujus Cathedrae solemnitatem, quidquid de ejus celebritate deerat, Alexander VII. Pontifex Maximus instauraret: quod opus certe singulari sua pietate, & animi magnitudine feliciter exegit, lignea Cathedra splendidissime exornata. Hanc ergo, ærea aliaCathedra superinducto auro inclusam, & manibus quatuor Ecclesiae Doctorum sustentatam, in absideBasilicae hodie contemplamur, ut & in numismate, quod an. 1663. idem Alexander cudi jussit Pontificatus sui anno VIII. Val. Chimentellius apud Graevium Tom. VII. pag. 2090. de hac S. Petri Cathedra sic ait: *Ennodius IIII Synodo Romana Sellam Apostolicae confessionis vocavit, sed gestatoriam facit:* „Nunc ad gestatoriam Sellam Apostolicae confessionis, vel admittunt limina candidatos„. *Omnino autem praecipua cum reverentia, cultuque servatur ad hunc diem in Vaticana Basilica. Lignea est, & admodum rudi opificio, cujus ibi iconem profero, ne tuo studio, aut pietati desim. Deessem quoque mihi, publicoque Christianae gratulationis officio, nisi eandem Sedem majestatis specie hodie refulgentem, nobili ferculo impositam, atque eminenti loco statutam commemorarem. Macte hac egregii operis cura Pater Sanctissime, qui beatissimam Sedem, an Ecclesiae Romanae nascentis cunas, ubi Pontificum Princeps traditam sibi divinitus ligandi, solvendique potestatem in arce Imperii, atque Orbis primum exercuit ad cultus aeternitatem, ac caelestium beneficiorum pignus tam auguste, tam munifice instauras.* (& paulo infra). *Sed consumas gloriam, & absolutae pietatis coronas officium, quod eam sedem, eam ipsam, quam Pastor caelestissimus pressit corpore, auctoritate implevit, ac consecravit, a longo situ jam vindicas, cultamque, & communitam decentissima statione ad perpetuam venerationis securitatem reponis. Jubes post hac, ne oscula, ac manus damnosa pietate contingant; sed corda atque oculi tantum sint religiosi, solusque reverentiae horror contrectet. Ærea Latinae Ecclesiae Doctorum quadriga tam sacrum pondus merito in Caelum provehit; sed tu ille auctor* ALEXANDER VII. *tuaque mens, tuumque consilium auriga extitit. Sic geruli illi Patres, ubi hac Sede Petri quamdiutissime sis defunctus; Te quoque sustollant beati itineris comites, ac sempiternae jucunditatis socium habeant in Caelis, quos tu ad tanti pignoris inclytum pondus, ac tutelam in terris conjugasti. Restitutae hujus Cathedrae, sanctique consilii numisma ex auro tibi exhibeo splendidissime, & scitissime cusum &c. Alexandrina pariter D. Marci Cathedra honorem, cultumque promeruit diligenter servata: de qua in actis Miss. S. Marci ita proditum est:* „Adest etiam hujus rei testis, quae usque in hodiernum diem, ad confirmandam hujus veritatis assertionem, in eadem Ecclesia perseverat ex ebore utique antiquo, Cathedra politis compacta tabulis, in qua quidem stetisse illum, dum Euangelicas paginas exararet, praestantium non retinuit memoria relatorum. In cujus nimirum Cathedrae sedili nullus est ausus unquam Pontificum deinceps residere, sed in magna veneratione hactenus a cunctis extat Pontificibus humiliter honorata„. *Non peperci haec exscribere, quoniam adhuc in pluteis latentia protulit in suis notis pag.* CLXI *Henricus Valesius emunctissimi vir judicii, ac singularis diligentiae. Libentius autem feci, non ob rei, qua de agimus, notitiam, atque examen dumtaxat, sed quoniam haec Eusebii politissima Editio tam rara est nobis in Italia, quam rari pretii, ac doctrinae est editor. Nec secus inter rarissimos mihi numerandus, qui librum utendum permisit Cl. & amiciss. D. Car. Catuc nostrae flos illibatus urbis, suadaeque Etruscae medulla, quam omni litterarum paratu quotidie auget, atque illustrat. Purum enim mereri putat, qui per se tam egregie meretur, nisi ad bene merendum de Repub. Literaria alios quoque omni ope, & consilio adjuvet. Nihil ut minus suum habeat, quam quod in usum, & gloriam eruditionis impendi possit; pene ipsum se sibi subtrahens; nedum temporis, aut opere parcus. Iterum vero idem Valesius* in addendis *pag.* CXXXIX. *ex Actis pariter S. Petri Alexandrini, quod hic Antistes ausus fuit* nunquam in ea sedere, sed in scabello, quod ad pedes ejus erat. *Cathedram D. Marci subaudi. Prorsus quoque suam* [illegible] *eidem Valesio locum Tertulliani cap.* XXXVI. de Praescript. Haeret. *egregie explicanti adversus Rigaltium. Non enim de Cathedris loquitur Afer ille Doctor, tanquam de Ecclesiis, sed de Sedibus, quas corpore occupamus, quas premimus, quas tangimus. Aliter namque in meram* ταυτολογίαν *impingeret. Haec*

autem

autem nobis suppeditata a Valesio e Bibliothecis testimonia, non est quod adnotamenti penitus expertia relinquamus. Principio colligimus materiam Cathedrae eburneam, politis compactae tabulis; scabellum quoque, aut suppedaneum illi applicitam, cui uni prae veneratione insidebat Petrus Alexandrinus: de scabello supra diximus. Sedile *autem Cathedrae, nec ille, nec ullus successorum tangere ausus fuit.* Sedile, *hoc est, partem, aut aream illam, cui proprie incumbunt sessores, & quae una facit, ut sedeamus, si ceterae omnes deficerent. Demum animadvertimus, eam D. Marci Cathedram creditam fuisse, in qua lucubrabat Evangelicis Actis texendis. Ex quo dubitare contingebat, eadem fuerit, an non cum Patriarchali. Forte igitur eandem sedem privatim adhibebat, quam in Templo subinde reponeret ad munia Pontificia usurpanda. Nisi malimus opinari (quod veritati non est absonum) intra Ecclesiam ipsam divino Numine veluti magis inspirante, ac praesente, sacratissimae historiae, aut plurimum, aut universum opus confecisse &c.* Paulus IV Pontifex Maximus solemnem Romani Cleri supplicationem die 18. Januarii ad Cathedram Sancti Petri ligneam singulis annis faciendam instituit. Praeterea jussit, ab utroque Clero Officium & Missam sub Ritu Duplici cum Festo celebrari anno 1558., & Missam coram Pontifice, & Cardinalibus in Vaticana Basilica annuatim solemni ritu recitandam restituit. Porro Paulum IV hujus Festi restaurátorem, non institutorem fuisse, advertit etiam Petrus Galesinus, & nos heic ostendemus. Christus Dominus post Resurrectionem suam, mense Aprili ad finem vergente anni Aerae Vulgaris 28 Bissextilis, duobus Geminis Consulibus, curam universi gregis Fidelium Petro Apostolorum Principi demandans, eundem Summmum Pontificem creavit. Hinc incipit Epocha Pontificatus B. Petri in Ecclesia, ut in Catalogo Liberiano legitur: *Imperante Tiberio Caesare, passus est Dominus Noster* JESUS CHRISTUS *duobus* GEMINIS *Consulibus VIII. Kalen. Aprilis; & post Adscensum ejus, Beatissimus Petrus Episcopatum suscepit. Ex quo tempore per successionem dispositum, quis Episcopus, & quot annis praefuit, vel quo imperante.* Circa initium vero anni 40, Cajo Caesare IV. & Saturnino Consulibus, in Urbem veniens, Romanam fundavit Ecclesiam. Igitur ex Paschali mense, quo complebatur ejusdem Summi Pontificatus annus duodecimus, aperitur initium Epochae Pontificatus Romana in Sede exercendi. Epocha Paschalis, seu anni Sacri, more Orientalium, & Judaeorum, cum incideret in mensem Aprilis, & in diem Aprilis 21 incurreret Epocha annorum U. C., Romae usurpata ex Palilibus, & Claudii aetate, ita consignata etiam in Fastis Sacerdotalibus Ethnicorum apud Gruterum fol. 300; Romani alligarunt eidem termino initium Pontificatus Maximi a Petro in Urbem cum Sede translati: unde ad Martyrium Petri 29. Junii an. 65 Aerae Chr. Communis, recte numerantur an. XXV. menses II. dies VIII. Aetate autem Constantini Magni, qua Paschatis Christiani ratio constituta est, cum terminus Paschalis ultimus caderet in diem 25. Aprilis, ea die placuit institui Litaniam Majorem, & publicum processum omnium ordinum ad S. Petrum. Quare ad hanc diem referentes aliqui Auctores annum Paschalem, & Pontificium, numerant ex ea die, ad diem 29 Junii anni 65, annos XXV. menses II. & dies III. Celebritatis originem Cathedrae Romanae, qua die S. Petrus primum Romae sedit, Paulus IV. Pont. Maximus dicit fuisse derivatam ab initio Romani Pontificatus: quare eam Festivitatem *celebrandam, seu potius antiquae celebritati restituendam*, sanxit XV. Kal. Feb. Id comprobat nostrum Sacramentarium, Sancti Leonis Papae I. temporibus concinnatum, editumque in Prolegomenis To. IV. Anastasii Bibliothecarii, in quo ad eandem diem pag. XVI. habetur Missa signata numero XXXIIII, quae est de S. Petro, deque Romanae Sedis Primatu supra ceteras, ut animadverterunt VV. Cll. Comes Jacobus Acamius in Erudita Dissertatione de eodem Sacramentario, publici juris facta an. 1748. pag. 31. & 33, & Cajetanus Cenniu SS. Basilicae Vatic. Presbyter Beneficiatus in alia Dissertatione *de Romana Cathedra* eodem Tomo IV. Anastasii Bibliothecarii inserta, quam evulgavit in Notis Variorum ad Sisinnium Papam, sectione CCXIX pag. 150. & seqq. ibi namque pag. 152. col. 1. num. XI. haec ad rem nostram literis consignavit: „ Ex Pauli verbis (relatis a Baronio in Notis ad *Martyrol.* die 18. Jan. & a Bollando ad eandem diem in *Actis Sanctorum*) tria innotescunt: I. Suo Aevo non celebrari Romae Festum Romanae Cathedrae. II. Antiquissimos Patres testari Romanam Cathedram fuisse XV. Cal. Febr. quo die apud exteros, praesertim Gallos & Hispanos, tunc temporis celabrabatur. III. Originem

INDICULUS TAB.III.SEC.II

nem Romanae Cathedrae non aliam esse, quam Epocham instituti Romani Pontificatus. Horum primum, tametsi abunde comprobari monumentis veterum, per prima octo Ecclesiae Saecula; non tameo negare ausim, quod aliquandiu per nonum, decimumve Saeculom Romae qooque id Festum celebraretur. Moveor eoim laudatis Pauli verbis, qui, Martyrologiorum aucturitate, festivitatem Cathedrae *celebrandam, seu potius antiquae celebritati restituendam sanxit* xv. Cal. Februarias, quod est caput alterum. Eorum vere genealogiam, sive, ut melius dicam, aetates spectari oportere intelligo, ut dictis major fides accedat. P. Jo: Baptista Sollerius in Praefatione ad Usuardum (*Tom. 6. Jun. a num.* 12. *usque ad* 160.) tres omnium principes ponit, Eusebium, sive Hieronymum, seu utrumque simul, Veo. Bedam, & auctorem incertum Martyrologii Raveonae reperti ab Adone. Horum veluti successores facit Rabanum, Adonem, Notkerum, Usuardum. Rabanum, docet esse aut aequalem Flori Diaconi Lugdunensis, qui Bedae Martyrologium circa aooos 830 amplificavit, aut probabilius suum Martyrologiom confecisse ex inspectis additamentis Flori. Adooem Episcopum Vienoensem, probat eodem tempore meditari suum ex eodem fonte. Notkerum, demonstrat vidisse etiam Martyrolog. Rabaoi. Ac denique Usuardum Mooachum, qui post alios scripsit circa anoum 875, facile alienos omnes labores inspeaisse affirmat. Quamobrem, ni ego fallor, tenemus origioem Romanae Cathedrae, quando scilicet in Martyrologia laudatorum Patrum primo irrepsit. Quum vero eruditissimus Canonicus Parisiensis Claudius Castellanus affirmet, quod idem Festum in Galliis ante CarolumMagoum peculiare erat, Romae vero, & tota Italia prorsus igootum, Paulus autem IV. veram ejus originem dicat fuisse derivatam ab initiu Romani Poutificatus; operae pretium fecero, si ostendam, quod ooo recte av. Cal. Febr. io Galliis hoc Romaoae Cathedrae initium constitutum fuerit. Magnus Pontificiae Chrooologiae assertor Blauchinus iovictis adeo rationibus planum facit, primorda Romanae Cathedrae a die 25. Aprilis repetenda esse, ut eamdem rem iterum demonstrare io eodem opere ociosum videatur (to. 2. pag. 8.). Quid vero, si ea vidisset, quae eruditissimus fratris filius P. Joseph Blanchinus protulit e Patria praestantissima Bibliotheca Veronensi, quam ille toties excussit eapilavitque? Veterem nempe Codicem Sacrameotorum eruit, eumque publicae utilitati eacudendum jussit in hoc 4. To. Proleg. pag. xii, in quo die 25. Aprilis, oon ut io aliis Litaniae Majores, incertum valde argumentum, sed iotegra eahibetur Missa Divi Petri; & ne ullum remaneat dubium, quin principium Romanae Cathedrae iode sumi debeat, ootatur in margioe. IN DEDICATIONE. Verum fateor, quum primum hoc pretiosissimum monumeotum mecum communicavit, qua est liberalitate & humanitate laudatus vir, exultavi gaudio: oam vidi, hoc esse argumentom iovictum ad constituenda Romanae Cathedrae primordia cum Catalogo Felicis IV, & tertio Codice Colbertino, die 25. Aprilis, qua in omoibus Sacramentariis, & Codicibus videbam ionui Litanias Majores, & Stationem ad S. Petrum: at mysterium assequi ooo poteram."

78. *Victor Pontifex Maximus Episcopus Episcoporum*. Tertullianus in libro *de Pudicitia* cap. 1. (quem scripsit jam a fide Catholica refuga) io Romanam Ecclesiam iosaniens, eamque dente canioo dilaceraos, recitat, & impugnat memorata Victoris Romani Pontificis Edicti verba, aitque: *Audio etiam Edictum esse propositum, & quidem peremptorium*: PONTIFEX *scilicet* MAXIMUS EPISCOPUS EPISCOPORUM (erat haec inscriptio Decreti) *edicit: Ego & moechiae, & fornicationis delicta poenitentia functis dimitto*. „ Verum (inquit Card. Baronius ad ann. Chr. 142. oum. 4), nooois secundum veterem nomenclaturam ea posita a Victore, vel (si velimus esse verba Tertulliani) secundum usitatam verborum coosuetudinem ab ipso dicta & inculcata, nemo in dubium poterit revocare„. Noo desunt tamen, qui huoc locum ad Zephirinum Pontificem Maximum referant, vel ad Episcopum Carthagioiensem: sed mihi Baronii sententia magis arridet, qui Papam illum, de quo Tertullianus loquitur, Victorem ioterpretatur. Vide eundem Baronium etiam ad anoum Chr. 216. num. 4. 9. 10. 11. Porro in Romanis Pontificibus *potentiorem principalitatem*, ut cum Irenaeo loquar, ceterae semper Ecclesiae agnoverunt; & ipse Tertullianus, cum adhuc Catholicus esset, in lib. *de Praescriptionibus* cap. 36. ait: *Habes Romam, unde nobis quoque auctoritas praesto est*. Paschalis II Pontifex Summus, io Epistola ad Archiepiscopum Coloczensem, ita recitat quen-

quendam S. Cypriani Episcopi & Martyris locum ex ejus Libro *de unitate Ecclesiae*, quemadmodum & in nonnullis editis ac manuscriptis Codicibus legitur: *Exordium ab unitate proficiscitur, & Primatus Petro datur; ut una Christi Ecclesia, & Cathedra esse monstretur*. Porro *hanc Ecclesiae unitatem non tenens*, instat idem Martyr (quomodo eum in laudata Epistola allegat dictus Pelagius) *tenere se fidem credit? Qui Ecclesiae renititur, & resistit, qui Cathedram Petri, super quam fundata est Ecclesia, deserit, in Ecclesia se esse confidit?* Apertius vero & liquidius idem S. Cyprianus ad Plebem suam scribens Epist. 40. Edit. Pamelianae, ait: *Deus unus est, & Christus unus, & una Ecclesia, & Cathedra una super Petrum Domini voce fundata. Quisquis alibi collegerit, spargit*. De qua doctrina ubique recepta Optatus libro 2. sic Parmenianum alloquitur: *Negare non potes, scire te, in Urbe Roma Petri primam Cathedram esse collocatam, in qua sederet omnium Apostolorum caput Petrus, unde & Cephas appellatus est: in qua una Cathedra unitas ab omnibus servaretur; ne ceteri Apostoli singulas sibi quisque defenderent: ut jam schismaticus & peccator esset, qui contra singularem Cathedram alteram collocaret*. Primatus Romanae Sedis, ejusque Pontificis Maximi Episcopi Episcoporum, etiam luculenter asseritur ex illustri prae ceteris monumento in Titulo S.Sabinae Musivo opere expresso aetate Caelestini I quod dedicandum curavit Petrus Presbyter Titularis, quodque adhuc integerrimum superest, & antiquissimum habetur ex Christianis Musivis ita praeservatis per Secula duodecim. Edidere complures, & cum figura aeri incisa protulit PraesulSacraeAntiquitatis studiosissimus Joannes Ciampinius, Tomo priore. Visitur in illo, inter cetera, expressa *Ecclesia ex Gentibus, & Ecclesia ex Circumcisione*: quarum in utraque sicut Petrus Apostolus Cathedrae suae principatum instituit, ita etiam haeres Cathedrae & auctoritatis Caelestinus, exercere non destitit in Conciliis Generalibus ejus jura, eaque tueri. Epigraphe supra easdem figuras eminens, & parietem universum convestiens, de Caelestino Primatum hunc splendide administrante, & constanter tuente, ita loquitur:

CVLMEN APOSTOLICVM CVM CAELESTINVS HABERET
PRIMVS ET IN TOTO FVLGERET EPISCOPVS ORBE &c.

79. Nummus Neronis cum epigraphe in antica, NERO, CLAVD. CAES. AVG. GERM. P. M. TR. P. IMP. P. P. Caput Neronis laureatum. In postica vero, quae heic exhibetur, ROMA S.C. Romae victricis simulacrum spoliis insidentis, cum victoriola, & hasta. Vide Bellorium *in XII. prior. Caes. Numism.* pag.37. & 41. num.9, Angelonum pag. 61. num. 22, Vaillantium Tom. 3. *Num. Imp. Rom.* pag. 108, *Museum Theupolum* Tom.2. pag. 773, & nostrum Chronicum ad annum Chr. 125. Abrahamus Ortelius *de Deorum, Dearumque capitibus*, Lib. II. apud Gronovium Tom. VII. p. 288. *Romae* (inquit) *effigies in multis tam aureis, quam argenteis nummis, non modo Imperatoram, verum etiam Consulum cura, reperitur apud Hubertum Goltzium, Antonium Augustinum Virum Cl. Dialogo III.* Antiquitatum, *Fulvium Ursinum, & Adolphum Occonem. Neronis quidem Claudii*, Romam *praefert armis insidentem, dextraque coronam porrigentem, civibus fortasse, aut viris fortibus. Vespasiani vero unus quidem armatam ostendit, dextra victoriam alatam cum corolla tenentem, sinistra hastam: alter vero septem insidentem collibus, manuque parazoniam* (cui pugio est sine cuspide) *tenet, ad pedes Tiberis fluvius est. Romam* pro Dea cultam, auctor est Xiphilinus ex Dione, & Martialis lib. XII. Epigram. VIII.

Terrarum Dea, Gentiumque ROMA,
Cui par est nihil, & nihil secundum.

Ad quos versus Julius Frontinus lib. II. de *Aquaeductibus*, Spartianus in *Hadriano*, Tacitus XIV, & Prudentius lib. I. *in Symmachum* alludunt. Hinc & *Aeterna* dicta est. Ausonius:

Ignota Aeternae ne sint tibi tempora Romae.

Vide Symmachum lib. III. Epist. LV, & Ammianum Marcellinum l. XV. & XIX. Quare ipsa Flamines, & Sacerdotes, tanquam singularis quaedam Dea, adepta est. Roma sexcentis in nummis occurrit, per mulierem galeatam repraesentata, quae clypeum, & hastam, sicut Minerva, tenet; ut ostendit Cl. Montfauconius in *Roma Dea*, ubi imaginum ejus ingentem copiam exhibet. Omnium tamen singularissimam typis aeneis insculpendam curavit To. I. Part. 2. *Antiq. Expliq.* p.295. Pictura quoque est vetus in Aedibus Principum Barberinarum, quae Romam exhibet in Solio sedentem: cassidi, magna imminet crista bifida: humeris ejus singulis insidet Genius ales;

 de-

dextra sceptrum tenet, sinistra Victoriam, quae signum militare gestat cum inscriptione S. P. Q. R. *Senatus Populusque Romanus*. Ab utroque latere ejus eadem in sede visitur vir nudus, cycno insidens, sive anseri, forte in memoriam anserum, qui Capitolium servaverunt: ad Romae latus clypeus est ovatae formae.

80. *Tractus Urbicarius*, de quo supra in hac Tabula n.4. Plura vide apud Cl. Hieronymum Aleandrum Juniorem J.C. in *Refutatione conjecturae anonymi Scriptoris de Suburbicariis Regionibus, & Dioecesi Episcopi Romani* edita Lutet. Paris. an. 1619, & Doctissimum Virum D. Benedictum Bacchinium in Dissertatione *de Ecclesiasticae Hierarchiae Originibus* Part. II. p.313. & seqq., ubi agens *de Italicarum Metropolum Originibus*, Tractum Urbicarium mirifice illustrat.

81. Effigies S. Asprenatis, ex antiquo Vitro penes Auctorem. Legitur in Martyrologio Romano III. Non. Aug. *Neapoli in Campania, S. Aspren Episcopi, qui a S. Petro Apostolo ab infirmitate curatus, & deinde baptizatus, ejusdem Civitatis Episcopus ordinatus fuit*. Petrus Subdiaconus, sive Anonymus Saeculi Noni Scriptor, in Vita S. Athanasii Neapolitani, quam ediderunt PP. Bollandistae Tom. 4. *Julii* ad diem 15. pag. 78., *Aspren Sanctissimum* appellat. Plura de eo vide die 3. *Augusti* Tom. I. ejusdem Operis *Actor. Sanctorum* pag. 199. Confer etiam Baronium ad an. Chr. 46. num. 2, Paul. Regium in Act. Regni Neapolitani, & Antonium Caraeciolum de Sacr. Ecclesiae Neapolitanae Monumentis cap. 6. & seqq.

82. Vitrum in Romanis Arenariis effossum, cum epigraphe ZEZVS. IVLIVS. ELECTVS. Vide Cl. Banarrotium in libro inscripto, *Osservazioni sopra alcuni frammenti di Vasi antichi di vetro* Tab. XVII. n. 2. p.113, & nostram Tabulam III. Saec. I. n. 27., ubi fuso calamo egimus de hoc vitro.

83. Vitrum in Romanis Arenariis effossum apud Auctorem, cum epigraphe .... CE PIE ZESES, idest ... ce *bibe*, *vivas*. Vide Tab. III. Saec. I. num. 3. 5. 7. 18. 19. & 21, ubi de hac nuptiali acclamatione veterum Christianorum multa congessimus.

84. Vitrum in Romanis Coemeteriis effossum cum epigraphe, A SAECVLARE BENEDICTE PIE Z..... Extat apud Bonarrotium in Opere inscripto, *Osservazioni sopra alcuni frammenti di vasi antichi di vetro* Tab. v. num. 3. pag. 35. Cl. Ciampinius peculiarem de eo Dissertationem texuit. Inscriptio ita legitur a laudato Bonarrotio: *Ante Saecula Rex Benedicte Pie Zeses*, relate ad Christum, de quo David cecinit in Psal. 73. v. 12. *Deus autem Rex noster ante Saecula*. Eidem tamen Bonarrotio, mihique ea magis arridet interpretatio, quae habet, *Saeculare* nomen esse proprium Opificis ipsius vasis Convivalis. Quare Benedictum respicit ejus acclamatio *Pie zeses, bibe vivas*. Porro apud Gruterum pag. 126, & 127. duae extant Inscriptiones, in quibus legitur, C. SOSSIVS BENEDICTVS, & L. NAEVIVS BENEDICTVS. Alia quoque apud Fabrettum pag. 623. habet: FLVIAE TROPHIME BENEDICTAE &c.

85. Vitrum antiquum penes Auctorem, in quo cernitur S. Gervasii effigies cum epigraphe, ☧ SCS GERVASIVS. De S. Gervasio, Mediolani prope SS. Naborem & Felicem sepulto, deque ejus corpore a S. Ambrosio invento, vide quae scripsimus supra in Indiculo hujus Tab. num. 23. Confer etiam Ruinartium *in Actis Martyrum sinceris* pag. 512, & Kalendarium Carthaginiense V Saeculi, quod scalptum habes in nostra Tab. II. Saec. I. num. 33.

86. PASTORI IN PACE ex marmore Coemeteriali. Franciscus Blanchinus Patruus meus in Notis Chronologicis Anastasianis *ad Vitam S. Sixti Papae* Tom. 2. pag. 89. sect. VIII. col. 2. hunc lapidem vidit, atque ita illustravit: „ Cognomentum (inquit) *Pastoris*, Secundo Christi Saeculo frequens, reperitur in aliquibus monumentis, & apud Scriptores, Familiae nomine non expresso. S. Pius Papa I. dicitur Anastasio sect. 11. frater *Pastoris* ex Civitate Aquileja. Lapis e Christianorum Coemeteriis paulo ante effossus est, ita inscriptus: PASTORI IN PACE. Familiae nomina his in *Pastoribus* ignoramus, non secus ac in *Pastore*, qui Consulatum gessit una cum L. Papirio Aeliano anno Christi 163; licet Panvinius enm judicet ad Gentem Juniam pertinere, alii vero ad Aureliam ex Inscriptione veteri, in Epistola Cuperi praefixa Fastis Almelovenii, num. 4. Vide etiam Pancirolum *in Descriptione Urbis Romae* apud Graevium Tom. III. pag. 399, & quae nos scripsimus in Indiculo Tab. I. Saec. 2. num. 5. 23. & 24, agentes de Titulo S. Praxedis, & de S. Pio Papa I.

87. Nummus Nervae cum epigraphe in antica, IMP. NERVA CAES. AVG. P. M. TR. P. COS. III. P. P. *Caput Nervae laureatum*:

tum: in postica vero, quam heic damus, legitur, CONCORDIA EXERCITVVM. Duae dextrae junctae, cum prora Navis, & signo militari Aquilae Legionariae. Lege quae diximus de hoc Nummo in Indiculo Tabulae III. Saeculi I. num. 196. Confer etiam num. 122. ejusdem Tabulae, & vide Mediobarbum pag. 144, *Museum Arschotanum* Tab. 33. num. 2, Pedrusium Tom. 2. *Musei Parmensis* Tab. 26. pag. 362, & *Museum Musellianum* Tom. I. Tab. 54. num. 10.

88. Nummus Trajani. Legitur in antica, quae heic exhibetur, IMP. CAES. NERVA. TRAIAN. AVG. *Caput Trajani laureatum*. Duo extant in Museo Capitolino Trajani Imperatoris simulacra inter se quamsimillima, quae referunt ejus vultum, qualem conspicimus in hoc Nummo. Vide *Museum Capitolinum* Tom. 2. pag. 26, & nostrum Indiculum Tabulæ II. Sæc. II. num. 63. Confer etiam Jacobum Gesnerium *Num. Antiq. Imp. Rom.* Tab. 78. num. 34, Mediobarbum pag. 149, & *Museum Musellianum* Tom. I. Tab. 58. num. 3.

89. Nummus Aelii Caesaris. Legitur in antica, quam heic exhibemus, L. AELIVS. CAESAR. *Caput Aelii nudum*. Effigies Aelii Veri scalpta in hoc Nummo, mire respondet marmori candidissimo ejusdem Caesaris, quod extat in Museo Capitolino, atque ipsamet exhibet lineamenta, quibus pingitur a Spartiano in ejus Vita cap. 1. 4. & 5. Vide Tom. 2. *Mus. Capitol.* pag. 31. Aelius vir fuit comptus, decorus, pulchritudinis regiae, oris venerandi, eloquentiae celsioris, versu facilis, in Republica non inutilis, vitae laetissimae, bonisque literis praeditus. Ab Hadriano adoptatus est: sed, cum illum minus sanum videret, saepissime dictitabat, in caducum parietem nos inclinavimus, & perdidimus quater millies H-S., quod Populo, & militibus pro adoptione Commodi dedimus. Hic autem prae valetudine nec gratias quidem in Senatu agere potuit Hadriano de adoptione. Denique accepto largius antidoto, ingravescente valetudine, per somnum periit ipsis Kalendis Januariis. Sepultus est in Mole Hadriani cum hoc epitaphio,

L. AELIO CAESARI
DIVI HADRIANI AVG. F. COS. II.

Vide Patinum *Numism. Imp. Rom.* pag. 210, Museum Arschotanum Tab. 40. num. 18, Mediobarbum pag. 188, Vaillantium *Num. Imp. Rom.* Tom. I. pag. 70, & Museum Musellianum Tom. I. Tab. 89. num. 10.

90. Exordium Epistolae C. Plinii ad Trajanum, in qua de ordine agendi adversus Christianos in Bithynia inquisitos, delatosve Imperatorem exquirit. Tertiam Ecclesiae persecutionem (ut animadvertit Pagius in Critice) ab anno Christi CVII, Trajani Imperatoris decimo, orditur Eusebius in Chronico; quia scilicet eo anno plurimum aucta, usque ad Trajani obitum est continuata. Anno ergo CXI. cum Plinius Secundus Bithyniae Proconsul, habita quaestione de Christianis, eos falsis criminibus accusari deprehendisset, ad Trajanum scripsit hanc Epistolam XCVI Libri X, de qua loquimur; retulitque, eos nullius impietatis, aut violationis legum esse reos; seque solum animadvertisse, quod primo diluculo a somno excitati, Christo quasi Deo hymnos canerent: ceterum adulteria, homicidia, & reliqua hujusmodi crimina illos etiam aversari, cunctaque ex praescripto Legum agere. Plinius ergo in dicta Epistola 97. (vel, ut in postrema Editione, 102) sese a Christianis comperisse scribit, *quod essent soliti stato die ante lucem convenire, carmenque Christo* QUASI DEO *dicere secum invicem*. Neque auctoritati huic detrahit quidquam (inquit Coustantius, in Censura Decretorum S. Damaso I Papae adscriptorum, pag. 610 Collectionis *Romanorum Pontificum Epistolarum*), quod Tertullianus *Apologet.* cap. 2. illud *invicem* praetermittat, ac dicere satis habeat, Plinium ad Trajanum scripsisse, *nihil aliud se de Sacramentis eorum* (Christianorum) *comperisse, quam coetus antelucanos ad canendum Christo & Deo*. Ibi enim Tertulliano, Plinii non tam verba, quam sententiam referenti, licita fuit hujusmodi prætermissio. Ex mutua autem verborum Plinii, Tertullianique collatione, prope certa videtur mihi Lomberti conjectura, qua, pro *Christo & Deo*, apud Tertullianum *Christo ut Deo* restituendum esse arbitratur. Quis enim non animadvertat, eum illud Plinii, *Christo quasi Deo*, exprimere voluisse; adeoque *ut*, pro *quasi*, non *&*, debuisse scribere? Certe in veteribus Libris *&*, pro *ut*, frequens legitur. Verum, ut ad id, unde digressi fueramus, regrediatur oratio, exploratum habemus, Plinium Secundum in Asia quosdam quidem damnasse, alios gradu depulisse, tandemque deterritum multitudine, literas dedisse ad Imperatorem, ut, quid factu esset opportunum, agnosceret. Trajanus

Janus ei rescripsit in haec verba: *conquirendi non sunt*: *si deferantur*, *& arguantur*, *puniendi sunt*. Vide Chronicum ad an. Christi 510. Lipenius in *Historia Strenarum*, apud Graevium Tom. XII. pag. 410, & Gruterus pag. 454. num. 3. hanc Plinii Caecilii Secundi referunt Inscriptionem:

C. PLINIVS . C. F. C. N
CAECILIVS . SECVNDVS
COS. AVGVR. LEGAT. PRO. PRAET
PROVINC. PONTI. CONSVLARI . PO
TESTATE . IN . EAM . PROVINCIAM
AB . IMP. CAESARE . NERVA
TRAIANO . AVG. GERMANICO . MISSVS
CVRAT . ALVEI . TIBERIS . ET . RIPAR
PRAEF. AERARI . SATVRNI . PRAEF
AERARI . MILIT. LEG. LEG. VI. GALLIC
X. VIR. STLIT. IVDICANDIS .

Hic Plinius, filius fuit C. Caecilii Novocomensis, & Pliniae sororis C. Plinii Secundi Veronensis Scriptoris Historiae Naturalis: quae, quum ipsi C. Caecilio Novocomensi nupsisset, hunc C. Caecilium genuit, qui ab avunculo C. Plinio Secundo Veronensi adoptatus, C. Plinius Caecilius Secundus appellatus est, ut animadvertit Panvinius decus Veronae matris meae.

91. *SS. Fides*, *Spes*, *Caritas*, *Felicula*, *& Eugenia*. Vetustissimum Kalendarium marmoreum, in vestibulo Ecclesiae S. Silvestri in Capite Romae adservatum, editum a Cl. Vignolio in Praef. ad Anast. Biblioth. (in quo Natales SS. quorum Reliquiae ibidem requiescunt) ad diem XXX. Septembris habet: *Natalis Sanctarum Sophiae Viduae*, *& Pistis*, *Helpis*, *& Agape*: heic autem, ut vides, tres memoratae Sorores, nempe *Fides*, *Spes*, & *Charitas* Graecis nominibus exprimuntur. De eis plura habet Cl. Georgius *in Notis ad Martyrologium Adonis* pag. 370. Acta vulgata Metaphrastae adscribuntur. Graece extant apud Lambecium lib. VIII. pag. 241. Latine apud Lipomanum, & apud Surium die 1. *Augusti*. De his Actis nonnulla praemonet Baronius in Notationibus die 1. Augusti. In Codice Canonicorum Forojuliensium hujusmodi Acta ita incipiunt: *Passio SS. Martyrum Christi, Sapientiae matris*, *& trium Filiarum ejus*, *Fidei*, *Spei*, *& Caritatis*. *Cum jam perfecti sermonis seminatio esset in universa, quae sub Caelo est, Terra &c*. In fine: *Consummatae sunt autem Sanctae Dei Virgines Fides*, *Spes*, *& Caritas*, *earumque mater Sapientia*, *apud Romam pridie Kal. Aug. sub Hadriano Imperatore*. *Gloria Patri*, *& Filio*, *& Spiritui Sancto*. Patres Bollandiani Commentarium Criticum de singulis ediderunt eadem die 1. Aug. pag. 16. & seq., ubi de earum cultu apud Graecos, aeque ac Latinos, variis diebus, de nominibus, genere, patria, aetate, reliquiis, & Actis disquirunt. De Sancta vero Felicula Virg. & Mart. Romae item passa, vide Sacramentarium Gelasianum die 14. Februarii, & Martyrologia Romanum, Adonis, & Usuardi Idibus Junii. Nonnulla ex ejus Actis refert Rabanus. S. quoque Eugeniae Virginis & Martyris Natalis dies Romae olim celebris fuit. De ea Tabulae omnes Ecclesiasticae, atque inprimis Alcimus Avitus Viennensis Episcopus loquuntur: atque olim in honorem ejus Ecclesia constructa fuit extra moenia Urbis Via Latina, ubi & sepulta est.

92. Protome Sabinae Trajani neptis, Matidiae filiae, uxorisque Hadriani Imperatoris, ex marmore Musei Capitolini ab egregio artifice scalpto. Hoc caput peculiare habet ornamentum, quod mitellam diaeris, de qua consule Fabrettum *in lib. de Colum. Trajan.* cap. 2. pag. 39, & Numisma apud Havercampum *in Museo Reginae Christinae* Tab. XIV. num. 18. Spicae, quae in eadem extant mitella, Sabinam quasi pro Cybele, vel nova Cerere cultam fuisse indicant. Porro, sub Cybelis imagine, cum spicis in dextera manu, Sabina repraesentatur etiam in Nummo Hadriani maximi moduli apud Vaillantium *Select. Numis.* pag. 15. Patinus *Numism. Imp. Rom.* pag. 206. haec habet de ornatu capillorum ejus: flexi capilli, & veluti diademate cincti, aut coronati, aut sursum elati, inconstantiam morum ejus aevi in ornamentorum frequenti mutatione exhibent. Priscae rusticitatis indicium, quod posterioris, & delicatioris aevi mollitie antiquatum fuerat, Hadrianus in ornamentum vertisse videtur: primus enim barbam alere instituit. Hujus exemplum, quod ad capillitium attinet, sic aemulatae mulieres ejusdem aetatis videntur, ut longo intervallo superaverint: exemplum in Plotina, Marciana, Matidia, & *Sabina* cernitur: nam superiori aetate tam delicatus & subtilis capillorum cultus, tam contorti & compositi cincinni, etiam in ornatissimis mulieribus non occurrit, Sabinam, ut asperam, & morosam, & quod

cum

cum Claro Praefecto Praetorii, & Suetonio Tranquillo Epistolarum Magistro familiarius ageret, quam reverentia Domus Aulicae postulabat, dimissurus erat, si privatus fuisset. Servilibus tamen pene injuriis affecta, ad voluntariam mortem compulsa est; nec sine fabula veneni dati ab Hadriano, expiravit. Vide Sponium *Miscel.* pag. 328., & nostrum *Chronicum* ad an. Chr. 128.

93. Nummus Hadriani, in cujus antica legitur, HADRIANVS AVGVSTVS. Caput Hadriani radiatum: in postica vero, quam heic exhibemus, COS. III. S. C. Pegasus alatus. Hadrianus Consulatum III. iniit an. Chr. 119. Notum est autem, tres tantum Consulatus ipsum gessisse, ut scribit Spartianus in ejus Vita c. 8. *Tertio Consules, cum ipse* TER *fuisset, plurimos fecit. Infinitos autem secundi Consulatus honore cumulavit. Ipsum autem* TERTIUM CONSULATUM, *& quatuor mensibus tantum egit, & in eo saepe jus dixit.* Hadrianus eodem an. 119. in Palaestinam profectus est, ut scribit Auctor Chronici Alexandrini: *His Coss. tumultuantibus Judaeis, Hadrianus venit Hierosolymam; captisque Hebraeis, Terebinthum Urbem, ubi celebritatem publicam instituit, Judaeosque singulos ad equi pretium venales exposuit: relictos, Gazam traxit, ibique proposito foro vendidit, festumque diem instituit, qui hodieque appellatur* HADRIANI. Eodem anno quoque & in Ægyptum se contulit, ut demonstrat nummus apud Mediobarbum p. 175. Vide nostrum *Chronicum*, Angelonum p. 126. n. 37, Mediobarbum pag. 171, Patinum pagin. 11, Vaillantium *Num. Imp. Rom.* Tom. I. p. 64, & Museum Musellianum To. I. Tab. 73. n. 10. Corona radiata, processu temporis, ut in hoc nummo, de quo agimus, commune Imperialis fastigii, Regalisque Dignitatis ornamentum evasit. Vide quae scripsimus in Indiculo Tab. II. Saec. I. num. 37. & 175.

94. Nummus Hadriani, in quo legitur, LVSTRATIO PROVINCIARVM. Imperator togatus stans, qui dextram porrigit mulieri galeatae: pone Hadrianum, visitur Genius seminudus: hinc figura, quae insidet monticulis; illinc mulier decumbens humi, laevaque innixa urnae aquas vomenti, cui impositus est Delphin. Vide Vaillantium *Num. Imp. Rom.* Tom. 3. pag. 117, & nostrum *Chronicum* ad an. Chr. 128. Spartianus in Hadriano capite 14, postquam narravit, ipsum per Athenas, & per Asiam iter fecisse, ait: *Antiochenses inter haec ita odio habuit, ut Syriam a Phoenice separare voluerit, ne tot Civitatum Metropolis Antiochia diceretur.* Extat apud Patinum p. 200 Hadriani nummus, tunc forte ab Antiochensibus cusus cum epigraphae ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΟC. ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ, *Metropolis Antiochensium*. Hadrianum vero dicto anno 128. in Syria, ubi Antiochia sita, & in Ægypto fuisse, colligo ea variis nummis Graecis (qui extant apud Harduinum Virum Eruditissimum in *Nummis antiquis Populorum & Urbium* &c.) in ejusdem Hadriani honorem cusis, in quibus omnibus legitur L. IA. idest *anno undecimo*, ejus scilicet Imperii, quo usque ad decimum diem mensis Augusti ejusdem anni 128 in cursu fuit pro lustratione Provinciarum. Urbes, in quibus undecimum Hadriani annum notatum inveni, hae sunt, Canatha in Decapolitana Syriae Regione posita, Arsinoe, Diospolis, Hermopilae, Coptos, Pelusium, Tanis, & Busiris: quae Oppida omnia in Ægypto sita. Anno itaque Imperii sui undecimo Hadrianus in Syria, & in Aegypto fuit, ut scribit Pagius in Critice ad eundem annum num. 2. & 3.

95. Nummus Hadriani. Legitur in antica, HADRIANVS AVG. COS. III. P.P. Caput Hadriani laureatum: in postica vero, quam heic exhibemus, FELICITATI AVG. Navis in mediis fluctibus. Vota suscepta pro itu, redituque felici Hadriani, comprobat hic nummus; cum ipse an. Ch. 119. (quo, teste Spartiano in ejus Vita, Consulat. III. iniit) Hierosolymam se contulit, tumultuantibus Judaeis. Quare Praetoria Navis in eo exhibetur, quae Mari iter illud factum docet. Vide S. Epiphanium in lib. *de Ponderibus & Mensuris* n. 14, & Cl. Petavium in animadversionibus ad eundē librum. Confer etiam nostrum Indiculum hujus Tabulae num. praecedenti, Mediobarbum pag. 181, Museum Arschotanum Tab. 38. numer. 17, Museum Theupolum Tom. I. pag. 172, & Museum Musellianum Tom. I. Tab. 82. num. 9.

96. CAESARAUGUSTA. Nummus Augusti cum epigraphe in antica, AVGVSTVS DIVI F. Facies Augusti: in postica vero, quam heic exhibemus, C. A. *Caesaraugusta* in corona rostrata, aut laureata. An Augusto (inquit Patinus pag. 33) per generum Agrippam (quem primum rostrata corona donatum Siculo praelio Dio testatur) gratulaturus Caesar-Augustanus conventus hunc nummum cuderit; an Augusti ipsius terra marique victorias innexa rostris laurea celebratura Caesar-Augusta, dubium est. Plinius

 lib. 3.

Indiculus Tab.III.Sec.II

lib. 3. sect. 4. *Caesaraugusta* (inquit) *Colonia immunis, Amne Ibero affusa, ubi Oppidum: antea vocabatur Salduba, regionis Sedetaniae: recipit populos* LII. *Ex his civium Romanorum Bellitanos, Celsenses &c. Sunt enim septem Hispaniae citerioris conventus, Carthaginiensis, Tarraconensis, Caesaraugustanus, Cluniensis, Asturum, Lucensis, Braccarum.* Strabo quoque lib. 3. pag. 161 Caesaraugustam ad Iberum amnem collocat. *Caesaraugusta* autem nomine ab Augusto donata est, cum eam deduxit Coloniam. Vetus Inscriptio apud Goltzium habet p. 238, COL. CAESAREA . AVG. SALDVBA . Vide Harduinum in *Nummis antiquis Populorum & Urbium* pag. 108, & Vaillantium de *Coloniis* Tom. I. pag. 20. Sertorius Ursatus *de Notis Romanorum* apud Graevium Tom. XI. pag. 595. ait: Caesar - Augusta, nunc *Saragozza*, Hispaniae Tarracconensis, in finibus Celtiberorum, olim Urbs insignis, *Ptolemaeo* teste, *Salduba* prius dicta, modo Aragonum Regni Caput, cujus fundatorem Augustum scribit *Antonius Augustin. Dial. I. Antiq. Romae, & Hispaniar.*, faciem ipsius Imperatoris in Nummo expendens his verbis: *Non potestis non vehementer ista inspectione tam jucunda affici, vosque, & ego in primis; cum, Caesaraugustanam Civitatem, patriam nostram fundaverit, nomenque indiderit.* Verum, si Salduba, ut Ptolemaeo, & mihi videtur, Caesar-Augusta est, hanc ipse ab Augusto fundatam fuisse dicit, quia sub eo deducta Colonia est. Atque huic potissimum opinioni accedit *Plinius Hist. Nat. lib. 3. sect.* 4. mox allegata, ubi eam dicit immunem. Immunes autem Colonias illas fuisse monet *Sigonius de Jur. Provinc. lib. 1. cap. 1*, quae nihil populo Romano solvebant: nam Civitates Imperio Romano parentes, vel stipendiariae, aliquid solvebant; immunes, nihil: ideo *Alex. ab Alexandro* Gen. Dier. *lib.* 4. *c.* 10. *testimonio*, inquit, *erat constitutum, ut singulae Coloniae annuam pensionem Populo Romano penderent; tametsi Livius Drusus Trib. Pl. duodecim Colonias sine onere pensionis deduxisse legatur.* Ex his ergo, Coloniae immunes erant, quae nihil solvebant; non autem quibus jus Civitatis Rnmanae collatum fuerat, ut memorato Augustino videtur *Dial. 6. Ant. Romae, & Hispaniar.* Colonias siquidem fuisse, jure Civitatis Romanae donatas, immunes tamen minime extitisse, planum esse scio; cum tantummodo immunes dicerentur, quae Juris Italici erant, ut monet *Ulpianus ff. de Cens.* l. 1. l. 8. *& per totum Titulum*. De SS. XVIII. Martyribus Caesaraugustanis, qui sub Daciano Praeside passi sunt in Persecutione Maximiani, vide Hymnum IV Prudentii, & confer Ruinartium in *Actis Mart. sinceris*, pag. 516.

97. ACCIS. Nummus Augusti cum epigraphe in postica, COL. GEM. ACCI. LEG. VI. *Colonia Gemella Accitana. Legionis sextae.* Aquila Legionaria inter duo signa militaria. Plinius lib. 3. sect. 4. *Ex Colonia Accitana, Gemellenses.* Extat vetustus lapis in Oppido *Guadix*, apud *Gruterum pag. 271. 6.* in quo legitur:

IVLIAE . MAMMEAE
AVG. MATRI
IMP. CAES. M. AVRELI
SEVERI . ALEXANDRI
PII . F. AVG
M. CASRTOR
COL. IVL. GEM. ACCITANA
DEVOTA
NVMINI
M. Q. EIVS

Haec Colonia Julia Gemella Accitana sita in Hispania Tarraconensi, hodie vocatur *Guadix*, cujus meminit Eruditissimus Cellarius *in Geographia*. Vide etiam P. Harduinum *de Nummis antiquis Populorum* pagin. 5, & in Antirrhetico pagin. 8, ubi Vaillantium incusat de duobus nummis ab ipso attributis huic Accitanae Coloniae, qui sunt Tuccitanae. Primus nummus, Augusto Principe cusus, quem idem Vaillantius exhibet pag. 13, sic inscribitur, C. I. G. A. cum apice Pontificali, & simpulo; eumque ita interpretatur, *Colonia Julia Gemella Accitana*. Sed nullum omnino reperire numisma est Coloniae Accitanae, quod ita priores ejus nominis syllabas non repraesentet, COL. ACCI. vel COL. GEM. ACCI. vel COL. IVL. GEM. ACCI. Quare in illo a Vaillantio prolato legere necesse est, *Colonia Julia Gemella Augusta*; deque Tuccitana Colonia debet intelligi: quod Oppidum inter Cordubam, Giennumque positum, *Martos* hodie nuncupatur: haec enim simpliciter COL. AVGVSTA GEMELLA in Claudii nummo ex Goltzio appellatur. Et Plinius lib. 3. sec. 3. *Colonia*, inquit, *immunis Tucci, quae cognominatur Augusta Gemella.* Alter quoque nummus a Vaillantio allegatus pag. 93, inscriptusque pariter C. I. G. A. cum Germani-

manici & Drusi Caesarum nominibus, capitibusque, eodem referendus est, hoc est nun ad Coloniam Juliam Gemellam Accitanam, de qua loquimur, sed ad Coloniam Juliam Gemellam Augustam, sive ad Tuccitanam. Voces vero illae in nostro Nummo LEG. VI. cum signis militaribus, colonos Veteranorum utriusque Legionis sextae Accim deductos declarant. Scilicet, cum Augustus, post Provinciarum cum Populo Romano divisionem, Legiones ad earum munimentum in iis constituere proposuisset; illarum emeritos in Colonias, seu a Julio patre, vel a se deductas, transmisit; partemque Veteranorum Legionis Sextae Ferratae, & partem Sextae Victricis Accim transtulit: unde Colonia, ex gemino Legionum nomine, *Gemella* dicta est. Vide Vaillantium *de Coloniis* Tom. I. pagin. 13. supra allegata.

98. EMERITA. Nummus Juliae uxoris Augusti cum epigraphe in antica, IVLIA AVGVST. P. M. *Julia Augusti Pont. Max.* Caput Juliae velatum: in postica vero, quam heic exhibemus, AVGVSTA EMERITA. Porta, ut videtur, Urbis, duobus fornicibus & turribus ornata. Hanc Coloniam, inquit Patinus, p. 37, ab Augusto fundatam esse in Lusitania, alii testantur Augusti Nummi. Cur vero castrum referat is, de quo loquimur, scribit Dio, qui Veteranos milites eo deductos Augusti jussu docet Libro 53. pag. 514. *Finito Hispanico bello, Augustus emeritos milites exauctoravit, urbemque eos in Lusitania Augustam Emeritam nomine condere jussit: iis, qui militari etiamnum erant aetate, spectacula quaedam per Marcellum, ac Tiberium, quasi Aediles, in ipsis Castris exhibuit &c.* anno scilicet ab U. C. DCCXXVIII. Vetus Inscriptio apud Gruter. p. 13. hujus COLONIAE EMERITENSIS meminit. Emeritenses ergo Augusti Conditoris beneficiorum memores, ipsi, Tiberio filio, & Liviæ quoque ejusdem Augusti uxori, cum Juliae, Augusti, ac Tiberii nominibus Nummos dedicarunt. Si typus nostri, Portam Urbis exprimit, id factum in Coloniae ab Augusto deductae memoriam. Vide Plinium l. 4. sect. 35. Sunt & alii apud Patinum Nummi in Familia Carisia p. 65 hujus Coloniae deductae indices ac testes. Confer etiam eundem Patinum, *de Num. Imp. Rom.* p. 71, Vaillantium *de Coloniis* Tom. I. p. 51. 74. & 108, Harduinum *de Nummis Antiq. Popul.* pag. 150, & Muscum Theupolum To. I. p. 651. De S. Eulalia Virg. & Mart. Emeritensi consule Hymnum III. Prudentii, & nostrum antiquissimum *Libellum Orationum Gothico-Hispanum* insertum To. I. Edit. Operum Ven. Card. Thomasii p. CXLIV. & p. 19. Agitur ejus Festiva celebritas die x. Decemb., cui Juliam Virginem adjungunt quædam Martyrologia tum antiqua, cum recentiora. Hujus Martyrium ad ann. 304. revocat Ruinartius, quo tempore Dacianum in Hispania, quae Maximiano Herculio parebat, saeviisse certum est. In nonnullis tamen Mss. Codicibus Acta Sanctae Eulaliae Emeritensis, eam sub Calphurniano Praeside passam referunt. At his Actis, auctoritas nostri Libelli Gothico-Hispani, Usuardi, Adonis, aliorumque etiam Actorum, quae in aliis antiquioribus Manuscriptis Codicibus habentur, est praeferenda. Porro Emerita, vulgo *Merida* ampla olim Lusitaniae Metropolis, Sede Compostellam translata, nil fere, praeter ruinas, nunc exhibet, ad Anam fluvium, in hodierna *Extremadura*.

99. NEMAUSUS. Nummus Augusti. Legitur in antica, IMP. DIVI. F. P. P. Capita Augusti, & Agrippae, cervicibus oppositis: alterum est laureatum, alterum vero corona rostrata insignitum. In postica, quam heic exhibemus, habetur, COL. NEM. *Colonia Nemausus*, aut *Nemausensis*. Crocodilus palmae alligatus. *Caput Arecomicorum*, ait Strabo Geograph. *lib. 4. est Nemausus, longe inferior Narbone, si peregrinam, & negociantium turbam consideres; sin Rempublicam spectes, multo praestantior: nam XXIV. habet Pagos popularium, praestantes viris, qui ei subsunt, & jus quoque Latii habent; ita ut Nemausi invenias Romanos, qui Aedilitatis, & Quaesturae honorem sint consecuti &c.* Fuit igitur Nemausus Galliae Civitas clara, Romanorumque Colonia, Augusto imperante deducta, atque ideo Augusta Nemausus cognominata. Insignis etiam nunc viget haec Urbs, quæ *Nimes* vulgo appellatur. Ipsa ergo ab Augusto Colonia constituta, sicut etiam Ant. Augustino placet, effigiem Agrippae cum Augusto forte sociavit, quia illo curante, fuit designata. Crocodilus palmae alligatus, Coloniam eo anno, quo Aegyptus in Provinciam redacta est, aut paulo post, deductam arguit. Porro Nemausenses illud animal, tanquam ad Coloniae originem spectans symbolum, in Nummis perpetuo signarunt. Devicto autem Antonio, plurimi ex tam multis Legionibus Veterani in Colonias, partim in Italiam, partim in alias Provincias, ad eas tutandas pro ratione necessitatis dimissi sunt. Quare Nemausum traducti, qui bello Alexandrino forsan

san interfuerunt, in ejus rei memoriam Crocodilum palmae appensum, Aegypti symbolum, in nummis caelarunt. Vide Bellorium *in XII. prior. Caes. Num.* p.10.n.43, Vaillantium *de Coloniis* Tom. I. pag. 81, & Sertorium Ursatum *de Notis Romanorum* apud Grevium Tom.XI. pag. 628, qui jure meritoque hunc nummum cusum putat, ut *Occoni* quoque in Agrippa videtur, *a Colonia Nemausensi, in honorem Augusti, post devictum Antonium, & Cleopatram, Aegyptumque inde captam, atque in Provinciae formam redactam: quod indicare videtur*, subdit idem, *Crocodilus, Aegypti peculiare animal, ad palmam (quae victoriam significat) ferrea catena religatum*. Juvennalis Satyr. xv.

Quis nescit, Volusi Bithynice, qualia demens
Aegyptus portenta colat? Crocodilon adorat
Pars haec.

Plinius lib. III. sect. v. *Nemausum* (inquit) *Arecomicorum* in Narbonensi Gallia. Vide Cl. Montfauconium *Antiq. Expliq.* To. III. Part. I. p. 186, & Museum Musellianum To. I. Tab. x. n.9. & 10. Vetus Inscriptio Nemausi reperta, eandem Urbem Coloniam Augustam appellat. Extat apud Gruter. p.323.n.5.

D. M
T. INDESII. TERTII
AED. COL. AVG. NEM
DOMITIA. EORTE. SIBI
ET. VIRO. DE. SE. BENE
MERITO. V. F

Philippus Tomasinus *de Tesseris Hospitalitatis* cap. xxviii. apud Gronovium Vol. IX. pag. 276, & 277. lepidam historiam narrat: Restabat (inquit) alia hospitum discedentium tessera, cujus notitiam ex suppeditante Gregorio Turonense Chifletius in *Anastasi Childerici Regis*, & nos in supplendis, quae heic desiderabantur, ex Chifletio exhibemus. *In abacis*, inquit, *Antiquariorum frequens est mediae magnitudinis nummus ex aere flavo, vel nigro, qui exhibet Augusti Caesaris, & M. Agrippae aversa mutuo capita: in postica autem parte crocodilum animal, Nilo familiare, palmae arbori alligatam. Signavit illum* COLONIA *Galliae Narbonensis* NEMAUSUS, *utriusque Principis honori, post Aegyptum captam. Nummorum ejusmodi partes dimidiae dextrae, quae Augusti caput referant, repertae sunt Romae, cum illic ageret amicus noster Clarissimus Menetrius, qui eas vocabat* Arrhas, *nulla adjecta explicatione; binisque donavit fratrem meum Philippum Chifletium, Abbatem Balernensem, flavam una, nigraque altera, qui & tertiam accepit (itidem nigram, sed sinistram, Agrippae capite signatam, & in hac Belgio repertam) a Carolo Brooman cive Bruxellensi, rei antiquariae apprime studioso. Nummum divisum heic exhibeo, usurpatum, mea sententia, pro arrhabone, sive tessera inter amicos absentes & longe dissitos.* Amicitiam enim, quae est Amicorum conjunctio, locus non dirimit. *Qui manebat Romae, partem dextram servabat, Augusti capite signatam: qui peregre proficiscebatur, sinistram cum Agrippae effigie deferebat; quod existimaret Gentilis vetustas,* LARES DEOS *defunctorum animas esse; qui, quae opera fecissent in vita, eadem mortui tuerentur.* Et paulo post: *Sperabat ergo amicus, qui Romae manebat, Augustalis vultus, ut domestici Laris, cultu, amicum abeuntem in profectione sua felicem fore: ac se vicissim fortunatum peregrinator, quod Agrippae imaginem, ut* LAREM VIALEM, *secum gestaret ac coleret. Sic, ut nummus ille bipartitus quaedam esset amoris arrha, per quam corda absentium amicorum longe dissita mutui complexus desiderio alerentur.* Sed ad graviora redeamus. Ado in Martyrologio ad diem xx. Maji habet: *In Galliis Civitate Nemauso S. Baudelii Martyris, qui comprachensus, cum sacrificare nollet, & in fide Christi immobilis inter verbera & tormenta persisteret, Martyrii palmam pretiosa morte percepit.* S. Gregorius Turonensis lib. primo *de Gloria Martyrum* cap. 68: *Est*, inquit, *apud Nemausensis Urbis Oppidum Baudelii Beati Martyris gloriosum sepulcrum, de quo saepius virtutes multae manifestantur. Ex quo sepulcro laurus orta, & per parietem egressa, arborem foris fecit, salubri coma vernantem. Quod saepe Loci incolae in multis infirmitatibus habere caeleste remedium sunt experti.* Vide Baronium in notis ad Martyrologium Romanum eadem die, Tillemontium Tom. IV. Monumentorum ad Historiam Ecclesiasticam pertinentium pag. 724, & Ruinartium in Praefatione *ad Acta Martyrum sincera* pag. xxi. Agunt de eo etiam Martyrologium Fuldense, & Ottobonianum hac die; itemque Martyrologium Reginae Suecorum, in quo legitur: *In Galliis Civitate Nemauso, Natalis S. Baudelii Martyris.* Incertum est tamen, quo tempore passus fuerit. Acta ejus ex Codicibus Mss. protulerunt jam dicta die P. Bollandiani pag. 194, sed in

ple-

plerisque mendosa. Confer etiam quae scribunt in Appendice Mensis Maji pag. 419.

100. PANORMUS. Urbs Siciliæ littoralis. Nummus Juliae uxoris Augusti, in cujus antica legitur, AVGVSTA. Caput Juliae velatum. In postica vero, quam heic exhibemus, PANORMITANORVM. Caput Augusti sine laurea. Strabo lib. 6. pag. 272, *Panormus etiam Coloniam habet Romanam*, quae fuit ab Augusto deducta. Panormitani ergo in Coloniæ fundatoris, & ejus uxoris memoriam hunc Nummum percusserunt, atque etiam ob jus Civium Romanorum ipsis concessum. Vide Goltzium, Vaillantium *de Coloniis* Tom. I. pag. 57, & Parutam in Panormitanorum nummis num. 103.

101. PATRAE. Nummus Augusti. Legitur in antica PATER. Caput Augusti nudum: in postica vero, quam heic exhibemus, PATRIAE. C. A. A. P. *Colonia Augusta Aroe Patrensis*. Colonus boves aratro junctos agit, Coloniae deductae symbolum. M. Varro Lib. IV. *de Ling. Lat.* auctor est, Coloniam sic inchoari solitam, juncto bove, & vacca; ut vacca tamen Coloniae, quae condebatur, propinquior esset; exterius vero bos araret: ductoque aratro, terminum designabant Coloniae, quo moenia ducerentur; aratro portato, ubi portam statui vellent. Plinius lib. 4. sect. 5. *Patrae Colonia in longissimo Promontorio Peloponnensi condita*, quæ nunc *Patrasso* vulgo nuncupatur. Ad Patras pertinens hic Nummus, cusus est vivente Augusto, a quo Patrenses libertate, & Coloniae jure donati fuerant, teste Pausania *in Achaicis* p. 224, an. U.C. 740. Ejus post Actiacam pugnam deductionis meminit etiam Strabo lib. 6. p. 387. In nummo *Pater Patriae* Augustus dicitur, quia eo titulo an. U.C. 752. a Messalla Cos. fuit salutatus. Vide Norisium *de Cenotaph. Pisanis* Dissert. II. cap. VIII. Patrensis Civitas Acajæ caput erat, ut scribit Plinius lib. 4. sect. 10. Quod & memoratus Pausanias confirmat in Achaicis p. 222. Alia vide apud Patinum *de Num. Imp. Rom.* pag. 38, apud Vaillantium *de Coloniis* Tom. I. pag. 58. & 59, apud Harduinum in *Antirrhetico* pag. 131, & apud Sertorium Ursatum *de Notis Romanorum* Tom. XI. Roman. Antiq. Graevii pag. 626. Celeberrimus apud Patras fuit Natalis S. Andreae Apostoli. Vide supra in Indiculo hujus Tabulae num. 21.

102. PHILIPPI. Nummus Claudii cum epigraphe in antica, TI. CLAVDIVS CAESAR AVG. GERM. Caput Claudii: in postica vero, quam heic exhibemus, COL. AVG. IVL. PHILIP. DIVVS. AVG. Philippi urbs, inquit Patinus pag. 99, est Colonia Macedoniae ad Mare mediterraneum Aegeum. Philippum Alexandri patrem Conditorem habuit, a quo & nomen. Romanis in aeternum memoranda, propter Caesaris, & Pompeji pugnam. Paria habet Vaillantius *de Coloniis* Tom. I. pag. 160. Philippi (inquit) urbs, prius *Crenides*, deinde a Philippo Rege de nomine suo appellata est, teste Diodoro lib. 16. pag. 413. *Hinc ad Crenidas profectus urbem, habitatorum frequentia amplificatam, de nomine suo Philippos nuncupavit*. Nomen *Juliae*, Coloniam a Julio constitutam, ut *Augustae*, ab Augusto colonis iterum deductam, arguit. Dio extorres in eam Augustum transmisisse scribit lib. 51. pag. 445: *Nam eos conventus Italiae, qui Antonii rebus studuissent, extorres egerat, militibusque agros eorum donaverat: extorrium autem plerisque Dyrrachium, Philippos, & alia oppida habitanda concessit*. Nomen *Juliae* tantum, ut antiquius, in veteri lapide praefert, apud Sponium Miscel. 5. p. 173. Laudatus Patinus pag. 99. duas figuras paludatas in nostro Nummo scalpi curavit, easque Julium Caesarem, & Augustum esse ex epigraphe basi imposita existimat: *Duo illi viri* (inquit) *militari habitu non alii mihi videntur, quam Julius Caesar, & Augustus. Conjecturam firmat* DIVVS AVGVSTVS *basi inscriptus*. Sed Gronovius agens de epigraphe ejusdem Nummi in *Thesauro Graec. Antiq.* Vol. III. fol. III. haec scite adnotavit: *Circumspiciens aliquam hujus gravissimi negotii memoriam dignam notata, defungi me opinabar in conspectu solius Bruti, in quo summa rei fuit sita; perinde ut ad reliquas pugnas commemorandas sufficiebant soli ducum vultus, in quibus facile memoriae occurrunt quaelibet gesta. Sed Brutus jam antea locum petierat, tenueratque; ut sic vel ibi simul hanc recordationem suscitare deberet, vel mentio tota hujus rei praeteriri. Ab hoc aestu vel necessitate liberavit nos praeclara vetustatis munificentia, conservato nummo variis temporibus per Philippenses cuso, pro ut Patinus sub Claudio eum exhibet, Vaillantius etiam sub Vespasiano, & Hadriano: atque inde hujus typum posui, quippe clarioribus lineis, & acriore cura simulatum, ut annotarem, quod vel praecipuum in eo negligitur ab interpretibus, Vaillantio sic eum describente*, Duae figurae basi insistentes, altera

Zzzzzz

INDICULUS TAB.III.SEC.II

ra virilis palludata, deatram elevans, laeva ad latus; altera muliebris feminuda cum pallio, dextra coronam fupra caput prioris imponens. *Quae, etfi non eadem; his tamen fimilia prorfus ad duos reliquos nectuatur. Sic & alii, ac coloniae privilegiis inhaerens, tanquam illa quadrata, quorum media eft bafis, nullam mererent attentionem. Atqui ex eis omnem caufam hujus hiftoriae pendere opinor, & fervare memoriam originis, unde urbi Philippenfis tanta titulorum fpecie ornari meruit. Sunt enim arae per loca caftrorum Octavii, & Antonii erectae, vel dum illic tenderent, vel poft praelium feliciter profligatam ad memoriam pofteritatis. Itaque uaice hic nummus illuftrat verba Suetonii, & ab ipfo Suetonio ipfe illaftratur in Tiberii capite* XV: Ingreffo primam expeditionem, ac per Macedoniam ducente exercitum in Syriam, accidit, ut apud Philippos facratae olim victriciumLegionumAræ fponte fubitis collucerent ignibus. *Victrices fcilicet legiones fuerunt in duobus caftris, quorum finguli Imperatores ftatuerunt illic fingulas aras, ut caftrorum apud Actium locus fic poftea ab eodem Octavio confecratus fuit Marti, ac Neptuno, procul dubio Aris etiam exftructis. Itaque non hic Aras, fed in eis contemplari te finge ipfa utriufque ducis caftra, atque adeo convenientiffimam hujus temporis notitiam, quae quaerebatur.* Harduinus *de Nummis antiquis Populorum* pag. 44. „ Plinius (inquit) lib. 4. fect. 18. *Philippi Colonia in Thracia &c.* Heic Campi Philippici, in quibus paulo poft Auguftus, & Antonius vicerunt Brutum, & Caffium, ut fcribit Dio lib. 47. Virgilius lib. I. *Georg. Romanas acies iterum videre Philippi*. Confer Doctiffimum Virum Sertorium Urfatum *de Notis Romanorum* apud Graevium Tom. XI. pag. 632. Celfus libr. I. Dig. Tit. xv. de Cenfibus, *Colonia* (inquit) *Philippenfis juris Italici eft*. Paulus Apoftolus primus omnium Philippos Chriftianam doctrinam intulit, ibique poft fuum difceffum mifit Epaphroditum, ut ejus Ecclefiae Chriftianos inviferet, quidque illi rerum gererent, videret, ut fcribit in *Epift. ad Philippenf. cap.* 2. Audita Pauli captivitate, Philippenfes ftatim eundem Epaphroditum cum pecunia Romam miferunt, ut illius Ecclefiae nomine ejus neceffitatibus praefto effet. Ipfe vero, ut in Urbem venit, aegritudinem contraxit: quare in Macedoniam redux, memoratam ad Philippenfes Epiftolam detulit, in qua Apoftolus de fructu vinculorum fuorum agit, eofque hortatur, ut dignam filiis lucis vitam inter Ethnicos ducant, perpetuo concordiæ vinculo, finceraque animi demiffione. PP. Bollandiani ad diem 23. Jan. Tom. 2. p. 453. afferunt, Parmenam unum e feptem Diaconis, Philippis aliquandiu conftitiffe, ibique mortem obiiffe; & ex numero LXX. Difcipulorum ad illud munus vocatū eum fuiffe, D. Epiphanius autumavit. Sed neque de geftis, neque de morte ejus quidquam aliud certi memoriae proditum eft. Obiiffe diem fuum fub ipfis Apoftolorum oculis Graeci teftantur; nec Martyrium illi defuiffe addit Ado ad diem 23. Januarii. Eraftum quoque a Paulo Philippenfibus Epifcopum praefectum, in eaque urbe Martyrem deceffiffe, putant praefati Bollandiani Tomo 6. Julii, pagina 298, & Martyrol. Rom. ad diem 26. Julii. Vide Cl. Mamachium Tom. 2. *Origin. & Antiq. Chrift.* lib. 2. cap. 16. p. 167. & 168. SS. Erafti Epifcopi, Lydiae Purpurariae, Parmenae, Rufi, & Zofimi Martyrum, & Synthyches (cujus B. Apoftolus Paulus meminit) *Philippis* agitur Natalis dies in Martyrologio Romano.

103. CORINTHUS. Nummus Augufti. Legitur in antica CAESAR AVGVSTVS. Caputi Augufti nudum: in poftica vero, quæ heic exhibetur, P. VIPSANIO AGRIPPA II. VIR. COR. *Publio Vifpanio Agrippa Duumviro Corinthi*. Pegafus Corinthiorum infigne, ut notat Julius Pollux. Corinthii Statuam cum Bellorophonte in areis, & templis collocabant, ut tradit Paufanias in Corinth. p. 90. *fpectatu* (inquit) *digniffima funt, ubi a Dianae Signo difcefferis, Bellorophontes, & ex ipfa Pegafi equi ungula manans aqua*. Confer etiam Hyginum Fab. 57. Hic Publius Vipfanius Agrippa, M. Agrippae Augufti generi Libertus fuiffe videtur doctiffimo Vaillantio. Porro miffos eo Colonos Libertini generis, auctor eft Dio lib. 43. p. 239. Lege laudatum Paufaniam in Corinthiacis, initio ejus libri pag. 44. Extat alius hujus Coloniæ nummus apud Sequinum pag. 65. cum epigraphe in poftica, L. CAN. AGRIPPA II. VIR. COR. Vide Patinum *de Num. Imp. Rom.* p. 18, & Vaillantium *de Coloniis* Tom. I. p. 46. Corinthus Acaiae Urbs in medio fere Ifthmo Peloponnefiaco fita, Aegeum, Ioniumque maria refpicit: quare eam bimarem dixerunt Ovidius Faftorum 4, & Horatius Carm. I. Ode 7. Everfam olim a Romanis L. Mummio

mio duce, cui, ob Acajam devictam, Acaici cognomen fuit, Divus Caesar instauravit, atque in Coloniam deduxit. Strabo *Geograph.* lib. 1. *Sed Corinthus cum diu deserta jacuisset, instaurata est a Divo Caesare propter loci opportunitatem, missis eo in Coloniam libertinis plurimis*; qui, *Festo* auctore, Corinthienses ex eo diei coeperunt, ex quo Coloni Corinthum sunt deducti, quoniam antea Corinthii dicebantur. Quam consuetudinem, subdit ille, servamus etiam, cum Romanenses, & Hispanienses, & Sicilienses negotiatores dicimus, qui in alienis civitatibus negotiantur. Cl. Mamachius To. 3. *Origin. & Antiq. Christ.* 87. lib. 2. pag. 161. & seq. scribit: quae Athenis, eadem sane Corinthi Christianismi primordia fuerunt. Sunt enim a Paulo Corinthii quoque instituti: vide Epistolam primam *ad Corin. cap.* 1, & *Act. Ap. cap.* 18. Eodem munere functi etiam Apollo, & Petrus fuerunt, modo tamen (ut ego reor) Cephas idem fuerit ac Petrus, de qua re nonnulli antiqui, recentioresque Scriptores vehementer inter se dissident. Subortae interim etiam variae inter Corinthios dissensiones fuerunt; propterea quod alii se Paulo, alii contra Apollo, aut Cephae sectatores esse contenderent. Igitur gravissimis Corinthios litteris ipsemet Apostolus commonefecit, ut altercationum inter sese, dissidiorumque finem facerent (*Epist. 1. ad Corinth. cap.* 5); missurumque se dixit ad eos brevi Timotheum. Hunc scilicet, ut omnia diligenter, expediteque fierent, curaturum (*ibid. c.* 4. *& c.* 16). Saeculo II. post medium, Corinthiorum Ecclesiae praefuit Dionysius, qui, cum singulari sanctitatis, doctrinaeque laude floreret, tum operam diligentem dedit, non modo in officio continendis, recteque instituendis suis, sed etiam monendis alienis; ne se abduci a cultu virtutis paterentur. Itaque eo Antistite recte se omnia in Ecclesia Corinthi habebant. Vide Eusebium *lib.* 4. *Hist. Eccl. cap.* 22. Qui sequuti deinceps sunt Episcopi, ii quidem studia sunt imitati superiorum. Illos recenset Lequienius *To.* 2. *Orient. Christ. pag.* 158. *& seqq.* Hujusmodi autem Magistris usi Corinthii, parati animis erant pro Religione sanguinem, vitamque profundere. Quamobrem, cum Ethnici Imperatores bellum universae Ecclesiae intulere, capti non pauci Christiani Corinthii fuerunt, ac multis atrocibusque suppliciis excruciati, martyrii gloriam consequuti sunt. In his Quadratus, sociique Martyres fuerunt. Consule Bollandianos *Tom.* 2. *Martii pag.* 4, *& seq.* Horum virtute, ac sanguine, confirmati ceteri in fide sunt; pluresque eorum, qui hostes se nostros esse profitebantur, Idolorum superstitione abjecta, nostris institutis, ac legibus paruerunt. De SS. Alexandro, Codrato, Dionysio, Cypriano, Anecto, Paulo, Crescente, Crispo, Cajo, Dionysio, Celeonide, Phoebe, Sosthene, & Timone, quorum Natalis dies apud Corinthum agitur, vide antiqua Martyrologia, Baronium in Annalibus, Tillemontium, Bailetum, & Flurium. INDICVLUS TAB. III. SAEC. II

104. PARIUM. Nummus M. Aurelii. Legitur in antica, IMP. M. AVR. ANTONINVS. Caput ejus laureatum: in postica vero, quae heic exhibetur, COL. PARIA IVL. AVG. *Colonia Paria Julia Augusta.* Mulier stolata stans, cum calatho in capite, quae dextra signum militare, sinistra cornucopiam gerit. Hujus Coloniae meminit Plinius lib. 5. cap. 32. *Parium Colonia, quam Homerus Adrastiam appellavit.* A Julio Caesare deducta, *Juliae* nomen habuit, ut constat ex quadam Inscriptione edita a Sponio *Miscel. sect.* 5. p. 173. *Augusta* vero fuit appellata, utpote veteranis iterum Colonis ab Augusto frequentata: quod etiam signum militare (eorum symbolum) a muliere dextra gestatum arguere videtur, ut animadvertit Cl. Vaillantius *de Coloniis* Tom. I. pag. 273.

105. Nummus Claudii cum epigraphe in antica, TI. CLA. GERM. CAES. Caput Claudii laureatum: in postica vero, quae heic exhibetur, C. C. I. B. D. D. *Colonia Campestris Julia Babba, Decreto Decurionum*; vel *Coloniae Campestris Iuliae Babbae Decuriones.* Palma arbor, a Tyriis, Phoenicibusque Babbensium originem (ut Carthaginiensium) indicat. Vide Harduinum in *Nummis antiquis* pag. 86. Babbaei plurimos Claudio nummos percusserunt, ei gratulantes de victoria contra Mauros rebellantes relata, ut tradit Dio lib. 60. p. 671. Plinius lib. v. sect. 1. *Augusti*, inquit, *Colonia Babba, Julia Campestris appellata*, in Mauretania Tingitana. Fallitur Patinus, qui credit pag. 100, hunc nummum ad Cibyratas Graecam Asiae Gentem pertinere. Vaillantius Tom. I. de *Coloniis* pag. 154. ad allata Plinii verba, qui Babbam Augusti Coloniam dicit, haec notat: *intelligendus est de immunitatibus ab Augusto huic Urbi concessis, aut de Coloniis in ipsam iterum deductis*: & pag. 64, inquirens, unde Juliae appellatio, qua Babba glo-

gloriatur, sit repetenda, inquit: *Constat Urbes aliqua immunitate, seu Coloniae titulo a Julio Caesare donatas, Juliae nomen pertulisse. Ab Augusto autem deductas, solo Augustae nomine insignitas: sed quae denique Juliae Augustae simul nominantur, a Julio primum constitutae sunt; deinde ab Augusto civibus frequentatae.* Sed Harduinus in *Antirrhetico* pag. 35. adversus eundem Vaillantium scribens; apud quos (inquit) id constare putas? Nam id eruditos quidem negare oportet. Dic, amabo, Julia Constantia Zilis, cujus Colonia est? Augusti sane, si Plinium audis sub initium libri v, *Colonia Augusta*, inquit, *Julia Constantia Zilis, Regum ditioni exempta.* Et Juliae tamen illa solum nomen habet. Haec ipsa Babba, in qua nunc sumus, quam ibidem ille *alteram Augusti Coloniam* vocat, an Augustae nomen ullo praefert in Nummo? plane nullo, si suspectum Goltzii nummum exceperis. Ubique C. I. B. tantum inscribitur, *Campestris Julia Babba.* Non ergo ob Julii unius, sed ob Gentis Juliae memoriam id asci tum a Colonis, etiam sub Augusto, expetitumque nomen esse liquet.

106. Nummus Hadriani. Legitur in postica, quae heic exhibetur, TELLVS STABIL. *Tellus Stabilis*, seu *Tellus Stabilita*. Figura muliebris humi desidens, quae dextra globum, sinistra vitem gerit, brachio canistro innixa. Inter egregia opera Hadriani, enumerandae sunt paludes Fucini Lacus, ab eo ingenti molimine exsiccatæ; cujus peracti facinoris mentionem facit Dio. Figura *Telluris* in hoc Nummo expressa, ad cujus pedes jacet anthlia, significat qua ratione purgatae fuerint, aqua stagnante, dictae paludes Fucini Lacus, Tellusque stabilita. Vide Vaillant. *Num. Imp. Rom.* Tom. I. pag. 68, ac Tom. II. pag. 149, & Raphaelem Fabrettum *de Emissario Fucini Lacus.* Henninius *in Notis ad Bergierium* lib. 1. apud Graevium Tom. x. pag. 658. inquit: Cl. Du Bos notat heic Bergierio omissum opus Hadriani, scilicet penitus exsiccatum *Lacum Fucinum.* Inscriptio quædam Avellani ab Lacum Fucinum reperta est, quæ hoc opus etiam ad Trajanum refert. Extat apud *Reinesium* III. 81. habetque,

IMP. CAESARI . DIVI . NERVAE . F
NERVAE . TRAIANO . OPTIMO
AVG. GERMANICO . DACICO
PARTHICO . PONT. MAX
TRIB. POT. XXIII. COS. VI.
PATRI . PATRIAE .
SENATVS . POPVLVS . Q. ROMANVS
OB . RECIPERATOS . AGROS
POPVLIS . Q. ALBENSIBVS . RESTITVTOS
QVOS . LACVS . FVCINI . VIOLENTIA . INVNDAVERAT

Onuphrius Panvinius *de Ludis Circensibus* lib. 2. apud Graevium Tom. IX. pag. 435. scribit: „Julii Caesaris etiam tempore excogitata fuit emissio Fucini Lacus. Suetonius in eo cap. XLIV, *siccare Pontinas paludes: emittere Fucinum Lacum.* At ejus consilium implevit postea Hadrianus. Spartianus in eo: *Fucinum Lacum emisit.* Fucinus Lacus, Marsorum est. Ex eo Scriptores antiqui, recentioresque, aquam Martiam profluere voluerunt; imo ex Pelignis per Fucinum illibato amne transmeare. Vibius Seq. ait: *Pitonius, qui per medium Lacum Fucinum ita discurris, ut aquae ejus non misceantur stagno:* subterraneo siquidem cuniculo ille amnis exceptus, sua vi ad Sublacensem agrum erumpens, aquae Martiae creat fontem: nam, quod olim aquaeductus a Fucino fuerit a Romanis Romam usque perfossus, ita ut spiramenta etiam num in montibus aquarum, ex Blondo, appareant, nugae merae sunt, & nugae: *aqua enim Martia*, teste Frontino, *concipitur Via Valeria ad milliarium XXXIII. diverticulo euntibus ab Urbe Roma dextrorsum millium passuum trium.* Fucinus, Roma majori intervallo distat. Verum a Fucino venire dixerunt eam aquam, quia crescente eo Lacu, aqua etiam in Sublacensi fluebat uberius. Mirum enim olim illius Lacus incrementum, ac deinde defectus, ut ait Strabo. Ad montana usque igitur excrescebat: at, quia sua sponte inferius Romam petere videbatur, Deorum ope eam aquam Romae exhibitam dixit Plinius.

107. Nummus Hadriani, cum epigraphe in antica, HADRIANVS AVG. COS. P.P. *Caput Hadriani laureatum*: in postica vero, quae heic exhibetur, RESTITVTORI ORBIS TERRARVM S. C. Hadrianus Terram figura muliebri, sphaeram manu tenentem, sublevat. Anno Chr. 122. cum res Urbanas composuisset, peregrinationem per universas fere Orbis Romani Provincias instituit: &, ut scribit Spartianus in ejus Vita p. 5. & 6, primo in Gallias, atque Germaniam transiit, inde in Britanniam transmissurus: *Post haec (inquit) profectus in Gallias, omnes fere causariis liberalitatibus sublevavit. Inde in Germaniam transiit: pacisque magis, quam*

belli

belli cupidus, militem, quasi bellum immineret, exercuit... Germanis Regem constituit. Lustravit quoque Britanniam, ut & ceteras fere Imperii Provincias Hadrianus. Extat ejus Nummus apud Occonem pag.231 cum epigraphe, RESTITVTORI BRITANNIAE. Britanniae in genua procumbenti Caesar dextram porrigit. *Nec quisquam fere Principum* (inquit laudatus Spartianus in ejus Vita pag.7) *tantum Terrarum tam celeriter peragravit*. Itaque scripsit ad Hadrianum hos versiculos Florus Poeta,

Ego nolo Caesar esse,
Ambulare per Britannos,
Scythicas pati pruinas.

Ita circumiens Provincias Hadrianus, uniuscujusque prospiciebat securitati, atque utilitati. Quare cusus ei fuit hic Nummus, de quo loquimur, cum Inscriptione, RESTITVTORI ORBIS TERRARVM; & alius, cum epigraphe, LOCVPLETATORI ORBIS TERRARVM. Vide Pagium in Critice ad dictum annum 122, Angelonum pag. 127, Museum Arschotanum Tab.39. num. 2, Begerum Vol. 2. pag. 657, Erizzum pag. 348, Harduinum pag. 761, Mediobarbum p.177, Nummophilacium Reginae Sueciae Tab. 13. num. 22, Vaillantium pag. 62, & Museum Musellianum Tom. I. Tab. 79. num. 5.

108. Nummus Trajani. Legitur in antica, IMP. CAES. NERVAE TRAIANO. AVG. GER. DAC. P. M. TR. P. COS. VI. P. P. *Caput Trajani laureatum*: in postica vero, quae heic exhibetur, S.P.Q.R.OPTIMO PRINCIPI.VIA TRAIANA. S. C. Mulier humi procumbens, quae dextra rotam tenet. Henricus Christianus Henninius in Notis ad Bergierium, apud Graevium To.x. p.668, hic Nummus, inquit, primi moduli, rarus est; secundi, obvius: audi de eo Erizzum L. L. M. 331. *& seq.* ut ex Italico verto: „ Nummus Trajani, majoris moduli, ex „ aere flavo, elegantissima vernigine viridi „ splendidus, cum epigraphe IMP. CAES. „ NERVAE. TRAIANO. AVG. GER. „ DAC. P. M. . . . in facie altera ostentans „ procumbentem feminam, innitentem bra- „ chio sinistro, quae tenet illa manu arun- „ dinem, sive ramum; dextera propellit rotam: „ sub qua figura legitur, VIA TRAIANA S. „ C. Additur supra epigraphe, S. P. Q. R. „ OPTIMO PRINCIPI. Nummus hic in ho- „ norem Trajani percussus, ob memoriam Viae „ ab eo munitae, aut reparatae, cujus me- „ minit in ejus Vita Dio: *Complura* (inquit) „ *& valde quidem necessaria aedificari curavit, ut Portus, & Aedes publicas. Vias item munivit: in quibus faciendis, fortunas, aut sanguinem alicujus nunquam absumsit. Natura magnificus, & gloriae appetens erat*. Idem Nummus excellentis artificii „ extat in aere medii moduli eadem figura. „ *Rota*, quam tenet, est pro instrumento, „ quo Prisci Vias faciebant, aut reficiebant. „ Inter Vias Romanas praecipuas celeberri- „ ma fuit *Appia*, munita ab Appio Clau- „ dio Censore Capuam usque. Caesar in „ eadem munienda multus fuit: tandem ve- „ tustate collapsam, & hinc inde ruptam, in- „ stauravit Trajanus, & magnificis impen- „ diis deduxit Brundusium; dictaque fuit „ *Regina Viarum*, quod per eam fere omnes „ ducerentur Triumphi„: Haec Erizzus. Sed postrema verba sunt accipienda cum grano salis, nempe, quae habet *de Rota*: simpliciter enim & generatim denotat ipsa Cursum vehicularem per Vias Publicas. Trajanus ergo Viam Appiam Tarracinam usque refecit, eamque a Benevento Brundusium usque perduxit, ut Arcus Triumphalis a S.P.Q.R. Beneventi ipsi erectus ostendit. In alio quoque Trajani Nummo, conspicitur mulier crure innixa rotae, atque arundinem tenens, cum literis, VIA TRAIANA. De qua via Diodorus Siculus lib.2. cap.13. haec scribit: *per Pomptinas paludes Viam saxo stravit, extruxitque juxta Vias aedificia, pontesque magnificentissimos fecit*. Ne tamen brevitas Inscriptionis Nummi, quem illustramus, obscurum opus relinquat, Galeni verba lib.9. cap.8. *Method. Med.* rem totam definient: „ Veluti (*inquit*) nunc quoque videmus quasdam veterum in terris Viarum, quibus pars quaepiam est lutosa, vel lapidibus, seu dumisque impedita, vel moleste ardua, vel periculose prona, vel feris obsessa, vel propter magnitudinem fluminum invia, vel longa, vel aspera: itaque, cum sic se haberent omnes in Italia Viae, eas Trajanus ille refecit. Quae quidem earum humidae, ac lutosae partes erant, lapidibus sternens, aut editis aggestionibus exaltans; quae senticosae, & asperae erant, eas expurgans; ac flumina, quae transiri non possent, pontibus jungens: ubi longior, quam opus erat, via videbatur, aliam breviorem exscindens: sicubi vero, propter arduum collem, difficilis erat, per mitiora loca deflectens. Jam si consessa feris, vel deserta erat, ab illa transferens, ac per habitata ducens, tum asperas complanans „. Hunc Galeni locum

Eruditissimus Pratillus mirifice illustravit in Opere, quod inscripsit *della Via Appia, riconosciuta, e descritta da Roma a Brindisi* lib. 4. p.433.& p.27.30.ac 31. Apud Beneventum extat Columna Milliaria, in qua sic legitur,

V.
IMP. CAES. DIVI. NER
VAE. F. NERVA. TRA
IANVS. AVG. GERM
DACICVS. PONT. MAX
TRIB. POT. XIII. IMP
VI. COS. V. P. P
VIAM. A. BENEVENTO
BRVNDISIVM
PECVNIA. SVA. FECIT.

Alia quoque huic quamsimillima refertur a Gaspare Paragallo *nell' Historia Naturale del Monte Vesuvio*, signata num. LXXXIV. Vide Panvinium in Descriptione Urbis Romae pag. 320, Nicolaum Bergierium *de Publicis & Militaribus Imperii Romani Viis* apud Graevium Tom. x. pag. 50. 78, & 263, Angelonum pag. 108, *Museum Arschotanum* Tab. 36. num. 5, Harduinum pag. 751, Mediobarbum pag. 160, Patinum pag. 177, Vicum Tab. 25. num. 39, Vaillantium Tom. I. pag. 53, & *Museum Musellianum* Tom. I. Tab. 66. num. 4.

109. Nummus Commodi. In antica legitur, M. COMMODVS ANTONINVS AVG. PIVS BRIT. *Caput Commodi laureatum*: in postica vero, quam heic exhibemus, P. M. TR. P. VIIII. IMP. VII. COS. IIII. P. P. ITALIA S. C. Italia, Deae habitu, atque turrito capite, globo insidet; quod Symbolum est Imperii Romani: sinistra sceptrum, dextra vero cornucopiam gerit, ob annonam a Commodo Romae distributam. Vide Chronicum ad annum Chr. 184, quo Tribunicia Potestas IX Commodi Imperatoris adhuc in cursu erat usque ad v. Kalendas Septembris. Extat Nummus apud Mediobarbum pag. 248. inscriptus, M. COMMODVS. ANTONINVS. AVG. PIVS. BRIT. in postica, VOTA DECENN. SVSC. TR. P. VIII. IMP. VI. COS. IIII. P. P. S. C. Cum ergo & in hoc Nummo *Britannicus* appelletur; hinc apparet, Bellum Britannicum (quod, ut inquit Xiphilinus, *omnium longe maximum fuit*) anno praecedenti 183 inchoatum fuisse; & tunc primum, ob victorias a Legatis, per quos illud bellum gessit, reportatas, dictum esse *Britannicum*, & *Imperatorem VI.* Vide *Museum Theupolum* Tom. I. pag. 545, *Museum Musellianum* Tom. I. Tab. 137. num. 7, & Montfauconium *Antiq. Expliq.* Tom. 3. Parte I. pag. 185.

110. Nummus Antonini Pii, cum epigraphe in postica, SICILIA S. C. COS. II. Figura muliebris stans, quae dextra coronam, laevaque vestem sustinet. Siciliam, quae in hoc Nummo legitur, nihil, ut opinor, significat, praeter Insulae erga Antoninum reverentiam: ille enim tanta diligentia subjectos sibi Populos rexit, ut omnia, & omnes, quasi sua essent, curaret. Provinciae sub eo cunctae floruerunt. Spicae, quibus Sicilia decoratur, fertilitatem ejus indicant: erat enim Italiae, & Hispaniae nutricula. Vide Angelonum pag. 175. num. 5, Patinum *de Num. Imp. Rom.* pag. 217, Harduinum *de Nummis Antiquis Populorum & Urbium* pag. 451, & Parutam in Panormitanorum Nummis. Antoninus Pius Consulatum II. iniit anno Chr. 139, Brutio Praesente collega. Lege Chronicum.

111. Nummus Hadriani cum epigraphe in antica, HADRIANVS AVG. COS. III. P. P. *Caput Hadriani nudum*: in postica vero, quae heic exhibetur, RESTITVTORI ACHAIAE S. C. Hadrianus togatus Achajam in genua procidentem sublevat, vase in medio posito; ex quo oleae, vel oleastri ramus emicat, Achajae, hoc est Graeciae totius Ludorum symbolum. Nam, ut Plinius ait lib. 15. sect. v; *Athenae victores olea coronant, Graeci vero oleastro Olympiae*. Spartianus in Hadriano pag. 6. *post hoc per Asiam, & Insulas ad Achaiam navigavit, & Eleusina sacra, exemplo Herculis, Philippique, suscepit: multa in Athenienses contulit*. Non vidit hortos Tristanus, qui Tom. I. pag. 471. σέλινον, hoc est, apium, heic pingi putat. Ipsi Statuas in Templo Jovis positas a Communi Achaiae, Pausanias monet in Eliac. prior. pag. 159. Lege Harduinum *de Nummis Antiquis* pag. 85, & Lipsium in *Tacito* lib. I, qui hunc Nummum illustrat, itemque nostrum Chronicum ad annum Christi 124, quo Hadrianus per Asiam, & Insulas ad Achaiam navigavit. Quare in alio Hadriani Nummo, tertio item Consulatu ejus insignito, legitur: ADVENTVI AVG. S. C. ACHAIAE. Vide Angelonum pag. 126, *Museum Arschotanum* Tab. 39. num. 17, Begerum Vol. 2. pag. 657, Erizzum pag. 345, Mediobarbum pag. 176, Patinum pag. 194,

Num-

Nummophilacium Reginae Sueciae Tab. 13. num. 13, Vaillantium *de praest. Num. Imp.* pag. 60, Theupolum Tom. I. *Musei Antiq. Numism.* pag. 475, & *Museum Musellia-num* Tom. I. Tab. 78. num. 10.

112. Nummus Hadriani cum epigraphe in antica, HADRIANVS AVG. COS. III. P. P. *Caput Hadriani laureatum*: in postica vero, quae heic exhibetur, ADVENTVI AVG. MACEDONIAE S. C. Imperator, & figura sacrificans. Vide Angelonum pag. 148, & Vaillantium Tom. I. pag. 60. *Num. Imp. Rom.* Hadrianus anno Chr. 119 Tertium Consulatum sumpsit, *Rustico* collega: nec alium deinceps Consulatum gessit, teste Spartiano in ejus Vita cap. 8. Anno vero 123,& 124. per Asiam,& Insulas ad Achaiam navigavit, atque in Macedoniam se contulit. Hinc apud Mediobarbum quamplures extant Nummi Tertio ejus Consulatu notati, in quibus legitur, ADVENTVI AVG. ASIAE, *vel* MACEDONIAE, *vel* BITHYNIAE, *vel* CAPPADOCIAE, *vel* CILICIAE, *vel* PHRYGIAE, *vel* PAMPHYLIAE, *vel* LYCIAE, *vel* SYRIAE, *vel* ACHAIAE, *vel* EVBOEAE. Et in aliis, Tertio item Hadriani Consulatu insignitis Nummis, habetur, RESTITVTORI BITHYNIAE, *vel* ARMENIAE, *vel* ASIAE, *vel* CAPPADOCIAE, *vel* CILICIAE, *vel* LYBIAE, *vel* NICOMEDIAE, *vel* PHRYGIAE. Lege memoratum Spartianum in *Hadriano* c.13,&Chronicum Alexandrinum. Harduinus *in Nummis Antiquis* pag. 309. alium exhibet Hadriani Nummum e Cimelio Regio, qui visitur etiam apud Patinum *in Thesauro* pag. 160, cum Consulatu III, & epigraphe, RESTITVTORI MACEDONIAE, in quo Macedonia petasum in capite, & manu flagellum gerit, aurigarum habitu.

113. Nummus Hadriani cum epigraphe in postica, quae heic exhibetur, ADVENTVI AVG. THRACIAE. Imperator, & figura sacrificans. Vide Harduinum *in Nummis Antiquis* pag. 495, & Vaillantium Tomo I. *Num. Imp. Rom.* pag. 60. Hic quoque Nummus Tertio Hadriani Consulatu notatus est, quem, ut diximus, iniit an. Chr. 119. Notum est autem, tres tantum Consulatus eum gessisse, atque in Thraciam profectum an. 123. vel sequenti. Vide Pagium in Critice ad eosdem annos, & nostrum Indiculum hujus Tabulae numero praecedenti.

114. Nummus Hadriani cum epigraphe in antica, HADRIANVS AVG. COS. III. P. P. *Caput Hadriani nudum*: in postica vero, quae heic exhibetur, DACIA S.C. Dacia habitu militis rupi insidens, dextra signum militare, laevaque ramum gerit. Hoc typo Hadrianus pugnae, & victoriae Dacicae particeps exprimitur. Dacia, praecipue Hadriano curae erat, ab eoque Turboni credita fuit; quem ille Pannoniae, Daciaeque praefecit, ut refert Helius Spartianus in ejus Vita p. 4. Sed quem Spartiani Editiones Martium Turbonem vocant, Marium dici animadvertit Harduinus in vetusta Inscriptione, quae extat apud Gruterum pag. 437. 1. INDICULUS TAB. III. SEC. II

Q. MARIO. TVRBONI. FRONTONI
PVBLICIO. SEVERO. PRAEF. PRAET
IMP. CAES. TRAIANI. HADRIANI
AVG. P. P. COLON. VLPIA. TRAIAN
AVG. DACICA. SARMIZEGETVSA &c.

Extat alius Hadriani Nummus cum hac epigraphe, EXERCITVS DACICVS. Hadrianus post Quaesturam (ut animadvertit Patinus p. 191. in nummum, quem heic illustramus) Acta Senatus curavit, atque ad bellum Dacicum Trajanū familiarius profectus est. In secunda expeditione Dacica Trajanus eum primae Legioni Minerviae praeposuit, secumque duxit; quandoquidem multa egregia ejus facta claruerant. Horum memoriam renovat ejus figura, quae extat in Columna Trajani, itemque haec Inscriptio antiqua, facta sub ipso Hadriano, quae legitur apud Gruterum pag. 249. 4.

IMP. CAES. DIVI. NERVAE
TRAIANO. HADRIANO AVG
PONT. MAX. COS. III. P. P. CVIVS
VIRTVTE. DACIA. IMPERIO. ADDITA
FELIX. EST &c.

Huc spectant & Nummi signati DACIA FELIX. Eutropius de Hadriano: *Trajani* (inquit) *gloriae invidens, statim Provincias tres reliquit, quas Trajanus addiderat, idest Assyriam, Mesopotamiam, & Armeniam. Revocavit exercitus, ac finem Imperii voluit esse Euphratem. Idem de Dacia facere conatum, amici deterruerunt; ne multi cives Romani Barbaris traderentur; propterea quia a Trajana victa Dacia, ex toto Orbe Romano infinitas ea copias hominum transtulerat, ad agros, & urbes condendas.* Consule Museum Musellianum Tom. I. Tab. 77. num. 10, Angelonum pag. 127, Museum Arschotanum Tab. 39. n. 24, Begerum Vol. 2. pag. 654, Erizzum pag. 373, & Mediobarbum pag. 175. P. Mamachius

chius Tom.2.*Orig.& Antiq.Christian.* lib.2. p.597. ostendit, apud Dacos, ante Tertulliani tempora, fuisse, qui Christianorum legibus institutisque parerent. Vide Tertulliani locum cap. 7. lib. *contra Judaeos*. Quarto vero exeunte Ecclesiae Saeculo, Daciam veterem, quae partem *Ungariae*, *Transilvaniam*, vicinasque aliquot Provincias complectebatur, peragravit S. Nicetas, & innocentia morum, multisque editis prodigiis non minimum incolarum numerum ad Christiana sacra perduxit. Confer Bollandianos *Tom. I. Mens. Jan. pag.365. & seqq.*, Tillemontium *Tom. X. Monum. Hist. Eccl. p.621. & seq.*, ac Pagium *ad an. Christi 396. num.5. & seqq., & 397. num.6. & seqq.* Sed de Dacia, ut divisa fuerit (utpote altera *Ripensis*, altera *Mediterranea* dicta sit), agendum hoc loco est. Igitur, quum Aurelianus vastatum Illyricum, populatamque cis Istrum amnem Moesiam videret, Provinciam Transdanubianam Daciam, quam Trajanus constituerat, & Antonini Caesares Coloniam vocatam privilegiis amplificaverant, sublato inde Exercitu, in potestatem permisit Barbarorum; quod retineri eam posse diffideret: deductosque inde incolas in eam partem, quae Moesiam utramque dividit, traduxit, quam suam Daciam vocavit. Atque haec sane Dacia divisa fuit in partas duas; quarum altera, littus Danubii fluminis atringens, *Ripensis*, altera est *Mediterranea* appellata. Lege Lequiennium *Tom. II. Orient. Christ. pag.301. & seqq.* In utraque erant Christiani ante IV. Ch. Saeculum; sed tamen magis magisque ab Niceta propagata Religio nostra fuit. Episcopos Daciae Mediterraneae recenset idem Lequiennius loco supra citato. De Niceta Remesianae Ecclesiae in Dacia Episcopo, vide quae habet S. Paulinus Nolanus *Poemate 17. alias 30. Edit. Veron.*

115. Nummus Antonini Pii. Legitur in postica, quae heic exhibetur, SCYTHIA. Figura Provinciae stans, quae dextra coronam, sinistra baculum tenet. Vide Occonem pag. 250, Harduinum *de Nummis Antiquis* pag. 443, & Vaillantium *Num. Imp. Rom.* Tom. 1. pag. 74. Plinius lib. 4. sect. 24. *A Danubio* (inquit) *in plenum quidem omnes Scytharum sunt gentes &c.* Scythiam universam a Philippo Apostolo ad Christiana sacra fuisse perductam, veteres Martyrologiorum Scriptores memoriæ prodiderunt. Vide Eusebium *l.3. Hist. cap.1. p.87. Edit. Cantabr.* Sed & fuerunt, qui eam gloriam Andreae Petri germano esse tribuendam existimarent. Confer Martyrol. Rom. *Kal. Maji.* Ecclesiae initio, sequentibusque aetatibus, multos in ea Provincia fuisse aliqui ferunt, qui pro Religione cruciati, Martyres decesseriut. Vide Vitas PP. *pag.218. edit. an.1615, & Bedae Martyrol. ad diem 3. Jan.* Uno quidē diu Sacrorum Antistite usi Scythæ fuerunt, qui Tomis, quod oppidum Metropolis est Provinciae, agebat, coetusque omnes Christianorum moderabatur: Martyriis tamen, doctrinaque Sanctorum Virorum adeo propagata in Provincia Religio fuit, teste S. Johan. Chrysost. *Orat. contra Judaeos Tom. 1. Opp. Edit. Paris. Novae pag. 566. & seq.*, ut jam permulti ibidem Christiani Quarto Saeculo numerarentur.

116. Nummus Marci Aurelii cum epigraphe in antica, M. ANTONINVS AVG. TR. P. XXVII. *Caput M. Aurelii laureatum*: in postica vero, quae heic exhibetur, GERMANIA SVBACTA IMP.VI.COS.III. S. C. Tropaeum, ad cujus pedes captivus sedet. Vide Chronicum ad annum Christi 172. Hic Nummus, Marco Aurelio Principe cusus, extat apud Vaillantium *Num. Imp. Rom.* Tom. 1. pag.83. Quatuor alii visuntur Nummi Aurelio item percussi, apud Patinum pagina 234, qui victoriam ab eodem de Germanis partam exhibent. In primo, circa mulierem, quae moesta sedet, & luget, & ad cujus pedes sunt scuta, & hasta, legitur, ut in Nummo, de quo loquimur: & ita in secundo, absque tamen sigla S. C. In tertio vero intra coronam habetur, VICT. GERMAN. IMP. VI.COS.III.S.C. In quarto denique IMP.VII. COS.III.S.C.DE GERM. Julius Capitolinus in Marco Aurelio pag.27, *Marcus* (inquit) *Germanicum se vocavit, quod sibi bello proprio pepererat*. Et pag. 29. *Contra Germanos res feliciter gessit*. Vide Angelonum pag. 160, Museum Arschotanum Tab. 46. num. 20, Harduinum pag.784, Mediobarbum pag. 223, Vicum Tab. 47. num. 91, & Museum Musellianum Tom. 1. Tab. 119. num. 2. Patinus loco citato, *Contra Germanos* (inquit) *res feliciter gessit* Aurelius: *specialiter ipse bellum Marcomannicum (sed quantum nulla unquam memoria fuit), tum virtute, tum etiam felicitate transegit: & eo quidem tempore, quo pestilentia gravis multa millia & popularium, & militum interemerat. Pannonias ergo, Marcomannis, Sarmatis, Wandalis, simul etiam Quadis extinctis, servitio liberavit, & Romae triumphavit, Ferocissimos Germaniae populos*, inquit

quit Pausanias, *& plurimas Barbarorum in Europa Nationes, & in his Sauromatarum gentem armis domuit*. Lugentes captivi, tropaea, corona, Rhenus decumbens (Germaniae symbolum) in Marci Nummis Germanos subactos exhibent.

117. Nummus Hadriani cum epigraphe in postica, BRITANNIA S. C. Figura muliebris sedens, pede rupibus imposito: dextra caput sustentat, & sinistra hastam gerit, innixa cubito ingenti clypeo. Vide Montfauconium *Antiq. Expliq.* Tom. III. Tab. 113. p. 188. Britanni, quoniam teneri sub Romana ditione non poterant, teste Dione relato in *Chronico* ad an. 118, Hadrianus *Britannicum exercitum in eo limine collocavit*, ut Numismata antiqua demonstrant. Scilicet idem Imperator ann. Christi 121, teste Spartiano in ejus Vita cap. 12, *conversis egregio more Militibus, Britanniam petiit, in qua multa correxit, murumque per LXXX. millia passuum primus duxit, qui Romanos, Barbarosque divideret*. Huic expeditioni lucem affert & alius Nummus majoris moduli apud Occonem p. 234, in quo EXERC. BRITANNICVS per Imperatorem, & Milites designatur: tertius quoque eidem Imperatori dicatus cum epigraphe, RESTITVTORI BRITANNIAE, in cujus typo Caesar, qui dextram porrigit Britanniae in genua procumbenti. Vide Pagium in Critice ad dictum annum 121. num. 4. Harduinus *de Nummis antiquis illustratis* pagin. 100. ait: „ Lustravit Britanniam, ut & ceteras fere Imperii Provincias Hadrianus: *nec quisquam fere Principum*, inquit Spartianus in ejus Vita pag. 7, *tantum terrarum tam celeriter peragravit*. Itaque scripsit ad Hadrianum hos versiculos Florus Poeta:

Ego nolo Caesar esse,
Ambulare per Britannos;
Scythicas pati pruinas. „

Inde etiam evocavit Julium Severum, quem ad Judaeos rebelles in Palaestina subjugandos primum ducem misit, ut auctor est Dio. Praeter terrestres in Britannia copias, *Classem* quoque *Britannicam* instructam in Provincia comprobant antiquae Inscriptiones: eaque praesertim, apud Camertes constituta M. Maenio Caji Filio Tribu Cornelia, quam Reinesius retulit, & illustravit pag. 462. num. CCXXIIX. Ego eam heic exhibere censeo, cum Hadriani expeditio Britannica, & Classis Britannicae, & Provinciae ipsius constitutio per hanc uberius explicetur, quam per Historicos; & cum innotescat Cohors II Flavia Brittonum Equitatus, a Vespasiano fortassis instituta, unde Flaviae nomen accepit; nec non Procuratio Provinciae, & Augusti in Provincia, & Praefectura Classis huic M. Maenio concredita:

M. MAENIO C. F. COR. AGRIPPAE ET VSIDIO CAMPESTRI HOSPITI DIVI HADRIANI PATRIS SENATORIS PRAEF. COH. II. FL. BRITTON. EQVITAT. ELECTO A DIVO HADRIANO ET MISSO IN EXPEDITIONEM BRITTANNICAM TRIB. COH. I. HISPANOR. EQVITAT. PRAE. ALAE. I. GALLOR. ET PANNONIOR. CATAPHRACTAE. PROC. AVG. PRAEF. CLASSIS. BRITANNICAE PROC PROVINCIAE BRITANNIAE EQVO PVBLICO PATRONO MVNICIPI VICANI CENSORIA CENSES CONSECVTI AE INDVLGENTIA OPTIMI MAXIMIQ. IMP. ANTONINI AVG. PII. BENEFICIO. INTERPRETATIONIS EIVS PRIVILEGIA QVIBVS IN IVRE CIVIVM AVCTI CONFIRMATIQVE SVNT. D. D. D.

Classis Britannicae Praefectum exhibet quoque Inscriptio apud Gruterum fol. CCCCXCIII. num. 6. ubi num. 1. legitur, Licinius Italicus Legatus Augustorum (M. Aurelii, & L. Veri) idemque Propraetor Provinciae Britanniae, qui in expeditione Judaica militaverat sub Divo Hadriano. Franciscus Blanchinus Patruus meus *in Notis ad Anastasium Bibliothecarium* Tom. 2. pag. 142. Col. 2. in Vita S. Eleutheri PP. Sect. XIV. scribit: Quam parata fuit occasio perferendi ad Britannos Euangelii etiam Petro Apostolo, ejusque Discipulis, cum Legiones integrae Civium Romanorum, a C. Caligula, & Claudio ex Syria in Occidentem accitae, & in Britannica expeditione pluribus annis occupatae, ibique moratae sub Vespasiano, ac Domitiano ad terminum Saeculi Primi Ærae Christianae, nubem testium adduxerunt ex Palaestina, & Syria gestorum Christi, & Apostolorum (quibus eaedem Legiones, & Cohortes interfuerant), & complures ex iis ad fidem conversos; quibus Presbyteros aliquot, vel etiam Episcopos comites dare facile poterant Petrus, & Petro proximi Successores. Nec tamen Episcopales Sedes ita celeriter fundatas fuisse per Insulam crediderim; ut ad Primum Christi Saeculum referri possint. Lubentius credam infra Secundum Redemptionis Saeculum primos Episcopatus ibidem constitutos, quando Provinciae status pacatiora ferebat tempora. Licet enim Claudius Imperator, capto Rege Caracteaco, & Romam ducto, redactaque in potestatem Populi Romani Provincia, non modo eandem frequentaverit civibus, sed etiam Coloniam Romanam Veteranorum eo deduxerit, scilicet Camalodunum, anno Christi 50, C. Antistio Vetere M. Suillio Rufo Coss., *sub-*

INDICULUS TAB.III.Sac.II *sidium adversus rebelles, & imbuendis sociis ad officia legum* (ut ait Tacitus Annal. XII. cap. 32); attamen decennio post, Paeto ac Turpiliano Coss., Christi 61. circa initia Neronis, Irene Regina ultura graves injurias, a militibus Romanis sibi, suisque illatas, & commotis ad rebellionem Trinobantibus, adeo viriliter pugnavit contra Romanas acies; ut caesa fuerint inter Camalodunum. Verulamium, & Londinum octuaginta millia civium Romanorum, ac sociorum, uti memorant in Annalibus Tacitus, & Dio in Historia. Longa item series vicissitudinum, & varia praeliorum discrimina, etiam sub Vespasiano Principe, legenda apud Tacitum in Vita Agricolae cap. 7, sub Cereali, & Frontino, necnon sub Agricola, modo cum Insulanis citerioribus, modo cum ulterioribus, quos tum Caledonios vocabant, hodie Scotos, ibidem indicata cap. 33. sub Domitiano. Haec igitur tempora perturbata motibus Britannorum ferme continuis, tum externis contra aggressores Romanos, tum etiam intestinis intra Insulares (quandoquidem narrat ibidem Tacitus etiam Hiberniae Regulum, qui seditione domestica expulsus confugerat ad Agriculam, fuisse quidem benigne receptum, sed obtentu amicitiae ab eo retentum in belli occasionem) minus opportuna visa sunt Praesulibus Apostolicis, quam ut certis Sedibus designatis Episcopales Cathedrae ibidem erigerentur, tum in ditione Romanis obtemperante, tum in reliquis,quae parebant propriis Regibus. Constituta vero Provincia per Hadrianum, aetas opportunior illuxit ad cogitandum de certis Sedibus Episcoporum in Britannia.

118. Nummus Hadriani cum epigraphe in antica, HADRIANVS AVG. COS. III. P.P. Caput Hadriani laureatum: in postica vero, quae heic exhibetur, ADVENTVI AVG. GALLIAE S.C. Imperator, & figura sacrificans. Vide Harduinum *de Num. Ant.* pag. 180, & Vaillantium *de Num. Imp. Rom.* Tom. I. pag. 59. Hadrianus anno Chr. 122 Galliam venit. Spartianus in Hadriano: *Compositis*, inquit, *in Britannia rebus, transgressus in Galliam, Alexandrina seditione turbatus, quae nata est ob Apim.* Et pag. 5. *Post haec profectus in Gallias, omnes fere causariis, liberalitate sublevavit.* Extat insignis Hadriani Nummus apud Harduinum pag. 180 cum epigraphe, RESTITVTORI GALLIAE. Imperator Galliam in genu procumbentem sublevat. Item alius ejusdem Hadriani, in quo legitur, CONSERVATORI GALLIAE. Galliae plurari numero, leguntur in Nummo, quem illustramus: quas alius in Galba Caesare agnoscendo, Nummus declarat cum Inscriptione, TRES GALLIAE, ut & alter ejusdem Galbae apud Occonem pagin. 136, CONCORDIA PROVINCIARVM: Plinius lib. quarto sectione 31. *Gallia* (inquit) *omnis Comata uno nomine appellata, in tria Populorum genera dividitur*, Belgicam, Celticam (seu Lugdunensem),& Aquitanicam. Vetus Inscriptio apud Gruterum pag. 375. n. 3. TRES PROVINCIAE GALLIARVM. Vide Pagium in Critice ad dictum annum 121. num. 4, & nostrum Chronic. ad annum sequentem.

119. Nummus Hadriani cum epigraphe in antica, HADRIANVS AVG. COS. III. P.P. Caput Hadriani laureatum: in postica vero, quae heic exhibetur, HISPANIA S.C. Sedet ipsa rupibus innixa: dextra ramum gerit, sinistro cubito frugum canistro innixa: ad pedes habet cuniculum. Oleae ramus, ubertatem illius stirpis in Hispania significat, teste Plinio lib. 15. sec. 3. Patinus in Hadriano pag. 193.: *Hispaniam*, inquit, *decumbentem, cui suum nomen dederat, non deserit cuniculus: hic enim apud Hebraeos dicitur* Saphan, *unde* Σπανία *a Graecis, & a Phoenicibus quasi cuniculosa, Hispania dicta est.* Meminit cuniculi Galenus lib. 3. *de alim. facul.* cap. I. his verbis: *Non igitur opus erit amplius pluribus exequi animalia omnia, quae apud singulas Gentes propriae nascuntur; cujus generis est animalculum in Iberia, quod lepori simili est*, CUNICULUM *vocant*. Huc pertinet & illud *Catulli*: „ *Cuniculosae Celtiberiae fili*. Marcus Varro auctor est, *a cuniculis suffossum in Hispania Oppidum*. Hispaniae cuniculos appellat laudatus Plinius lib. 8. sect. 81. foecunditatis innumerae, famemque Balearibus singulis populatis messibus afferentes. Plura vide apud eumdem Patinum. Anno Christi 121 Hadrianus Hispanias petens, Tarracone hyemavit, ut scribit Spartianus in ejus Vita cap. 12. *Per idem tempus* (inquit) *in honorem Plotinae Basilicam apud Nemausum Opere mirabili extruxit: post haec Hispanias petiit, & Tarracone hyemavit*. Hadrianus ergo Tarracone mansit usque ad mensem circiter Aprilem anni Christi 122. Baronius, quem alii passim sequuti sunt, profectionem Hadriani Hispanicam in annum 122. confert, & in sequentem usque ejus mansionem. Extat Hadriani Num-

Nummus apud Harduinum *de Nummis Antiq. Populorum* cum epigraphe, RESTITVTORI HISPANIAE. Vide Museum Musellianum Tom. I. Tab. 78. numero 1, Angelonum pag.127, Museum Arschotanum Tab. 39. num. 3, Begerum Vol.2. pag. 654, Harduinum pag. 762, Mediobarbum pag. 175, & Montfauconium *Antiq. Expliq.* Tom. III. Part. I. pag. 186.

120. Nummus Antonini Pii cum epigraphe in postica, quae heic exhibetur, TR. POT. COS. III. TIBERIS S.C. Tiberis jacet in hoc nummo solemni Fluminum more, septem Collibus insidens, quibus est Roma imposita, cum scapha, urna, & arundine, amnis insignibus. Tantus erat Antonini erga Romam, Romanosque favor, ut Pallantienses Arcades (quia eorum Majores ad Tiberim Coloniam olim miserant) summis affecerit beneficiis, *Urbem ex Pago fecit, incolis libertatem, & a tributis immunitatem dederit*, ut scribit Pausanias in Arcadicis lib. 8. Nummum hunc Antonino dicavit S. P. Q. R. vel ob expurgatum alveum, aut ob ripam reparatam, seu potius ob pacatum Fluvii Genium ejus temporibus, *illis enim* (inquit Capitolinus in ejus Vita cap. 9.) *fuit & inundatio Tiberis*, quam an. Ch. 140. contigisse colligit Pagius ex alio, fere nostro simili, ejusdem Antonini nummo apud Mediobarbum, in cujus aversa parte habetur, TR. P. III. COS. III. S.C. TIBERIS. Repraesentatur & in eo Tiberis sedentis Simulacrum. Haec inundatio inter adversa, quae Antonini Imperatoris temporibus evenerunt, a memorato Capitolino recensetur. Baronius eam recitat anno xv Antonini Pii, ideoque loco non suo. Accidit enim, ut diximus, anno Christi 140, quo Antoninus in nummis, & in antiqua Graeca Inscript. apud Gruterum p. 316 dicitur, TRIB. POT. III. COS. III. Vide Patinum *de Num. Imp. Rom.* pag. 214, Angelonum pag. 172. n. 18, & Vaillantium *Num. Imp. Rom.* Tom. I. pagin. 79, ac Tom. III. pag. 124.

121. ADVENTVS AVGVSTI IN VRBEM, ex anaglyptico Opere Arcus Trajani, in Constantini Arcum translato. Trajanus, victo Decebalo Dacorum Rege, triumphaturus Romam ingreditur, & Dacicus appellatur. Roma in marmore Globum tenet, quod Imperium a Trajano propagatum indicat. Victoria, Annona, & Pietas comitantur Triumphum. Bellum Dacicum, ut ostendit Emin. Card. Norisius in *Epist. Consulari* pag. 64, & sequentibus, a Trajano susceptum fuit anno Chr. 102. In vetustis lapidibus Gruterianis pag. 177. 2, Trajanus dicitur GERMANICVS. TRIB. POT. VI. Imp. II. COS. IIII. pag. vero 190. 3. TRIB. POT. VII. IMP. IV. COS. IV. DESIG. V. Tribuniciam vero Pot. vi. Trajanus inchoavit sub initium Novembris anni Chr. 102. Nummum Norisius profert ex Museo Mediceo, in cujus antica, IMP. CAES. NERVA TRAIAN. AVG. GERM. P. M. TR. P. VI. in postica vero, IMP. IIII. COS. IIII. DES. V. Alii ejusmodi Nummi apud Occonem Mediobarbi leguntur, in quibus, *ob Victoriam de Dacis*, Trajanus Imperatoris titulum multiplicavit, cum vi Tribuniciam Potestatem ann. Chr. 103. gereret: sed in his *Germanicus* tantum, non *Dacicus* nuncupatur: quod cognomentum Romae triumphaturus de Dacis a Senatu tulit. Nummus argenteus gazae Mediceae habet, IMP. CAES. NERVA. TRAIAN. AVG. GERM. in aversa parte DACICVS. COS. IIII. Sed & in eadem gaza aereus Nummus maximi moduli, in quo additur DES. V., ut in duobus aliis Bononiae, alibique extantibus, in quibus IMP. CAES. NERVA. TRAIAN. AVG. GERM. DACICVS, & in postica, TRIB. POT. VII. IMP. IIII. COS. IIII. DES. V. P. P. S. C. Ibi visitur *Victoria* cum laurea, & Tropaeo, dextro pede Globum tenens. His monumentis permoti (inquit Georgius in adnotationibus ad Criticem Pagii, nosque probavimus in Chronico ad an. Chr. 103.) Norisius, & Fabrettus Vulgares Fastos emendandos esse dixerunt: & cum Victoria Dacica contigerit anno Christi 103, quo anno mense Novembri Trajanus Tribuniciam Potestatem vii. iniit, tunc in Nummis dicitur COS. IIII. DES. V. Hinc in Nummo rarissimo Mediceo signatur Trajanus cum TR. POT. VII. IMP. IIII. COS. V. ubi Imperator in Quadriga Triumphator, dextra laurum, sinistra sceptrum tenet. Demum Nummi aurei Trajani tres in Museo Theupolo eadem confirmant. Nam pag. 160. in altero ex eis legitur in antica, IMP. TRAIANO. AVG. GER. DAC. P. M. TR. P. & in postica DAC. CAP. COS. V. P. P. S. P. Q. R. OPTIMO PRINC. Visitur Dacia lugens, sedens super arma. Alii duo quoque Nummi, ibidem p. 158 & 159. *Dacici* cognomen in antica exhibent: & in postica, COS. V. P. P. S. P. Q. R. OPTIMO PRINCIPI. Extat demum lapis apud Sponium p. 185 Trajano dedicatus ob Victoriam Dacicam. Plura vide

INDICULUS TAB. III. SAEC. II

de apud doctissimum Norisium in *Epochis Syromacedonum* Differt. III. cap. 8. pag. 240. & seqq. Igitur anno Chr. 103. Trajanus, e Dacia Romam redux, de Decebalo Dacorum Rege triumphavit, ut certum faciunt numismata superius allegata, illudque imprimis Mediceum, in quo Trajanus dicitur in antica GERMANICVS DACICVS, & in postica TRIB. POT.VII. IMP. IIII. COS.V., visiturque Trajanus in curru triumphans, qui dextra laurum, sinistra sceptrum tenet. Xiphilinus ex Dione lib. 68. scribit: *Trajanus de Dacis triumphavit, & Dacicus cognominatus est*.

122. Nummus Neronis cum epigraphe in antica, NERO CLAVD.CAES.AVG.GER. P.M. TR. P.IMP. P.P. Caput Neronis sine laurea. In postica vero, quae heic ex parte exhibetur, AVGVSTI POR. OST. S. C. *Augusti Portus Ostiensis. Senatus Consulto*. Vide quae scripsimus de hoc Nummo in Indiculo Tab. II. Saec. I. num. 177, & Dissertationem Doctissimi Viri Marchionis Joannis Petri Lucatelli *del Porto d' Ostia &c.* editam Romae anno 1750. Confer etiam Nicolaum Bergierium *de Publicis, & Militaribus Romani Imperii Viis* lib. 4. apud Graevium Tom. X. pag. 542, & Jo: Baptistam Du Bos in animadversionibus ad eundem Bergierium dicto Tomo X. Thesauri Graeviani pag. 625. item Harduinum *de Nummis Antiquis Populorum* pag. 372, Angelonum pag. 53, Museum Arschotanum Tab.20. num.22, Bellorium pag. 38. num. 8, Erizzum pag. 216, Mediobarbum pag. 90, Patinum p.113, Nummophilacium Reginae Sueciae Tab. 4. num. 16, Vaillantium Tom. I. *Num. Imp. Rom.* pag.22, & Museum Musellianum To.I. Tab. 22. n. 5.

123. Nummus Antonini cum epigraphe in antica, ANTONINVS AVG. PIVS. P.P. TR. P. Caput Antonini laureatum: in postica vero, quae heic exhibetur, REX.QVADIS. DATVS. S. C. Figura togata stans, quae dextram porrigit Regi, prolixa barba, & longo pallio ornato. Anno Christi 174 Victoriam maximam ex Quadis Antoninus retulit. Vide *Chronicum*. Regnum illud, Vannianum est, de quo Plinius lib.4. sect.25. Gens ipsa Quadorum dicta, ut ostendit Harduinus ex Tacito in notis ad Plinii locum mox indicatum. His autem Regem & Antoninus, & Marcus dederunt: id quod Capitolinus prodit in Marci Vita pag. 28: *Quadi autem, amisso Rege suo, non prius se confirmaturos eum, qui erat creatus, dicebant, quam id nostris placuisset Imperatoribus*. Vide Occonem pag.253, & Vaillantium *Num. Imp. Rom.* Tom.I. pag.72, ac 78. Franciscus Blanchinus Patruus meus in *Notis* ad *Anast. Bibl.* Tom. 2. pag.143. in Vita S. Eleutheri Papae sect. XIV. scribit: Erat (ut ex Appiano adnotavit Panvinius *de Rom. Imper.* pag. 25) consuetudo Romanis, ut pluribus Nationibus Reges statuerent, cum nihil iis ad Imperium indigerent. Quare Augustus, & Cajus, & Claudius in Palaestina; & Nero in Armenia; & ultra Euphratem Trajanus Regna adsignarunt: & Lucius Verus, confecto bello Parthico, in Oriente Regibus Regna, Provincias vero comitibus suis regendas dedit, ut in ejus Vita narrat Capitolinus. *Rex Quadis datus ab Antonino* conspicitur in hoc nummo: & in alio apud Angelonum pag. 144, & Vaillantium *Imper. Arsac.* pag. 325 REX ARMENIS DATVS S. C. Visitur in typo Imperator paludatus stans, qui diadema Regi Armeniae imponit.

124. Portus Ostiensis. Exhibet hic iconismus interiorem ejus sinum ex ruderibus delineatum, quem etiam Serlius hexagonum repraesentat. Latera hexagonii singula 1600. palmos latitudinis habebant. Hunc Portum factum a Claudio, Nero in Nummis suum ostentat. Falluntur ii, qui Portus Ostiensis partem Claudio, partem Trajano tribuendam putant: in quam sententiam ivit tamen Ortelius, aliique, quos refellit Cl. Marchio Jo. Petrus Lucatellius in erudita Dissertatione *del Porto d' Ostia*. Extat quidem Trajani Nummus, qui Portum quemdam sex lateribus circumductum exhibet, instar sinus interioris Portus Ostiensis, a Claudio extructi figura hexagona: at ostendimus in Indiculo Tab.2. Saec. I. num. 177, illum Trajani Portum fuisse Centumcellis aedificatum, atque Nummis insculptum cum epigraphe in antica, IMP. CAES.NERVAE. TRAIANO. AVG. GERM. DAC. P. M. TR. P.COS. VI. P.P., & in postica, PORTVM. TRAIANI S. C. Porro utrumque Portus Ostiensis sinum, interiorem nempe, ac exteriorem, a Claudio conditum fuisse, pluribus demonstravimus in dicto Indiculo Tabulae II. loco allegato, & in Indiculo hujus Tabulae III. num. 122.

125. Protome Commodi, Marci Aurelii & Faustinae Junioris filii, ex marmore Xysti Vaticani. Congruens ei fuit corporis modus, praeter aetatis florem, pulchra, virilisque facies, tranquilli, atque micantes oculi, flava

flava, & crispa caesaries, quae, eo io sole ambulante, velut igne qnodam rutilabat. Extat etiam io Museo Capitolioo Commodi juvenile Caput elegantissimum, & quantivis pretii, ob excellentiam operis, & sculpturam erinium. Vide *Museum Capitolinum* To. 2. Tab. 48, in quo plura habentur de Signis Commodi, & de veris lineamentis vultus ejus. Mareus Aurelius pater, spe filii, quem optime, quoad ejus fieri potuit, educari atque institui curaverat, frustratus est. Natus enim Commodus annos decem & novem, cum pater ejus mortuus est, a prima statim juventute turpis, erudelis, impius, improbus, libidioosus, scurram & gladiatorem magis, quam Imperatorem egit; & primis Imperii ioitiis multos Clarissimos Viros occidit. Saeviit in Senatum, & matrem Faustinam, quam etiam io exilium egit. Sororem Lucillam oecidit. Tandem, post saevissimam tyrannidem, Urbem etiam, taoquam Coloniam suam, ioeendi jussit. Sed prohibitus a Laeto Praefecto Peaetorii, facta ab eo, & Electo, in ipsum coospiratione, adjuvante Marcia concubina Commodo dilectissima, veneno inefficaci ei prius exhibito, tandem strangulatus est ætatis XXXII, Imp. XII. Cadaver, Pertinacis jussu translatum fuit in Molem Hadriani. Triduo post ejus mortem, teste Capitolioo, dejectae sunt ipsius Statuae, aliaque monumenta, quae passim io Urbe Roma, magnifica sibi posuerat, ut scribit Patious pag. 259. Quamvis autem Commodus oihilo pene fuerit Nerone deterior, multo tameo aequior M. Aurelio Patre erga Christianos fuit. Quum eoim ipse solus Imperium auspicatus est, accepitque, agi io oostros a Praesidibus, Popnloque, atque ad supplicium, causa Religionis, rapi crudeliter solere; id aegre tulit: & oolle se dixit, nt quisquam in posterum teiopus condemoaretur, qui nullo esset scelere implicatus, quod Reipublicae afferre detrimeotum posset. Noo enim Religionis, quae nihil mali contineat, sed flagitiorum reos extremo supplicio affici debere.

126. Inscriptio Graeca Commodi. Extat Romae in basi marmorea in Horto Pontificio Vaticano, dicto *Belvedere*, atque ita legitur, ὑπὲρ σωτηρίας καὶ ἐπανόδου τοῦ κυρίου αὐτοκράτορος Κομμόδου Σεβαστοῦ οἱ Ναύκληροι τοῦ πορευτικοῦ Ἀλεξανδρίνου στόλου: quae verba ita Latioe sonant: *Pro salute, & incolumitate Domini Imperatoris Commodi Augusti* (seu *veuerandi*), *Naucleri expeditionis Classis Alexandrinae*. Vide Gruterum pag. 114. num. 4. Classis Alexandrina dicebatur, quae ex Aegypto frumeota Romam quotannis deferebat. Primus eam instituit Augustus, Aegypto in Proviociam redacta: cui certum frumenti numerum quotaonis imperavit, egenae plebi Romanae dividendum. Sertorius Ursatus Patavinus in suo Eruditissimo Commeotario, quem inseripsit *de Notis Romanorum*, apud Graevium *in Thesauro Romanarum Antiquitatum* Tom. XI. pag. 612: *Isaens* (inquit) *Casaubonus* ad illa *Suetonii* verba, in Augusto cap. 98, *vectores, nautaeque de navi Alexandrina*, haec adnotavit: *Angustus, Aegypto in Provinciam redacta, certum frumenti numerum qnotannis illi imperavit, egenae plebi Romanae dividendum. Haec est Classis Alexandrina, quae dieitur, cujus tot loeis fit mentio; cujusque insignis fuit praerogativa*, subdit ipse, *nt sola Portnm intraret cum supparo: ceterae naves cum intrabant Capreas, & Minervlae promontorium, velo jubebantur esse contentae. Supparum* vero Alexaodrinum, erat (ut idem ex *Senecae Epist.* 77. notat) *veli linei genus, quod non ad nsum, sed ad indieium gaudii, rebus secundis attollebant nautae.* Haec itaque Classis Alexandrina votū nuncupat pro salute Commodi, quoniam ipse aliam Navalem Classem prudeoter instituit, scilicet *Africanam*; ut ex ulteriori Africa frumentū in Urbem Orbis Domioam veheret. Lampridius io ejus Vita cap. 17. *Classem* (ioquit) *Africanam instituit, quae subsidio esset, si forte Alexandrina frumenta cessassent.*

127. *Sarmatieus Equitatus a Trajano profligatus* ex Opere aoaglyptico, quod extat Romae io Columna ejusdem Trajani, dedicata aono Chr. 114, nt constat ex Stylobatis Inscriptiooe, (de qua vide quae scripsimus in Iodiculo Tab. 2. Saec. II. num. 63). Claris. Moutfauconius Tom. IV. Par. I. *Antiq. Expliq.* pag. 110. Tab. 62. *Pugna sequens* (inquit) *est equitum Romanarum contra Sarmatas eqnites, qui terga dant, & fugiunt: fugiendo tamen Sarmatae, areus vibrant, sagittasque mittnnt more Parthornm. Vestis militaris Sarmatarnm, admodum insolens est: totum stringit eorpus, a collo ad plantam usque pedum; itaut membrorum, mnsenlorumqne motus sub veste compareat, ac si nudi essent: tota vestis, ceu piscis, squamata est in omni prorsus corporis superficie: squamae, ad manum usque, & ad soleam pedis pertingunt: equi pari sunt veste contecti; itaut, aures, ungulaeque pedum detectae compareant; caput*

autem sic opertum est, ut, ultra fraenum, etiam squamae compareant, naresque solae sint apertae. Praeter arcum, & sagittas, Sarmatae gladium habent eadem forma, ac longitudine, qua Romani gladii. Equites Romani tamen, praeter gladios, lanceas tenebant &c. Narrat Pausanias, quo pacto Sarmatae vestem illam militarem squamatam concinnarent. Hi Sarmatae in Dacorum subsidium venerant. Quod in eis observandum, tam studiose illi omnes equini corporis partes squamis tegebant, ut etiam ante oculos quasi asteriscum squamarum apponerent, itaut per intervalla solum radiorum asterisci respicere equi possent.

128. Nummus Marci Aurelii cum epigraphe in antica, M. ANTONINVS. AVG. TR.P. XXIX. *Caput Marci Aurelii laureatum*: in postica vero, quae heic exhibetur, IMP. VII. COS. III. S. C. Rhenus fluvius decumbens cum scapha, & urna. Scribit Lampridius in Commodo, cap. 12 Marcum Aurelium *in Germaniam profectum die 19. Maji*, Pisone & Juliano Coss. nempe an. Chr. 175. Vide Museum Arschotanum Tab. 47. num. 8, Erizzum pag. 494, Harduinum pag. 785, Mediobarbum pag. 225, Patinum p. 234, Vicum Tab. 58. num. 123, & Montfauconium *Antiq. Expliq.* Tom. 3. Part. I. Tab. 113. pag. 188.

129. Opus anaglypticum Trajani, quod extat in Ædibus Capitolinis. Exhibet Romam Deam, & S. P. Q. R., qui integram Orbis Terrarum potestatem ei offerunt. Plinius *in Panegyrico* cap. 59: *Secundum*, inquit, *Consulatum recepisti, quia Princeps, & Pater deferebat: at, postquam ad te Imperii summam Dii transtulerunt, tertium Consulatum recusasti.* Vide Pagium ad annum Chr. 98. num. 3, & numerum 121. Indiculi hujus Tabulae III.

130. Nummus Trajani cum epigraphe in antica, IMP. TRAIANO AVG. GER. DAC. P. M. TR. P. *Caput Trajani laureatum*: in postica vero, quae heic exhibetur, COS. V. P. P. S. P. Q. R. OPTIMO PRINC. DANVVIVS. Danubius jacens cum arundine, qua pingi Fluvii forma solent, nempe ex urna effundentes Amnem: Maro,

Caelataque Amnem fundens pater Inachus urna.

Inter egregia Trajani Opera profecto est numerandus *Pons Danubio impositus*, ut, si Daci, Legiones & Cives Romanos ultra Danubium commorantes in Decebali Regno, quod Trajanus acquisiverat, invaderent tumultu, aut bello, prompta, & expedita cito posset mittere, & transmittere auxilia, & opem laborantibus ferre beneficio tam praeclari Pontis. Ejus meminit Dio Libro LXVIII. scribens: *Trajanus Imperator Pontem lapideum super Istrum statuit, quem ego nec digne quidem habeo admirari. Nam, etsi alia pulcherrima Principis ejus Opera exstant, tamen hoc est super omnia. Pilae igitur ejus sunt XX. e lapide secto, & quadrato, quae altitudinem habent CL. pedum, latitudinem LX. distant inter se CLXX. pedes, fornicibus devinctae. Quomodo autem non aliquis sumptum in istas admiretur? idque in flumine magno, & vorticoso, & fundo ipso infido, & limoso: nam nec avertere quidem cursum fluminis licuit ullo modo. Nec vero de magnitudine fluminis ideo dixi, tanquam ibi maximum sit (immo vero alibi duplo majus est, aut triplo, atque instar pelagi se diffundit); sed quia locus ille arctissimus ibi locorum, & aptissimus ponte jungi, est tantus. Quo autem magis in arctum illud ex lato contrahitur, & rursum in latum se effundit, tanto nimirum & rapidius fluit, & profundius exsistit. Ut hoc quoque difficultatem, atque arduum operis valde auxerit. Magnitudo igitur animi Trajani ex eo quidem constat, non tamen usum nobis nunc praebet: sed pilae dumtaxat stant, quasi in eum finem modo structae, ut documento sint, nihil esse, quod ingenio humano non possit effici.* At Trajani successor Hadrianus (inquit Bergierius *de Publicis, & Militaribus Imperii Romani Viis* lib. 4. apud Graevium Tom. x. pag. 500) e contrario metuens, ne Barbari, custodibus oppressis, illo transirent in Moesiam, & praesidia ibi opprimerent Romana, *superiora Pontis*, teste eodem Dione, jussit dirui, & arcus dejici, qui omnium fuere latissimi, quos unquam homines facere, ac perficere sunt ausi. Aut verius, Hadrianus desperans unquam a se fieri posse aeque magnificum Opus, ex invidia in Optimum Maximumque Principem Trajanum, hoc Orbis miraculum, quale nunquam restitui poterat, corrupit. Reliquiae tam magnifici, & portentosi Operis in medio adhuc visuntur Danubio, ad Ruinas Urbis Warchel in Hungaria, ubi inter pilas, & rudera Pontis duae repertæ sunt Inscriptiones, quae fidem faciunt nobilissimi hujus Operis: prior est haec, *apud Gruterum* pag. CLXIII. 1.

IMP. CAESAR. DIVI. NERVAE. F.
NERVA. TRAIANVS. GERM.
PONT. MAX. TRIB. POTEST.

Altera ibidem reperta Inscriptio, elegantissima

ma est,&alludit ad significationem propriam τῶ PONTIFEX, ut non tam significet Principem Sacris Praefectum,quam eum,qui *Pontem*, omnium ceterorum Pontium Regem,*fecerit*,& sit *vere Pontifex* non tantum nomine, ut reliqui Imperatores, qui a Julii Caesaris aevo *Pontifices Maximi* fuerunt omnes,sed re ipsa, Princeps cetera vere pius, pendens, in administratione Imperii optimus, & rebus gestis maximus, sub quo nihil, quod *Virtus Romana* non posset *domare*, aut perficere, fuerit;cum &Danubium,tantumFluvium,imo Fluviorum inEurppa quasiRegem,*sub jugum rapuerit* magnificentissimi Pontis. Hoc vult Insciptio altera, apud Gruterum pag.CCXLII.9.

PROVIDENTIA
AVG.
VERE . PONTIFICIS
VIRTVS . ROMANA
QVID . NON . DOMET
SVB . IVGVM . ECCE
RAPITVR . ET . DA
NVIVS.

Alfonsus Ciacconius Hispanus, Vir praeclare doctus,*in Histor. utriusque Belli Dacici* ista de Ponte Trajani scribit: *Haec moles, & Pons per saecula memorandus,ab Hadriano Caesare, ex causis non recte perpensis, dirutus & demolitus postea fuit, vestigiis tanti Operis vix relictis: adeo ut hodie incompertus esset locus, nisi opera, & investigatione Johannis Cuspiniani proderetur. Hic enim in Austriae descriptione, in inferiore Pannonia, non procul a Cannisa Oppido situm assignat,ubi proximus existit fons quidam celeberrimus, qui in sanguinem verti solet, obitus vel infortunium ingens Regis Ungariae si immineat, quod multa incolarum experimenta comprobarunt*. Ita ille. Paullus Jovius, florentis ingenii & stili Scriptor, dicit, etiam nunc *triginta sex pilas extare*, & conspici in confinio Valachiae, & Transilvaniae, ad Oppidum*Severinum*.Hic ergo plures XVI.numerat, quam Dio loco laudato. Utri fidem habebimus? Sane, si oculi nunc convincunt ita esse, Jovio credamus oportet. Videant modo, & dicant vicini, qui accolunt, aut qui inspectores ipsi suis oculis possunt arbitrari. Si sit ita, numerus Dionis erit corrigendus, & reformandus: at quis dicet, Dionem nescivisse, aut de opinione istum scripsisse numerum; cum Vir ille insignis peritia rerum, & honoribus, in ipsis iis locis Praeses fuerit Dalmatiae,Pannoniaeque.Itaque scire omnino potuit, & debuit, imo & numeravit, & dimensus est singula, in cura ista rerum scribendarum. Vereor, ut Jovius fuerit, quod etiam alibi, auditionum facilis, & parum diligens examinis, aut veri. Quare Dionis sequamur numeros, & dimensionem: describit ille pilas XX, quae pedes LX. latae sint,quarum fornices XXII sint pedum CLXX; sic, ut totum Opus,ne quidem adnumerando sublicas,longum sit pedes quater mille septingentos quadraginta,qui proxime aequant milliare, sive dimidiam Leucam Francicam: mirifica sane, & prodigiosa Pontis longitudo! Danubius & in Columna Trajana visitur, ubi in undis exhibetur prope anteum. Vide Museum Arschotanum Tab. 35. num. 12, Harduinum *de Nummis Antiquis* pag. 134, Mediobarbum pag. 153, Vicum Tab. 17. num. 50, Montfauconium *Antiq. Expliq.* Tom. 3. Part. I. Tab. 113. pag. 188, & Museum Musellianum Tom. I. Tab. 60. num. 3.

131. Nummus Hadriani cum epigraphe in antica, HADRIANVS AVG. COS. III. P. P. *Caput Hadriani laureatum*: in postica vero, quae heic exhibetur, EXERCITVS RAETICVS S. C. Sedet in equo Imperator paludatus, & adloquitur Cohortes. Vide Angelonum pag. 148. num. 28, Vaillant. *Num. Imp. Rom.* Tom. I. pag. 63, Harduinum *de Nummis Antiquis illustratis* pag. 480, & Museum Theupolum Tom. I. pag. 467. Plures sunt Hadriani Nummi, in quibus legitur, EXERC. RAETICVS. EXERC. BRITANNICVS. EXERC. DACICVS. EXERC. MAVRETANICVS &c. Habuit enim plures in procinctu Exercitus, in iisque Legiones plurimas. Celebre est Favorini dictum sane lepidum, quod Spartianus refert in Hadriano pag. 7: *Favorinus quidem, cum verbum ejus quoddam ab Hadriano reprehensum esset, atque ille cessisset; arguentibus amicis, quod male cederet Hadriano de verbo, quod idonei auctores usurpassent, risum jucundissimum movit. Ait enim: Non recte suadetis, familiares, qui non patimini, me illum doctiorem omnibus credere, qui habet triginta Legiones*.

132. Nummus Trajani cum epigraphe in antica, IMP. CAES. NERVAE TRAIANO AVG. GER. DAC. P. M. TR. P. COS. V. P. P. *Caput Trajani laureatum*: in postica vero, quae heic exhibetur, S. P. Q. R. OPTIMO PRINCIPI S. C. Portus Anconitanus cum navicula. Extant adhuc ex parte marmo-

morea septa, quibus undique vestitus fuit: item suis interstitiis columnae, ad quas Naves alligabantur. Gradus quoque perampli, per quos ad aquas descenditur, atque onera, ac merces extrahi e navibus, evehique in terram solent. Habuisse spatiosas Porticus, multis columnis innixas, cognoscimus ex hoc Nummo; in quo Portus ejusdem forma effigiata visitur, qualis olim erat, cum navicula, quae tutum Portum docet. Vide Angelonum pag. 107, Museum Arschotanum Tab. 33. num. 24, Begerum Vol. 2. pag. 644, Erizzum pag. 310, Mediobarbum pag. 156, Patinum pag. 177, Nummophilacium Reginae Sueciae Tab. 9. num. 55, Vicum Tab. 15. num. 26, Vaillantium Tom. I. *Num. Imp. Rom.* pag. 51, Museum Musellianum Tom. I. Tab. 65. num. 1, & Cl. Montfanconium, qui *Antiq. Expliq.* Tom. 4. Par. 2. Tab. 143. pag. 295 Imaginem profert Arcus ante hunc Portum Anconitanum erecti. Ipse totus est marmoreus, atque ejus Inscriptio mendose edita a Grutero, & laudato Montfauconio, correctior heic exhibetur ex *Itinerario Italiae* Francisci Schotti pag. 83. Edit. 1600.

IMP. CAESARI . DIVI NERVAE . F. NERVAE

TRAIANO . OPTIMO . AVG. GERMANIC.

DACICO . PONT. MAX. TR. POT. XVIIII . IMP. IX.

COS. VI. P. P. PROVIDENTISSIMO . PRINCIPI

SENATVS . P. Q. R. QVOD . ACCESSVM

ITALIAE . HOC . ETIAM ADDITO . EX . PECVNIA . SVA

PORTV . TVTIOREM . NAVIGANTIBVS . REDDIDERIT .

Hic Arcus marmoreus in extrema parte molis seu aggeris est ad ingressum in Portum. Adhuc vero stat integer, cum Inscriptione, quam retulimus. Inter columnas utrinque, hinc legitur PLOTINAE AVG. CONIVGI AVG. inde vero DIVAE MARCIANAE AVG. SORORI AVG. Columnae ordinis Corinthii sunt. Opus est eximium, inquit Serlius: cui concinit Nicolaus Bergierius *de Publicis, & Militaribus Imperii Romani Viis* (apud Graevium Tom. x. pag. 76): scribit enim,, Posterior Arcus Trajani Anconae, primariae Piceni Civitatis, adhuc integer extat in Portu: estque plane admirandus ratione structurae, si ullus. Quamvis enim hodie spoliatus sit præcipuis ornamentis suis, curribus triumphalibus, Statuis marmoreis, & ex ære fusis tropaeis, olim appensis; spectatorum nihilominus oculos, mentemque in stuporem rapit. Materia, & forma, plane sunt exquisitae; symmetria, & pulchritudo totius exactissima. Praecipua Arcus materia, est marmor candidissimum, & politissimum; cujus quadrae tam nitide, & arcte junguntur, ut ne quidem aciem cultri intro admittant: diceres, totum Opus ex uno marmore pario continuo esse perfectum. Quadrae, ex quibus componitur, tam magnae, & crassae sunt, ut, paucis licet ordinibus suggestibusque collocatae, Opus nihilominus valde extollant, oculisque tam a fronte, quam a lateribus exhibeant altitudinem decentissimam, & scoenographiam, juncturamque perfectissimam. Adde, quod industriam, ingenium, & audacem artem mancipis sive redemptoris arguit & commonstrat, omnes exteriores partes, ac veluti membra Arcus, Stylobatas, Bases, Columnas, Capitula, Epistylia, Zophoros, Coronides, singula cum suis anaglyphis, & projecturis, quae ad cujusque faciunt ornatum, non apponi, adjungive extus; sed facere partes continuas vastorum & ingentium illorum marmorum, ex quibus totus Arcus construitur, ex illis ipsis excisas, & exsculptas. Sic ipsi structurae continua ad nostram usque aetatem pleraque perdurarunt, una cum relata Inscriptione, quam vide etiam apud Smet. XI. 3, & Gruter. 247. 6. Trajanus *Optimus Princeps* dicitur in nostro Nummo, quem heic illustrare conamur. Xiphilinus ex Dione lib. 68, postquam de victoriis ex Parthis a Trajano relatis locutus est, ait: *Tum vero multa decreta sunt a Senatu: sed in primis Optimus cognominatus est*: quod etiam Zonaras habet. Illud cognomen sibi a Senatu delatum anno Aerae Chr. 114, Trajanus seq. anno Christi 115. primum admisit. Vide Card. Norisium *de Epochis Syromacedonum* Dissertat. III. cap. 8. §. 2. Tom. II. Edit. Veron. col. 301.

133. *SS. Viduae ac Matronae Romanae, Priscilla Apostolorum Discipula Mater Pudentis*, cujus habemus Coemeterium; *Theopistis cum viro Eustachio Mart.*, cujus habemus Titulum; & *Sabina*, cujus habemus Corpus, & Titulum. Lege Bosium, Severanum, & Aringhium. De S. Priscilla, quæ se, suaque Martyrum obsequio mancipavit, vide Baronium in Annalibus ad an. Ch. 166. num. 2, ac in Annotationibus ad Martyrolog. Rom. die 16. Jan., ubi etiam de ejus Coemeterio agit. De Sancta Theopiste, & Viro

ejus

ejus Eustachio. Martyrologium Usuardi die 2. Novembris haec habet: *Romae, temporibus Hadriani Imperatoris, Passio Beatorum Eustachii, cognomento Placidi, & uxoris ejus Theopistis, cum filiis Agapio, & Theopiste, quorum miri actus leguntur. Horum Festivitas, cum in Kalendis habeatur, heic tamen plenius recolitur*. Dominicus Georgius Vir Cl. in Notis ad Martyrologium Adonis pag. 560. eadem die 2. Novembris adnotavit, a Graecis in *Menologiis* de S.Eustachio, & Sociis agi die xx. Septembris. Extat in Urbe vetustissima S. Eustachii Diaconia, de qua Liber Pontificalis in *Leone III*, & in *Gregorio IV*. Vulgatissima sunt *S. Eustachii* Acta Graeca, Metaphraste auctore, Latine versa apud Lipomanum, & Surium die xx. *Septembris*. Aliorum Actorum elenchus, & encomia citantur a Fabricio Bibliothecae Graecae Tom. IX. pag. 77. At de horum Actorum fide consulantur Baronius ad an. 120. numero VI, ac Tillemontius Tom. 2. pag. 216 & 585. Demum de Sancta Sabina agunt (ut animadvertit laudatus Georgius) Martyrologium Usuardi die 29. Augusti, Ado (qui elogium S. Sabinae ex Actis S. Seraphiae desumpsit, ut monet Sollerius), Rabanus, Notkerus, Wandelbertus, Rhinoviense, Richenoviense, Augustanum, Labbeanum, Corbejense brevius, Beda, Romanum parvum, Martyrologium Reginae Suecorum, Fuldense, Ottobonianum, & Kalendarium Vaticanum 3806. Plura de ea dabunt etiam Notationes Baronii, & Florentinii. Ex Baronii Annalibus ad annum 432. num. 37. disces, dicatam Sanctae Sabinae per id temporis Ecclesiam, etiam hodie celebratissimam, ad quam fit prima & solemnior Statio Fer. iv. Cinerum, ut videre licet apud Frontonē p. 33, & apud vetustos Romanos Ordines, ac Capitularia Euangeliorum veterrima. De ejus cultu, & Actis agunt Bollandiani hac die p. 496.

134. Protome Faustinae uxoris Antonini Pii, ex marmore Capitolino, de qua lege indiculum Tab. II. Saec. II. num. 148, & 149, Patinum pag. 231, Vaillantium *de Num. Imp.* Tom. I. pag. 80, & Cl. Bottarium Tomoll. ejusdem Musei p. 32. Tab. 38, & 39. In *Museo Mediceo* servatur alia ejusdem Augustae imago ex marmore pario elegantissima.

135. Speratum, Narzalem, Cittinum, Felicem, Accyllinum, Laetantium, Januariam, Generosam, Vestinam, Donatam, & Secundam, Christianos sese confitentes, capite truncari praecepit Saturninus Procos. xvi. Kal. Aug. Severo & Vict. Cos., ut legitur in Actis Proconsularibus Martyrum Scillitanorum.

136. *Sedes Alexandrina* a S. Marco Euangelista fundata, ex antiquo Musivo in tholo Ecclesiæ S. Jo: in Fonte Ravennae, apud Ciampinium *Vet. Monim.* Tom. I. Tab. 37. num. 3, & Tab. 70. num. 2. pag. 133. ac 235. S. Marcum, Apostolorum Principis discipulum, Cathedrae Alexandrinae Fundatorem fuisse, constans Graecae, Latinaeque non minus, quam Orientalium omnium Ecclesiarum traditio est. Ea non modo a Severo, ab Eutychio, Elmacino, Auctore Chronici Orientalis, Abulfaragio, Ebnassalo, & Canonum Arabicis Syriacisque Collectionibus perscripta est; verum etiam a Muhamedanis, qui varios rerum Ægyptiacarum Commentarios ediderunt. Hinc vulgatissimus apud omnes titulus EVANGELICAE SEDIS, Alexandrinae attributus, quia ab Euangelista Marco instituta est, ut scribit Doctissimus Eusebius Renaudotius in Historia Patriarcharum Alexandrinorum. Petrus per somnium, apparente sibi Angelo monitus, Marcum Alexandriam, praedicandi Euangelii causa, misit: quod factum est, inquit Severus Episcopus Aschmoninae, anno 35 post Ascensionem Domini, cum prius Romae simul praedicassent. De anno Missionis D. Marci in Ægyptum aliter scribunt non Graeci modo, & Latini, sed etiam Orientales, Chronicum nempe Alexandrinum anno Chr. 40, Caji tertio, Eutychius an. 49. Orientale Chronicum Echellensis propius ad Severi calculos accedit, dum eam Missionem statuit 7 Neronis anno, Jesu Christi 60. Aliter Elmacinus, qui Martyrium Marci assignat primo ejusdem Imperatoris anno; post septennium in Euangelii praedicatione consumptum, atque ita profectio ejus incideret in an. J.C. 53. Verum frustra in Orientalibus libris Chronologiae stabilitas ulla quaerenda est, cum ipsi sibi frequentissime etiam in eadem pagina contradicant. Eusebius, Clementem Alexandrinum narrantem, refert *Hist. Eccl.* lib. 2. cap. 5, Marcum, Romanis petentibus, Euangelium scripsisse, quem Petrus probavit: deinde cap. 6. adjungit, *ceterum hunc Marcum in Aegyptum profectum, Euangelium, quod ille conscripserat, primum illic praedicasse perhibent; & in ipsa urbe Alexandria Ecclesias constituisse*: quae quidem a S. Hieronymo *de Scriptoribus Ecclesiasticis* in Marco transcripta fere leguntur.

7 D At

INDICULUS TAB.III.SAEC.II

At lib. 5. cap. 8. Irenaeum refert, qui lib. 3. cap. 1. narrat, Marcum μετὰ τὴν τούτων (Petri videlicet, ac Pauli) ἔξοδον, *quae a Petro praedicata fuerant, per scripta tradidisse*. Post Petri, & Pauli exitum an Marcus Alexandrinam Ecclesiam fundaverit, nonnulli recentiores exquirunt. Vide Acta SS. Tom. ult. Junii pag. 3., Tillemontium Tom. II. *Monum. Hist. Eccl.* pag. 549. edit. Paris., Bailettum in Vitis Sanctorum Tomo I. Mens. April., & Dupinium Biblioth. Tom. I. pag. 69. Dodvvellus *de Success. Rom. Pont.* pag. 53, Caveus *de Script. Ecclesiast.*, & P. Mamachius *Originum, & Antiquitatum Christianarum* Tomo II. lib. 2. cap. 31, Irenaeo, & Eusebio esse assentionem adhibendam putant; ajuntque, post Petri mortem, Euangelium scripsisse Marcum, antequam in Ægyptum proficisceretur. Etenim (inquiunt) scripserat Euangelium Marcus, auctore Eusebio, antequam in Aegyptum veniret. At illud nonnisi post Petri mortem scriptum, narrat S. Irenaeus lib. 3. *contra Haereses* cap. 1. Obstat tamen (ut ego animadverto cum Bacchinio Parte I. cap. 3. num. 14. *de Originibus Ecclesiasticae Hierarchiae*) omnium Saeculorum traditio, qua docemur, Petro vivente, ac mittente, Marcum Alexandrinam Ecclesiam constituisse. Itaque scripserit Marcus Euangelium Romae, vel ipso Petro vivente, scriptumque probante, quod ait Clemens Alexandrinus apud Eusebium *Hist. Eccl.* lib. 2. cap. 5, vel post Petri exitum, quod Irenaeus narrat; nec ex Clemente, neque ex Irenaeo consequitur, quod ait Eusebius, Marcum, post conscriptum Euangelium, Alexandrinam Ecclesiam fundasse: idque is ex ea hypotesi dixit, quod Petrus anno Claudii secundo Romam venerit. Ceterum Eusebius ipse in Chronico Canone ad Claudii Tertium Consulatum hæc habet, *Marcus Euangelista Aegyptiis, & Alexandrinis euangelizare Christi verbum venit*. Epitome Chronicorum, sicut & Chronicon Paschale, eodem anno primum Antiochenam, deinde Alexandrinam Ecclesiam fundatam dicit: *eodem anno Marcus Euangelista Aegyptiis, & Alexandrinis euangelizare Christi verbum venit: & Ecclesiae apud ipsam Alexandriam fundatae primus Episcopus sedit annis XXII.* Quae referenda putat Bacchinius ad annum Claudii sextum; & multo tempore Euangelii scriptionem praecessisse, si velimus annum Sedis Marci XXII. tenere: quandoquidem anno Vulgari 68, Euangelistam Martyrio affectum (quo dies ejusdem morti praecedens Dominica 29 Pharmuti, seu 24. Aprilis fuit), ex Actis constare asserunt doctiores Chronologi. Franciscus Blanchinus Patruus meus Tom. II. *Anastasii Bibliothec.* pag. 8, & seqq., & p. 39, Marcum asserit Roma in Aegyptum missum a S. Petro anno Aerae Christi Vulg. 41, ut fundaret Sedem Alexandrinam; quae ab eodem Marco fundata, plurium Provinciarum potestatem habuit (quia & Romano Episcopo parilis mos erat); ut constat ex Canone VI Nicæni Concilii, ex Dionysii Versione indicato hoc numero 136 in nostra Tabula, ANTIQUA CONSUETUDO SERVETUR *per Aegyptum, Lybiam, & Pentapolim, ita ut Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem; quia & Urbis Romae Episcopo parilis mos est*. Nonnihil juris Metropolitici ex veterum lectione in Aegyptiaca Dioecesi Nicaenis temporibus clare depraehenditur, ac summa plenissimaque jurisdictio Alexandrini Episcopi in omnes, singulasque Provinciarum suarum Ecclesias. Hujusmodi jus satis exprimit Sanctus Epiphanius Haeresi 78. cap. 1. *Hic enim*, inquit, *mos est Alexandrinorum Archiepiscoporum, ut per totam Aegyptum, ac Thebaidem, Mareotidem, Lybiam, Ammonitidem, ac Pentapolim, Ecclesiastica negotia administrent*. Porro Sedes Alexandrina a Marco fundata, & gubernata, Petrum ipsum habuisse rectorem, fundatoremque censebatur. Quamobrem de Alexandrina, Antiochenaque Sede, cum Romana omnium principe comparata, sic mentionem facit, ac decernit Synodus Nicaena, ut nullam aliam eis conferendam esse constituat. Hinc S. Bonifacius I. in Epist. 15. ad Episcopos Illyrici ait num. 5., *recensete Canonum Sanctiones: reperietis, quae sit post Ecclesiam Romanam secunda Sedes quæve sit tertia.* Sexto Nicaeno Canone ita distinguitur ordo Sedium in Cod. Colbertino, & aliis: *Ecclesia Romana semper habuit Primatum. Teneat autem Aegyptus Lybiae, & Pentapoli* (apud Quesnellium *Pentapolis*) *Primatum, itaut Episcopus Alexandriae harum omnium habeat potestatem: quoniam & Romano Episcopo haec est consuetudo. Similiter autem & qui in Antiochia constitutus est. Itaque & in ceteris Provinciis privilegia salva sint Ecclesiarum*. Ad eundem Canonem respexit etiam S. Leo I Epist. 95. num. 3, ubi Anatolii, qui secundum in Ecclesia locum affectabat, ambitioni intercedit hac ratione: *ad meum tendit reatum, si Paternarum regulae Sanctionum*

num, quae in Synodo Nicaena ad totius Ecclesiae regimen, Spiritu Dei instruente, sunt conditae, me, quod absit, connivente violentur. Et in Epistola 97. num. 3. ad eundem Anatolium inquit: *Doleo, etiam in hoc dilectionem tuam esse prolapsam, ut Sacratissimas Nicaenorum Canonum Constitutiones conareris infringere; tamquam opportune se tibi hoc tempus obtulerit, quo Secundi Honoris Privilegium Sedes Alexandrina perdiderit, & Antiochena Ecclesia proprietatem Tertiae Dignitatis amiserit*. Vide *Chronicum* ad ann. Chr. 41, & *Librum Historicum* cap. 2.

137. Nummus Hadriani cum epigraphe in antica, HADRIANVS AVG. COS. III. P. P. *Caput Hadriani nudum*: in postica vero, quam heic exhibemus, ALEXANDRIA S. C. Figura muliebris humi desidens, quae sinistro cubito innixa frugum canistro, laeva manu pampinum gerit, ac dextra spicas: ante ipsius pedes assurgunt aristae, ob frumenti in ea Regione copiam. Alexandria vero, ideo spicas manu gestat in hoc Nummo indices fertilitatis; quia Aegyptus, cujus illa caput erat, & Siciliam, & Italiam, & Graeciam, totasque pene Maris Mediterranei accolas suis messibus nutriebat. Harduinus *de Nummis Antiquis illustratis* pag. 27. scribit, Pampinum significare vini Mareotici praestantiam, quod & Alexandrinum Athenaeus vocat lib. 1. Restitutam ab Hadriano Alexandriam, auctor est Eusebius in Chronico. Vide Vopiscum in Saturnino, qui pagina 245 Hadriani Epistolam recitat, incipientem, HADRIANUS AUG. SERVIANO COS. *Aegyptum, quam mihi laudabas, Serviane carissime, totam didici....... Et utinam melius esset morata Civitas* Alexandrina, *quae pro sui magnitudine totius Aegypti teneat principatum. Huic ego cuncta concessi, vetera privilegia reddidi, nova sic addidi, ut praesenti gratias agerent*. Chronicum Alexandrinum (ut animadvertit Pagius in Critice ad annum 122, quo Consules processerunt *Acilius Aviola*, & *Corellius Pansa*) habet, *His Coss. Hadrianus in Aegyptum profectus, condidit Antinoum Thebaidis III. Kal. Novembris*, quae Urbs nunc in ruinis jacet, distatque a Nilo decem leucis in Ortum. Hadrianus igitur dicto anno 122 Athenis in Aegyptum profectus est; indeque Athenas rediit, ubi hiemem transegit. Hinc apud Mediobarbum Nummus Hadriani, HADRIANVS AVG. COS. III. P. P. In postica, AEGYPTOS, vel ALEXANDRIA, vel NILVS, vel S. C. RESTITVTORI AEGYPTI. Vide Museum Arschotanum Tab. 39. num. 9, Mediobarbum pag. 174, Patinum pag. 152, Vaillantium Tom. I. *Num. Imp. Rom.* pag. 57, Montfauconium *Antiq. Expliq.* Tom. 3. Parte I. pag. 185, & Museum Musellianum Tom. I. Tabula 77. num. 8.

138. AEGYPTUS. Apostolico Aevo, ut animadvertit Doctissimus P. Bacchinius in Dissertat. *de Originibus Ecclesiasticae Hierarchiae* Parte I. cap. 3. num. 24, licet Pentapolitana regio Africae deputaretur, & Senatus Provincia esset, Aegyptus vero ad Asiam spectaret, & Augusto cessisset; nihilominus tamen, ob frequentiam Judaeorum in Cyrenaica degentium, Cyrene ipsa, sive Pentapolis Alexandrino Episcopo parebat, & Orientalis habebatur. Id vero ne ipsa quidem Constantini, & Successorum ejus aetate mutatum est; cum Imperii typus veterem Ecclesiae formam sit imitatus, & Cyrenaica, quae Apostolorum aevo diversa ab Aegypti Provincia fuerat, recentiori inducta Imperii divisione, ad integram Aegypti Dioecesim accesserit. Ex illis S. Epiphanii verbis (mox relatis in Indiculo hujus Tabulae num. 136), *hic mos est Alexandrinorum, ut per totam Aegyptum, ac Thebaidem, Mareotidem, Lybiam, Ammonitidem, ac Pentapolim Ecclesiastica negotia administrarent*, satis constat, jus Ecclesiasticorum negotiorum per Aegyptiacae Dioecesis Provincias ad Alexandrinum Episcopum pertinuisse, eumque Metropolitico jure usum in universam Dioecesim. Morinus lib. I. *Exercit.* 25. in fine, ex pluribus Synesii Epistolis evincit, Episcopum eundem Cyrenes, Pentapoleos, & totius Cyrenaicae *ex speciali* Alexandrini Metropolitae *designatione, & commendatione* curam gessisse. Ex eodem Epiphanio etiam advertit, id in primis a Petro Alexandrino pro Thebaide non modo, sed & pro tota Dioecesi Meletio commissum, qui proinde inter omnes Aegypti Episcopos facile primas obtineret: *videbatur autem*, inquit S. Epiphanius, *Meletius praeeminere inter Episcopos Aegypti, ut qui secundum locum habebat post Petrum in Archiepiscopatu, velut adjuvandi ejus gratia sub ipso existens, & sub ipso Ecclesiastica curans*. Heic placet ad nostrarum Tabularum illustrationem addere Historiam juris cudendæ monetæ Aegypto collati. Notum est Urbibus, inquit laudatus Bacchinius c. 1. p. 76. quovis nomine Romano Imp. subjectis, offi-

Indiculus Tab.III.Sec.II

officinas Monetariorum ex Augustorum indulgentia concessas: qua de re testes habemus plures Nummos, quorum insigniores videre est in hanc rem apud eruditissimum Spanhemium, *de Praestantia & usu Numismatum*, Dissertat.6. Doctissimus in re Nummaria Vaillantius, post Historiam Ptolemaeorum, adjicit Appendicem, quam appellat *Aegyptum Numismaticam*, in eaque recenses XXIX Urbium Aegyptiarum Numismata, quarum fere omnes Praefecturarum fuere capita, seu Metropoles, uti ex Strabone, Ptolemaeo, Plinio, aliisque probat ipse Clarissimus Scriptor. Omnium primum Numisma Alexandriae est scalptum, & literae in eo signatae L.A. indicant Othonis annum Imperii primum. Reliquarum XIX. referunt in aversa parte cum Urbis nomine literas L. IA. anno undecimo, & in altera parte nomen Hadriani, ΑΥΤ. ΚΑΙ. ΤΙ. ΑΙΛ. ΑΔΡΙΑΝΟC. Una est Coptitarum Trajani, cum literis L.IΓ. anno tertio decimo: quinque Antonini Pii, cum signis L. IH. anno decimo octavo: una demum M. Aurelii M. ΑΥΡΗΛΙΟC. ΚΑΙCΑΡ. absque literis annorum indicibus. Existimant viri in re nummaria versatissimi (atque ego ipsis assentior), priorum Nummorum numerales literas Hadriani adventum in Aegyptum significare, & illum per haec Numismata probari: quibus est, qui addat, Urbes illas ideo Hadriani honori Nummos scalpsisse, quod de Provincia benemeritus fuerit: quare & dicitur RESTITUTOR AFRICAE. Postremum hocce non inficior, inquit idem Bacchinius: at quod dicatur Hadrianus *Restitutor Africae*, ad rem Aegyptiacae Provinciae non facit, quae per ea tempora non Africae, sed Asiae deputabatur. Quod autem per hosce Nummos Hadriani in Aegyptum adventus significetur, qui anno illius Augusti undecimo acciderit, difficultate, ipso auctore, non caret; quamvis alias Hadrianus eo anno in Aegypto degere potuerit: quandoquidem (subdit) id non significant literae numerales in aliis Nummis M. Antonini Pii, qui certe anno Imperii sui decimo octavo in Aegypto non fuit: etenim, Julio Capitolino narrante, *in suis propriis fundis vixit varie, ac pro temporibus: nec ullas Expeditiones obiit, nisi quod ad agros suos profectus est ad Campaniam, dicens, grave esse Provincialibus comitatum Principis etiam nimis parci: & tamen ingenti auctoritate apud omnes Gentes fuit, cum in Urbe propterea sederet, ut undique Nuntios medius, utpote citius acciperet*. Sed nec Trajanum anno Imperii sui tertio decimo, quo ex Syria in Parthos processit, in Aegyptum venisse ex ejus Actis verisimile Bacchinio videtur, nec ex allato Nummo probare tutum esse putat; cum regula, ex Antonini Pii relatis, fallax ipsi videatur. Unus (addit) inter Hadriani Nummos excipitur, ex quo Imperatoris in Aegyptum adventus probatur, non tamen ex literis numeralibus in eo, ut in ceteris, scalptis L. IA., sed ex Imperatoris equitantis figura ad sinistram versi; uti, adstruendae ejusdem rei, bene allegantur ejusdem Augusti Nummi, Romae signati inscriptique *Adventui Augusti Alexandriae*, male vero, qui *Restitutori Africae* inscribuntur, ut supra notatum est. Cum autem numerales notae in tot Hadriani Nummis signatae, quaeque ad eundem annum spectant, minime tempus significent, quo ille in Aegyptum venit; reliquum est, ut ad privilegium aliquod, anno ejus Augusti undecimo Urbibus illis impertitum, referri debeant: & eodem modo explicandus sit Coptitarum Nummus Trajani anno tertiodecimo scalptus, & intelligendi quinque reliqui anno Antonini Pii decimo octavo. Quid ni Jus cudendae monetae illis Civitatibus annis singulorum Augustorum in Nummis signatis concessum intelligamus? Certe nodum earum Urbium Nummi Trajano antiquiores Antiquariis innotuere; & in M. Aurelii Menelaitarum altero nullae numerales literae signantur, quod id decoris habuerint antea Menelaitae. Verum supra omnes anteactos Augustos privilegia, quibus Romana quodammodo fieret Aegyptus, illi contulit Severus, ut ex Spartiano discimus, ad quod referri debet, quod *Coeranus, primus ex Aegyptiis hominibus cooptatus in Ordinem Senatorium, factus est Consul, ut Pompejus, nullo ante gesto Magistratu*, uti Dio Xiphilini testatur. Nec omitti debet, videri post Severum admissos & Patricios, qui Praefecti Augustales in Provincia essent: & certe id factum sub Alexandro probat Dio, qui se, & Consularem, & Aegypto Praepositum narrat. Haec Bacchinius Vir Eruditissimus in Dissertatione *de Ecclesiasticae Hierarchiae Originibus* capite 1. numero XVII. pag. 76. & seqq. Vide Cardinalem Norisium *de Epochis Syromacedonum* Dissertatione V. cap. III. col. 523. Edit. Veron., & nostrum Chronicum, & Indiculum in Othone, Trajano, Hadriano, Antonino Pio, & M. Aurelio.

139. An-

139. Aonulus veterum Christianorum penes Auctorem, cum epigraphe IVSTE. Divinet felicior aliquis, cujas sit iste *Justus*, & quis. Plures Sancti hujus nominis in Persecutionibus Aureliani, & Diocletiani passi leguntur in Sacris Tabulis Ecclesiarum.

140. *Non. Julii* Natalis S. Panthaeni Alexandrini viri Apostolici, qoi tantum studii in Scriptura Sacra, cujus amore flagrabat ardentissimo, propaganda posuit, ut praeco Evangelii ad Orientales Populos ordinatus, ad Indorum usque Regiones se contulerit. Ibi S. Bartholomaeum Apostolum Ecclesiam fundasse accepit, & Hebraicum S. Matthaei Evangelium ibi reliquisse, quod ipse, Alexandriam rediens, secum detulit. Olim extabant multi Panthaeni in Sacram Scripturam Commentarii: sed ipse magis viva voce Ecclesiae profuit. Propter summam, cum in Divinis Literis, tum in saeculari Literatura eruditionem, celebri illi Scholae praefectus est, quae in Alexandrina Ecclesia, a S. Marci Evangelistae temporibus, ad suam usque aetatem floruit, quamque a Viris omni eruditionis genere spectatissimis frequentatam, & illustratam Eusebius testatur lib. 5. *Hist. Eccles.* cap. 10. Floruit Panthaenus sub Severo Imperatore. De illo vide Acta S. Alexandri Hierosolymitani Episcopi & Martyris apud Ruinartium pag. 117, Eusebium loco mox allegato, & alibi passim, S. Hieronymum *de Script. Ecclesiastici* cap. 36, atque in Epistola ad *Magnum*, & antiquiora Martyrologia, a Sollerio, ac Georgio prolata in Notis ad Usuardum, & Adonem, die 7. Junii. Confer etiam nostrum Chronicum ad an. Chr. 180, & Indiculum hujus Tabulae III. num. 41.

141. Liber Sacrorum Evangeliorum, mensae suggestus seu ambonis impositus, ex antiquo Musivo in tholo Ecclesiae S. Joannis in Fonte Ravennae. Vide Ciampinum To. I. *Vet. Monim.* Tab. 37. fig. 1, & Tab. 70. p. 133, & 235. In vetustissima S. Clementis in Urbe Ecclesia duo a dexterâ Chori Ambones adhuc visuntur, alter versus Altare pro Epistola legenda; alter pro legendis Prophetiis versus Populū; tertius vero a sinistris tantisper altior, & ornatior pro Evangelio. Ex Apostolica traditione descendit ritus legendi Evangeliū ad Missam. Tertullianus *Apologet.* cap. 2. *cogimur*, inquit, *ad Divinarum Literarum expositionem*. Idem *de Praescriptionibus* cap. 36, *Legem, & Prophetas, cum Evangelicis Literis miscet*. Vide etiam S. Justinum Martyrem, S. Cyprianum, Concilium Laodicenum, Optatum, S. Hieronymum, S. Augustinum, & Concilium Valentinum in Hispania, celebratum anno Domini 546 (apud alios 524), quo sancitum fuit, ut, post Epistolam, ante Oblationem, Evangelium legeretur, idque ex Veterum Canonum praescriptis. A Beatissimo Petro Apostolorum Principe constitutum est, ut *S. Marci* Evangelium in Ecclesiis legatur, sicut Eusebius *Historiae Ecclesiasticae* lib. 2. cap. 15. tradit ex auctoritate Clementis Romani, & Alexandrini, & Papiae. *Quod cum Petrus* (inquit) *per revelationem Spiritus Sancti cognovisset, delectatus ardenti hominum studio, Librum illum auctoritate sua comprobasse dicitur, ut deinceps in Ecclesia legeretur. Refertur id a Clemente in VI Institutionum libro. Cui testis etiam accedit Papias Hierapolitanus Episcopus &c.*

142. Effigies S. Julii Episcopi Cyrenensis ex antiquo vitro, cum epigraphe, IVLIVS EP. CYREN. Ejus Natalis dies agitur in antiquis Martyrologiis die VI. Novembris. Martyrologium Romanum XIV. Kal. Februarii habet: *in Africa S. Julii*. Plinius lib. 5. cap. 5. pro sui Aevi ratione Aegyptum in varios nomos distinctam describens, Cyrenaicam, seu Pentapolim, Africae tribuit, sicut & Lybiam Mareotim, quam Aegypto conterminam laudat. Cyrene, Urbs erat princeps Regionis Cyrenaicae.

143. Duo vasa Sanguinis in Romanis Arenariis effossa, cum palma, & epigraphe in uno, SANG. *sanguis*, in altero ☧. En geminum aliud exemplum collecti sanguinis SS. Martyrum, & positi in vitreis vasculis, palma & Christi Monogrammate decoratis ad tumulos Christianorum: quod illustrat consuetudinem illam, ab ipsis temporibus persecutionum exortam, plura nos de qua scripsimus in *Indiculo* Tab. III. Saec. I. a n. 9. ad 17.

144. Inscriptio ex Lapide nigerrimo Africano, vel Ægyptio, Q. Junii Rustici. Extat apud Gruterum pag. 222. n. 1. De eo vide Baronium ad annum Chr. 165. num. 2, ubi agit de Actis S. Justini Martyris, & Sociorum ejus, qui sub Rustico Urbis Praefecto morte affecti sunt. Ulpianus D. 49. L. 1. *de Appellat.* laudat rescriptum M. Aurelii, & Lucii Veri *ad Junium Rusticum Praefectum Urbi*, qui in quibusdam aliis Lapidibus *Praetor Urbanus* etiam dicitur. Plures a Grutero Inscriptiones recitantur pag. 221, in quibus legitur, ut in nostro marmore. Vide Pagium ad annum Chr. 162. num. 4.

145. Nummus Marci Didii Severi Ju-

INDICULUS TAB.III.Sac.II

liani. Visitur in antica, quae heic exibetur, caput ejus laureatum cum epigraphe, IMP. CAES. M.DID. SEVER. IVLIAN. AVG. *Imperator Cesar Marcus Didius Severus Julianus Augustus*: in postica vero, RECTOR ORBIS S.C. Imperator togatus stans, qui dextra globum sustinet. Commodo interfecto,& Successore Pertinace, paulo post quam Commodus periit, sublato, Didius Julianus Imperium a militibus Praetorianis, magna vi pecuniae pollicita, mercatus, & Curiam cum armis ingressus, a Senatu, timore perculso, confirmatus est anno Christi 193, Rectorque Orbis appellatus: a quo tamen Senatu post septimestre Imperium capite damnatus est, data cuidam gregario cura, qui obtruncavit eundem in Palatio. Vide *Herod.* lib.2, & *Spart.* in ejus Vita, cap.ult. ubi ait, imperasse Julianum *mensibus duobus*, *diebus quinque*. Vide Museum Musellianum Tomo 1. Tab.144. num. 10, Angelonum pag. 186, Museum Arschotanum Tab. 52. num. 10, Gesnerum Tab.129. num. 28, Harduinum Tab. 144. Medinbarbum pag. 261, Thesaurum Reginae Suеciae Tab.24. num.6, Museum Theupolum pag.561,& Vaillantium *de praest. Num.* pag. 106. Didii Juliani tempore, cum exercituum Duces tres, Severus in Pannonia, Pescennius Niger in Oriente, & Albinus in Galliis Imperium sumsissent, turbata ex dissensione civili Republica, pax Ecclesiae diuturna concessa est.Itaque,quamvis alicubi nostri ab Ethnicis aliquando premi solerent, ut constat ex Actis Martyrum Scillitanorum apud Ruinartium pag. 77; tamen illi furere ubique in Christianos non poterant, ut qui suis rebus prospicere, quam eos, qui nemini incomodo erant, insectari mallent.

146. Nummus Pescennii Nigri. Legitur in antica, quae heic exhibetur, IMP. CAES. C.PESC.NIGERIVS COS.II. *Imperator Caesar Cajus Pescennius Nigerius* (al. *Niger Justus*) *Consul Secundum*. Caput Pescenii laureatum. Patinus *de Num. Imp. Rom.* pag. 273. Pescennius, inquit, Equestris Ordinis homo, statura fuit procera, forma decorus, ore verecundo, ac semper rubido, cervice adeo nigra, ut ab ea, teste Spartiano, Nigri nomen acceperit: cetera corporis parte candidus, pinguis, capillo ad gratiam in verticem reflexo: Miles optimus, Tribunus singularis, Dux praecipuus, Legatus severissimus, Consul insignis, domi, forisque conspicuus, Imperator infelix, ita appellatus ab Exercitu Syriaco post Julianum necatum. Legitur in postica hujus Nummi, quem illustramus, FELICITAS TEMPORVM. In typo, *Canistrum floribus*, *& fructibus refertum*. Temporum felicitas non magis observatur, quam in rei frumentariae abundantia; cui, quum maxime providisset Pescennius, iden canistrum spicis refertum, cum serpente, Felicitatis symbolo, in hoc, & aliis Nummis signatum est. Felix sane Imperium sub ejusmodi providentissimo Principe, ut scribit Vaillantius To.2. *Num.Imp.Rom.* pag. 202. Confer etiam Sertorium Ursatum *de Not.Roman.* apud Graevium To.xi.pag.772.

147. Nummus Clodii Albini, cum epigraphe in antica, quam heic exhibemus, D. CLOD. SEPT. ALBIN. CAES. Decimus Clodius Septimius Albinus, ut scribit Patinus pag. 275, Nobilis Romanus fuit, Adrumeti in Africa natus, statura procera, capillo crispo, fronte lata, admirabili candore, voce muliebri, ad sonum eunuchorum. Cum Severus adversus Pescennium exercitum duceret, metuens, ne Albinus, qui tum Exercitui Britannico praeerat, cum Exercitu Romam veniret, eum Caesarem prius, posteaque Imperii consortem fecit. Victo Pescennio, primum insidiis est petitus: quibus detectis, manifeste contra eum exercitum duxit: multis praeliis vario marte acerrime pugnatum fuit; sed ultimo praelio Lugdunē commissō fusae sunt Albini copiae.Ipse sauciatus,& a Militibus captus, semivivus ad Severum ductus est;cujus abscissum caput pilo prius circumlatum, & Romam missum, publico patibulo affixum est.Corpus ejus ante Praetorium ad faetorem jacuit, laceratumque a canibus, in profluentem conjectum. Cur Albinus cognominatus sit, perbelle ostendit Epistola patris sui Ælio Bassiano data die Natalis ejus, quam in Clodio Albino Capitolinus refert his verbis: *Filius mibi natus est VII. Kalend. Decembris, ita candidus statim corpore, ut linteamen, quo exceptus est, vinceret. Quare susceptum eum, Albinorum Familiae, quae mibi tecum communis est, dedi, Albini nomine imposito. Fac, ut Remp., & te, & nos, ut facis, diligas.* Vide Museum Musellianum Tom.1. Tab.145. num. 2, Angelonum pag.190, Harduinum pag.797, Mediobarbum pag.265, Nummophilacium Reginae Sueciae Tab.24. num.17, Museum Theupolum pag. 561, & Vaillantium *de praest. Num.* pag. 109.

147. Inscriptio Nummi Clodii Albini, editi

editi a Vaillantio *Num. Imp. Rom.* Tom. 2. pag. 208. Legitur in antica circa ejusdem Albini caput, IMP. CAES. CL. SEPT. ALBIN. AVG.: in postica vero, S. P. Q. R. P. P. OB. C. S. intra coronam lauream. Senatus, cum Albino plus faveret, quam Severo, ut scribit Capitolinus, (*a Senatu tantum amatus est, quantum nemo Principum; in odium speciatim Severi, quem vehementer ob crudelitatem oderant Senatores*), ipsi in Victoriae augurium hunc Nummum percussit: de quo lege Epistolam Eruditissimi Viri Josephi Bimardi praefixam Tomo I. *Novi Thesauri Vet. Inscript.* Ludovici Muratorii col. 149.

148. *S. Felicitas cum VII. filiis suis. Habemus Corpus, Coemeterium, & Memoriam: & S. Symphorosa uxor Getulii, item cum VII. filiis suis. Habemus Corpus, & Memoriam.* S. Felicitas martyrium subiit una cum filiis suis circa annum Christi 150. sub Publio Urbis Praefecto, imperante Antonino Pio. Acta Passionis eorum extant apud Ruinartium *in Actis Martyrum sinceris* pag. 21; ac mentio de ipsis habetur etiam in antiquissimo Kalendario Bucheriano. Plura vide in nostro Indiculo Tab. III. Saec. I. n. 6. De S. vero Symphorosa uxore Getulii Martyris, Clarissimi & Doctissimi Viri, ac de eodem Getulio, & septem filiis eorum, passis sub Hadriano Imperatore circa annum Christi 120, vide Acta apud laudatum Ruinartium pag. 18. & seq., qui in praevia Admonitione haec scribit: „ B. Symphorosae, filiorumque ejus martyrii Acta, quae heic exhibemus, in Manuscriptis Codicibus Julio Africano celeberrimo Scriptori attribuuntur. Et quidem fieri potuit, ut in ejus libris de Chronographia (quos accuratissime scriptos fuisse testatur Eusebius lib. 6. *Historiae* cap. 31) inserta fuerint; cum in iis praecipuus eventus, qui ab Orbe Condito, usque ad Heliogabali Imperatoris tempora contigerant, retulerit. Verum, cum id Opus jamdudum perierit, an revera haec Acta Africano sint adscribenda, asserere non ausim: quamvis de eorum sinceritate nullus videatur dubitandi locus. Ea vero profert Ruinartius ex Mombritii, Surii, & Carduli editionibus, cum Codice Bibliothecae Colbertinae collatis. Horum Sanctorum neci occasionem praebuit vicinia celeberrimi illius Palatii, quod in Villa Tiburtina ab Hadriano aedificatum fuisse, testis est Spartianus. Cum enim Imperator hanc Regiam Domum, quam sibi ad delicias construxerat, nescio quibus piacularibus caeremoniis lustrari jussisset, hanc occasionem arripuere Sacerdotes, Symphorosam incusandi, nihil omnino Diis placiturum esse, nisi prius Symphorosa, aut iis sacrificaret, aut ipsa sacrificaretur. Quod ultimum Hadrianus, quem superstitiosiorem ex aliis ejus pluribus factis fuisse constat, exsecutus est circiter annum Christi 120, idest sub Imperii sui primordia: quo scilicet tempore, ut notat Dio Cassius, iste Imperator plurimas caedes fecit. Ceterum horum Martyrum memoria in antiquissimis quibusque Martyrologiis celebratur, quamvis diversis diebus. Romanum quippe, cum Notkero, eos recolit die 18. Julii, Rabanus die 21 ejusdem mensis, Usuardus, & Ado die 21 mensis Junii. In Via Tiburtina supersunt adhuc rudera veteris Ecclesiae, ut Aringhius notat lib. 4. *Romae Subterraneae* cap. 17, quae olim sub eorum nomine Deo consecrata fuerat, hactenusque *ad septem Fratres* vocabulum retinet. Eam autem in eo loco constructam fuisse non dubito, quem Pontifices in Actis *ad septem Biothanatos*, idest violenta morte peremptos, ut notat Baronius ad annum 138, appellarunt. Plura vide apud Doctissimum Josephum Augustinum Orsi Sacri Apostolici Palatii Magistrum in *Hist. Eccles.* Italico idiomate scripta Tom. II. pag. 67. & seq., & pag. 141. & seq.

149. Protome Faustinae junioris, Antonini Pii Imperatoris filiae, & Marci Aurelii uxoris, ex marmore Capitolino. Hujus tanta cum Nummis similitudo est, ut, vel ipsa in vivis adhuc agente, vel ex iisdem Nummis expressa videatur. Egregii Artificis Opus apparet, vestimento opertum mirum in modum caelato. Effossum fuit hoc Signum in Villa Tiburtina Hadriani Imperatoris, ut scribit Cl. Bottarius *Mus. Capitol.* Tom. 2. pag. 34. Extat Inscriptio apud Gruterum pag. 260. num. 6, quae habet,

FAVSTINAE
AVG.
IMP. CAES. T. AELI
HADRIANI . ANTONINI
AVG. PII . P. P. TR. POT. X.
IMP. II. COS. IIII.
FILIAE
M. AVRELI. CAESARIS
VXORI.

Antoninus Pius Augustus, anno Chr. 147, die v. Kal. Martii, annum Tribuniciae Potestatis deci-

decimum, in allato marmore ſignatum, inivit, quo anno, Fauſtina ejuſdem filia ac M. Aurelii Antonini uxor, AUGUSTA eſt nuncupata. At M. Aurelius, *Caeſaris* tantum Titulo eo tempore decoratus fuiſſe dicitur; cum poſt annum XIII, qui fuit Chr. 161, demortuo ſocero Antonino Pio, Titulum Auguſti acceperit; ut ex variis Nummis oſtendit Eminentiſſimus Noriſius *de Epochis Syromacedonum* Diſſert. v. cap. 5. §. 2. Itaque Fauſtina Junior (cujus heic Protomam exhibemus) ante tria luſtra, & quod excurrit, Auguſta vocabatur, priuſquam M. Aurelius ejuſdem maritus eandem dignitatem obtineret. Quare Vaillantius *de Num. Imp. Rom.* Tom. I. p. 87. ſcite adnotavit, Fauſtinam, quae M. Aurelio Imperium tradidit, idcirco ſe Auguſti Pii filiam in Nummis inſcribere, ut Dignitatis Titulum, non tam accepiſſe a marito, quam illi per matrimonium attuliſſe oſtendat. Quod & ipſe M. Aurelius fateri coactus eſt; cum eam impudicam, & adulteram retinere coactus, exclamavit, *ſi repudiamus Uxorem, reddamus ei dotem*.

150.) Nummus Trajani cum epigraphe
151) in antica, IMP. CAES. NER. TRA-
152.) IANO OPTIMO AVG. GER. DAC. PARTHICO P. M. TR. P. COS. VI. P. P. *Caput Trajani laureatum*: in poſtica vero, quae heic tripartite exhibetur, ARMENIA ET MESOPOTAMIA IN POTESTATEM P. R. REDACTAE S. C. Imperator paludatus (qui dextra haſtam, & laeva bacillum Imperatorium gerit) ſtat inter duos Fluvios humi jacentes (Tigrim ſcilicet, & Euphratem), intermediamque Provinciam cum thiara, quae a Trajano calcatur. Trajanus in Armeniam movens, ejecto Parthamaſire, eamdem Romanam Provinciam fecit. In Meſopotamiam ingreſſus, ſplendide exceptus ab Abgaro Rege Oſrhoenorum, Regnum eidem ratum habuit: deinde, expugnata Niſibi, & Batnis, inter Tigrim & Euphratem, Urbibus, quas Rex Parthorum, impoſito praeſidio, tenebat, ab Exercitu *Parthicus appellatus fuit*, nondum tamen a Senatu. Vide *Chronicum* ad annum Chriſti 114, & Spartianum *in Hadriano* pag. 10. Extant Nummi, in quibus Trajanus Cos. VI. obſignatur, cum epigraphe in poſtica (ut in hoc, quem impraeſentiarum ſatagimus illuſtrare), ARMENIA ET MESOPOTAMIA IN POTESTATEM P. R. REDACTAE. In aliis legitur, ARMENIA DEVICTA, vel SVBACTA. In aliis, ADIAB. S. P. Q. R. OPTIMO PRINCIPI. In aliis denique, ARABIA CAPTA, vel ADQVIS. S. C. Ex quibus Nummis, ut inquit Noriſius in *Epiſt. Conſul.* pag. 932 Edit. Veron. ſtabilitur Chronologia, & ſatis evidenter demonſtratur, Armeniam, ac Meſopotamiam poſt annum 112, ac VI. Trajani Aug. Conſulatum Romano Imperio adjectas fuiſſe. Nam, ſi anno U. C. 860. Epochae Chriſtianae 107, ut vulgo hactenus credidere, Trajanus in Syriam venit, ac Armeniam (ejecto ſine praelio, uti Dio teſtatur, Rege a Parthis impoſito), aliaſque Provincias occupavit; cur in Nummis, pleno quinquennio ejuſdem Trajani Conſulatu Quinto obſignatis, nulla captae Armeniae, aut Meſopotamiae, aut Adiabenis literula apparet? Scio, extare Numiſmata Quinto Trajani Conſulatu ſignata, cum epigraphe, ARAB. ADQ. S. P. Q. R. &c. Sed illis indicatur Arabia Petraea, quam Cornelius Palma, nondum finito altero bello Dacico, teſte Dione, devicit. Legitur (ut dixi) in noſtro Nummo IMP. CAES. NER. TRAIANO OPTIMO AVG. GER. DAC. PARTHICO P. M. TR. P. COS. VI. P. P. Doctiſſimus Fabrettus capite 9. eruditi ſyntagmatis *de Columna Trajani* pag. 294, & ſeqq. plurimis Nummorum, ac Lapidum Inſcriptionibus demonſtrat, Trajanum anno tantum Tribuniciae Poteſtatis XVIII, U. C. 868, Chriſti 115, in Nummis cognomen *Optimi*, ante Titulos *Germanici*, ac *Dacici* tuliſſe. Plinius in Panegyrico, quem Conſul deſignatus A. U. 853. recitavit, *Juſtis ne* (inquit) *de cauſis* S. P. Q. R. OPTIMI *tibi cognomen adjecit*? ubi pluribus ejuſdem cognominis Trajano delati dignitatem deſcribit. In Trajani quidem Nummis (inquit mox laudatus Noriſius *de Epochis Syromacedonum* Diſſertatione III. cap. VII. §. 2.) ante Sextum ejuſdem Conſulatum retrorſus legimus, S. P. Q. R. OPTIMO PRINCIPI: verum illud cognomen in anteriori Nummorum parte ante Titulos *Auguſti*, *Germanici*, *Dacici* in Nummorum ac Lapidum Inſcriptionibus ante ejuſdem Tribuniciam Poteſtatem XVIII neutiquam reperitur. Unum heic tantum epigramma altera vice recitabo, quod in Columna Trajani Publico Decreto ſcalptum, etiamnum Romae viſitur,

SENATVS . POPVLVSQVE ROMANVS
IMP. CAESARI. DIVI. NERVAE. F. NERVAE
TRAIANO. AVG. GERM. DACICO. PONTIF.
MAXIMO. TRIB. POT. XVII. COS. VI. P. P.
AD.

AD. DECLARANDVM. QVANTAE ALTITVDINIS MONS. ET. LOCVS. TANTIS OPERIBVS. SIT. EGESTVS.

Anno Urbis 867 Trajanus, usque ad exitum Octobris, annum egit Tribuniciae Potestatis XVII, quo nondum Romae inscribebatur OPTIMUS AUGUSTUS. Dio, cum narrasset, captam a Trajano Armeniam, ait: *tum ei multa a Senatu decreta sunt, & OPTIMUM sive ἄριστον cognominarunt*: & statim memorat terraemotum Antiochenum, qui contigit anno Urbis 868. In quinque Lapidum Inscriptionibus apud Clarissimum Fabrettum pag. 293 cum TRIB. POT. XVIII legitur Trajanus OPTIMVS AVG. GERM. Titulum vero *Parthici* Trajanum eodem A. U. 868, Chr. 115 jam tulisse, luculenter ostendit laudatus Norisius in Epist. Consulari, & in Dissert. 3. *de Epoch. Syromaced.* cap. 8. Et quidem Dio, cum descripsisset memoratum terraemotum, qui magnam Antiochiae partem dejecit, ac ipsum pene Trajanum ibidem hiemantem oppressit, eos inter, qui elisi interiere, *Pedonem Consulem* memorat. Tum subdit, *ineunte Vere, Trajanus in hostilem terram ingreditur*: ac cum narrasset, Trajanum, Tigre superato, Adiabene, aliisque Regionibus in potestatem redactis, Babylonem occupasse, ac Exercitum ab Euphrate iterum ad Tigrim deduxisse, ait, *Ctesiphontem ingreditur: qua urbe capta, Imperator appellatus est, confirmato Parthici cognomine*. Nam ante scripserat, Trajanum, Parthorum praesidiis Nisibi ac Batnis in Mesopotamia pulsis, *Parthicum* a Legionibus appellatum fuisse. Id vero contigerat A. U. 867, Christi 114, ante memoratum terraemotum. Trajanus ergo delatum sibi *Parthici* cognomen tum primum admisit, cum Ctesiphontem, Regiam Parthorum sedem, occupavit, quod contigit laudato anno Urbis 868, Imperii ejus XVIII. Trajanus Romanorum Principum primus fuit, qui Armeniam in Provinciae formam redegerit: &, teste Dione apud Xiphilinum, *bellum intulit Armeniis, Parthisque; quod, ut ipse dicebat, Rex Armeniorum non abs se, sed a Rege Parthorum diadema accepisset*. Cum vero Armeniam occupasset, Parthamasirem Regem Armeniorum punivit. Eutropius lib. 8. ait: *Armeniam, quam occupaverant Parthi, recepit, Pharnace Syro occiso, qui eam tenebat*. Rufus vero in Breviario, *Armeniam*, inquit, *recepit a Parthis: sublato diademate Regi Armeniae majoris regnum ademit*. Ejus tamen successor Hadrianus, quod videbat, Armeniam sine numeroso praesidio teneri non posse, *Armeniis Regem habere permisit, cum sub Trajano habuissent*, ex Spartiano cap. 21. Regem vero ab Hadriano Armeniis datum, colligitur ex verbis laudatis Appiani, qui eodem imperante Historias descripsit. Hujus etiam successores Antoninum Pium, ac L. Verum Reges Armeniae creasse, eorumdem Nummi indicant, inscripti, REX ARMENIS, vel ARMENIÆ DATUS. Scilicet exemplū Augusti secuti sunt, qui id genus Nummos, potentiae ostentandae gratia, cum ea epigraphe cudi jusserat. Hi quidem erant Reges, quorum ditiones Romanas provincias, qua latius per Asiam a Ponto ad Aegyptum usque protendebantur, imperante Augusto, cingebant. Illi pro arbitrio subditis tributa, ac milites imperabant; & si quid gravius contra eosdem peccabant, delati ad Augustum, in judicium vocabantur: siquidem Archelaus Rex Cappadocum a subditis, itemque ejusdem nominis Ethnarca Judaeorum a Primoribus Provinciae apud Augustum delati, Romam evocati sunt. Bello Romanis instante, copias, ab Imperatore jussi, in Romana castra mittebant, ac Legatorum Syriae dictis audientes erant, quoties hostium metus immineret. Scribit de Nerone Tacitus libro 13. *Legionesque ipsas propius Armeniam collocari jubet, duosque veteres Reges Antiochum, & Agrippam expedire copias, queis Parthorum fines intrarent*, idque passim in Historia Romana occurrit. Vide Panvinium *de Imperio Romano* apud Graevium Vol. 1. cap. XIX. pag. 521. 522. & 523, Guidum Pancirolum *de Notita Dignitatum Imperii Orientis* apud eundem Graevium Vol. VII. pag. 1634. cap. CXV, Angelonum pag. 108, & 123. num. 41, Museum Arschotanum Tab. XXXIV. num. 9, Begerum Vol. II. pag. 648, Erizzum pag. 309, Harduinum *de Nummis Antiquis illustratis* pag. 499, & 753, Mediobarbum pag. 162, Nummophilacium Reginae Succiae Tab. X. num. 14, Vaillantium *de praest. Nummis.* pag. 47, & *de Arsacidarum Imperio* pag. 312, Vicum Tab. XXII num. 82, Montfauconium *Antiq. Expliq.* Tom. 3. Part. II. pag. 197, & Museum Musellianum Tom. 1. Tab. LXIX. num. 2.

153. ANTIOCHIA. Nummus Vespasiani cum epigraphe in antica, IMP. CAES. VESP. AVG. P. M. TR. P. *Caput Vespasiani laureatū*: in

In postica vero, quæ heic exhibetur, ANTIOCHIA. Caput muliebre turritum. Urbes multae Antiochiae nomine fuere donatae, ut Geographi norunt. Quae Oronte Amne dividitur, fuit Urbium Orientis maxima, Seleucidarum Regum Sedes, ac postea sub Imperio Romanorum totius Syriæ Metropolis. Condita fertur anno I Olymp. 120, die 22 Artemisii, *Sole exoriente*, teste Joanne Malala Antiocheno. Ad hanc Syriae Metropolim Tristanus, & Patinus *Imp.Rom.Numism.* pag. 142 praesentem Nummum revocant. Antiochenses inter primos Vespasiano, a Legionibus in Imperatorem electo, adhaesere; ut eruitur ex Tacito *Histor.* lib. 2: *Ante Idus Jul. Syria omnis in eodem sacramento &c.* Ipsi ergo hunc Nummum procuderunt; etiam ob ritus contra Judæos ab eo compositos, qui totam Civitatem evertere poterant, & ob collapsam Urbem restitutam. Antiochiae, duae monetae cudendae erant officinae. Pecunia, ad bellum contra Vitellium gerendum, ibidem signata est, ex eodem Historico: *Prima belli cura, agere delectus, revocare veteranos: destinantur validae Civitates exercendis armorum officinis: apud Antiochenses, aurum, argentumque signatur.* Nil mirum ergo, si Antiochia pro solita S.C. nota, quam, ad indicandam facultatem sibi a Senatu cudendae monetae concessam, apponebat, Urbis nomen in hac moneta Vespasiani Imp. percusserit. Caput muliebre turritum, Urbium principum symbolum est, eas fortissimis moenibus cinctas indicans. Vide Vaillantium *de Coloniis* Tom. I. pag. 189.

154. ÆLIA CAPITOLINA. Nummus Hadriani. Legitur in antica, IMP.CAES. HADRIAN. AVG. *Caput Hadriani laureatum*: in postica vero, quae heic exhibetur, COL. AEL.CAP. *Colonia Aelia Capitolina. Aquila Legionaria.* Hadrianus, Hierosolymis instauratis, Æliæ Capitolinæ nomen imposuit, eoque Coloniam deduxit. Vide Chron. ad an. Chr. 130. Harduinus *de Num.Antiq.illustr.* p.12, ad illustrandam epigraphem numismatis, de quo loquimur, scribit: Id nomen Urbi Jerosolymitanae in Nummis Hadriani, Antonini, & M.Aurelii, e Cimelio Christianissimi Regis, ab Aelio Hadriano datum. Plinius lib. v. sect. xv. *Judaea*, inquit, *dividitur in Toparchias decem .... Orinem, in qua fuere Jerosolyma, longe clarissima Urbium Orientis, non Judaeae modo.* Non dixit *sunt*, sed *fuere*: nulla enim prorsus erant, cum Plinius haec scriberet: a Tito nempe, & Vespasiano patre deleta; quae fuere postea ab Hadriano instaurata. Conferatur D.Hieronymus, qui *in Act. Apostolor.*,, *Hierusalem*, inquit, *Metropolis quondam totius Judaeae, quae nunc ab Aelio Hadriano Caesare, quod eam a Tito destructam latiore situ instauraverit, Aelia cognominata est; cujus ope factum est, ut Loca Sancta, idest Dominicae Passionis, & Resurrectionis, sed & Inventionis S.Crucis, quondam extra Urbem jacentia, nunc ejusdem Urbis muro Septentrionali circumdentur.* Postquam ergo Hadrianus Judaeorum Gentem rebellantem maximis cladibus contudit, ac Syros, una cum Deorum cultu, in illorum Urbes induxit; nova passim nomina iisdem Urbibus imposita fuere, ut nulla deinceps rebellium memoria esset reliqua. Ita in proximo Hierosolymis Solo, Urbs nova condita, de nomine Aelii Hadriani, ac Romani Capitolii, *Aeliæ Capitolinae* nomen retulit. Laudatus Harduinus *de Num. Antiq.* p. 562. scribit, hunc Nummum, insculptum COL.AEL.CAP, ab Holstenio *ad ignobile Syriae Coeles Oppidulum Capitoliadem revocari; cum ad Hierosolymam spectare palam sit*: quam Urbem ab Imperatore Tito Caesare dirutam, Hadrianus denuo excitans, de suo, ut dictum est, Romanique Capitolii nomine nuncupavit. Equidem recte Harduinus hunc Nummum, Latine inscriptum, non ad Capitoliadem Syriae Coeles, sed ad novam prope ruinas Hierosolymorum ab Hadriano extructam Urbem revocat. Dio enim apud Xiphilinum de eodem Principe scribit: *cum autem in Urbem Hierosolymam, quae eversa fuerat, quamque* AELIAM CAPITOLINAM *appellavit, Coloniam deduxisset &c.* Quare etiam a Ptolemaeo libro 5. cap. 15. in Coele Syria, *Capitolias*; in Palaestina vero, *Hierosolyma, quae dicuntur Aelia Capitolina*, recitantur. Ita Norisius *de Epochis Syromacedonum* Dissert. 3. cap. 9. §. 4. qui addit, falli eundem Harduinum pag. 13, ubi laudat Nummum inscriptum AEL. MVN. COMM. *Aelium Municipium Commodianum*, eumque eidem Aeliae Capitolinae tribuit. Scio (inquit) quasdam Colonias in Municipia postea mutatas. Cicero in Philippica XIII. commendat *lautissimum Oppidum, nunc Municipium honestissimorum quondam Colonorum Suessam*: quam Urbem Romani, L.Papirio Cursore & C.Junio Bubulco Coss. A. U. Romae 441 Coloniam fecerant. At Aelia Capitolina post Imperium Commodi Colonia in Nummis Elagabali inscribitur: & in Synodo Hierosolymitana

tana

tana, anno Christi 536 celebrata, initio statim legitur, *in Colonia Aelia Metropoli, sive Hierosolymis*. Quare Aelia Capitolina, ea Colonia, neutiquam in Municipium mutata est. Adde, falsam esse laudati ab Harduino Nummi epigraphem. Nam V. Cl. Vaillantius aliter ejusdem Imperatoris Commodi Nummum inscriptum dicit, videlicet AEL. MVN. COEL. quam Inscriptionem, in aliis etiam Nummis Impp. Caracallae, Macrini, ac Treboniani scalptam, idem Harduinus pag. 120. interpretatur, *Aelium Municipium Coelium*. Plura vide apud eundem Norisium loco citato. Ulpianus apud Tyrum in Syria Phoeniciae natus L. 1. tit. *de Censibus* ait: *In Palaestina duae fuere Coloniae, Caesariensis, & Aelia Capitolina*.

155. CÆSAREA PALÆSTINÆ. Nummus M. Aurelii cum epigraphe in antica, IMP. M. AVR. ANTONIN. AVG. *Caput Marci laureatum*: in postica vero, quae heic eahibetur, COL. PRIMA. FL. AVG. CAESAR. *Colonia Prima Flavia Augusta Caesarea*. Caput Serapidis, cum modio, calathove. Plin. lib. v. sect. 14. *Stratonis Turris, eadem* CAESAREA, *ab Herode Rege condita: nunc* COLONIA PRIMA FLAVIA, *a Vespasiano Imperatore deducta*. Harduinus *de Nummis Antiquis illustratis* pag. 111. scribit: *Prima* vocatur, vel *Primana*; quod Primae Legionis milites Colonos haberet, ut in Arelatensium Nummo praemonuimus: Flavia, a Vespasiani nomine. Ulpianus lib. 1. Digest. tit. xv. *de Censibus*, ait: *Divus Vespasianus Caesorienses Colonos fecit &c.* Hieronymus in Chron. anno iv. Olymp. cxci scribit: *Herodes Caesaream in nomine Caesaris condidit, quae prius Turris Stratonis vocabatur*. In vetustis Inscriptionibus mihi nondum occurrit, *Legio Prima Flavia*. At LEG. III. LEG. IV. LEG. X. & LEG. XVI, cum FLAVIÆ appellatione, passim. Vaillantius contra *de Coloniis* Tom. I. pag. 198. animadvertit, quod, cum Legio Prima in Germania inferiori ab Augusto constituta, in Italiam bello civili Vitelliano contra Othonem venisset, eadem deinde a Vespasiano devicta, per Illyricum dispersa est; proindeque credibile non est, veteranos illius a Vespasiano in Coloniam fuisse deductos; sed potius emeritos Legionum, quae in bello Judaico cum eo militaverunt. *Prima* ergo Caesarea dicta videtur, quod illa Metropolis seu Caput Palaestinae esset, ut innuit Tacitus Histor. lib. 2. *Haud dubia destinatione discessere, Mucianus Antiochiam, Vespasianus Caesaream: illa Syriae, haec Judaeae Caput est*. Paulus quoque lib. 50. Digest. Lege a. *de Censib.* adversatur Cl. Harduino, scribens: *Divus Vespasianus Caesarienses Colonos fecit, non adjecto, ut & juris Italici essent; sed tributum bis remisit capitis. Sed Divus Titus etiam Solum immune factum interpretatus est*. Non ergo milites Legionis Primae illuc Coloni deducti sunt; siquidem Vespasianus Colonis *tributum remisit capitis*. At milites Legionarii nullo tributo capitis obligabantur: erant enim Cives Romani, ex quibus solis tunc Legiones veteri instituto conscribebantur. Syri masculi ab anno aetatis xiv. ad lxv, teste Ulpiano Patria Tyrio in lib. 50. Digest. L. a. num. 3, *tributo capitis* obligabantur; ac insuper, ut ait Appianus in Syriacis, *centesimas* solvebant. Syri ergo Caesarienses Coloni facti, remissionem tributi capitis acceperunt a Vespasiano: sed, cum de immunitate Soli Imperator nihil statuisset, videbantur adhuc obligari centesimis. Quare Titus etiam Soli immunitatem iisdem concessit, ut scite scribit Doctissimus Norisius in Paraenesi ad Harduinum, in qua, cur Cęsarea, *Prima, Flavia, Augusta* nuncupata fuerit, diligentissime inquirit. Serapidem Sinope Aleaaudriam advectum, Tacitus, & Plutarchus literis consignarunt. De illius autem calatho loquitur Macrobius *Saturnal.* cap. ao, ubi Serapin non alium esse, quam Solem tradit: *cujus*, inquit, *vertex insignitus* calatho, *& altitudinem syderis monstrat, & potentiam capacitatis ostentat: quia in eum omnia terrena redeunt, dum immisso calore recipiuntur*. Narrat Capitolinus, a Marco Aurelio Serapidem summopere cultum fuisse: additque, Imperatorem *juvenum nobilium sacra Serapidis a vulgaritate Pelusia submovisse*. Cl. P. Mamachius Tom. II. *Orig. & Antiq.* lib. 2. cap. 1. pag. 1a, & seq. haec *de Caesarea* Christiana (quam Tacitus loco citato *Judaeae caput* appellat, Hierosolymis jam excisis) erudite de more adnotavit: „ Aberat ea (nempe Caesarea Palaestinæ) Hierosolymis millia passuum 73, incolasque Apostolorum tempore habebat, qui Christiana instituta consectarentur, ut *Act. Apost.* testantur *cap. x. ver. 1.* Sed quis ejus Ecclesiae primus Episcopus fuerit, non satis constat &c. Ecclesia, quae ab Apostolis constituta in ea Urbe fuit, aucta magis, magisque est Sanctorum Virorum opera, quorum a Deo signis, atque prodigiis confirmata oratio esset. Igitur Caesarienses Christianos Episcopis usque ad Commodi tempora caruisse nunquam

INDICULUS TAB.III.SAEC.II

quam concedam. Secundo autem Saeculo fere exeunte, quae invecta in Caesariensium Civitatem est, ea multis partibus crevit Ecclesia, atque Theophili potissimum, ejusque ministrorum opera stabilita est: Theophilo successit Theochtistus, qui pari cum laude in ea Ecclesia regenda versatus est, ut refert Euseb. *lib.5.cap.23. Hist.Eccl. pag.42. Edit. Cantabr.* Huic medio fere Saeculo III. vita functo, suffectus est Domnus (teste eodem Euseb. *lib.6. cap.19. Hist. pag.222*), qui aliquos strenue pro fide in Ecclesia sua certasse vidit, ut ipse narrat ejusdem *Hist.Eccl.lib.7.cap.14. pag.263.* Domnum Theoctenus Origenis auditor excepit, qui an. Christi 264 interfuit Synodo Antiochenae, quae errores Pauli Samosateni damnavit: quo fere tempore Martyribus etiam claruit Caesariensis Ecclesia; de quibus Euseb. *lib.7.cap.15.pag.263.* Inde Agapius Episcopatu potitus est. Vide Guidum Pancirolum *de Notitia Dignitatum Imperii Orientis* apud Graevium Vol. VII. cap. 107. pag. 1626 (ubi plura ad rem nostram congessit), Spanhemium *ad Constit. Imp. Antonini* Exercit. I. apud eundem Graevium Vol. XI. pag. 57, & Patinum *de Num. Imp. Rom.* pag. 220.

156. BERYTUS. Nummus Trajani cum epigraphe in antica, IMP.CÆS.TRAIANO. AVG. COS. VI. *Caput Trajani laureatum*: in postica vero, quae heic exhibetur, COL. BER. *Colonia Berytus*. Duae Aquilae Legionariae in laurea, quae typum Coloniae exhibent. Berytenses Trajano de Armenia capta gratulantes, hunc Nummum ei dedicarunt. Patinus V.Cl. scribit in Notis ad cap. 22 Suetonii in Julio, nosque in Elencho item scripsimus, Typographi currente rota, Berytum Phoeniciae Urbem, unam fuisse Coloniarum transmarinarum, in quas Julius Caesar Colonos misit; quia Nummus iste cum epigraphe COL. IVL. &c. scalptus est. Verum hanc Urbem non Julii, sed Augusti Coloniam fuisse, docet Ulpianus *de Censibus*, sic de Beryto scribens: *Augusti beneficiis gratiosa, &, ut Divus Hadrianus in quadam Oratione ait*, AUGUSTANA COLONIA, *quae jus Italicum habet*. Eusebius in Chronico ad annum tertium Olymp. 191. U.C. 740. ait, *Coloniae Berytum, & Patras deductae*. In Ancyrano Lapide dicuntur militares *Coloniae ab Augusto conditae, M.Crasso, & Cn. Cornelio Lentulo Coss.* qui A. U. 740 Magistratum gesserunt. Strabo lib. 16. pag. 520. scribit: *Berytus a Tryphone diruta, nunc vero a Romanis instaurata, duabus Legionibus ibi ab Agrippa collatis*. Et sane eo A.U. 740. Agrippa Asiae, ac Syriae praeerat, quo etiam anno Colonos Augusti jussu Berytum misit. Denique in Cimeliis Mediceis servantur duo rara Numismata Elagabali, & Gordiani Imperatorum, cum epigraphe in postica, COL. IVL. AVG. FEL. BER. *Colonia Julia Augusta Felix Berytus*. Plinius lib. 5. cap. 2. ait: *Berytus Colonia, quae Felix Julia appellatur*. Ezechiel Spanhemius Dissert. IX. pag. 878. scribit, ex Actis Synodi Chalcedonensis notas esse *Tyri cum Beryto contentiones, quibus factum est, ut non solum Tyrus Metropolis* Phoeniciae Primae, *Berytus autem* Phoeniciae Secundae *dicerentur*; *sed etiam, ut a Theodosii Junioris temporibus, juxta Notitiam Imperii, Tyrus* Metropolis maritima, *altera vero* Libani *diceretur*. Non possum tamen ad eruditissimi Viri sententiam accedere: nusquam enim legitur, Berytum fuisse Metropolim Phoeniciae Secundae, seu Libani. Theodosius Junior surreptitiis precibus Eustathii Episcopi Beryti deceptus, hocce Decretum emisit: *Propter multas, justasque causas, Metropolitano nomine, & dignitate Civitatem Berytum decernimus exornandam, jam fuit virtutibus coronatam. Igitur haec quoque Metropolitanam habeat dignitatem: Tyro nihil de suo jure derogetur. Sit illa Mater Provinciae Majorum nostrorum beneficio; haec nostro.* Extat haec Sanctio in lib. XI. Cod. Just. tit. 21. Ex hoc Principis decreto Eustathius Beryti Episcopus jus Metropoliticum sibi vindicans, Tyri Metropolitae Dioecesim invadens, sibi subdidit *Byblum, Botrym, Tripolim, Orthosiada, Arcas, & Antaradum*, uti eidem objecit in magna Synodo Chalcedonensi Photius Tyri Metropolita. At memoratae Urbes, erant omnes intra Phoeniciam maritimam, in qua & Berytus Urbs, Byblum inter & Sidonem, censebatur. Itaque Eustathius Episcopus Berytensis in parte Phoeniciae maritimae, non autem in Phoenicia Libani, jus Metropoliticum sibi usurpavit. Theodosius Augustus nondum Metropoleos Titulum Urbi Beryto concesserat; cum diserte pronuntiaverit, *Tyro nihil de suo jure derogetur*. At, cum plurimum eidem Eustathii ambitio derogaret, in Synodo laudata Act. IV. integrum jus Tyrio Archiepiscopo assertum est, Episcopo Berytensi in ordinem redacto. Hinc Epistolam Synodalem Phoeniciae maritimae ad Leonem Augustum subscribunt hoc ordine

ne Episcopi: *Dorotheus* (proximus Photii successor) *Episcopus Tyri*; *Eustathius Episcopus Beryti*; *Megas Episcopus Sidonis &c.* Ita Eustathius, præsumpta Metropolitani potestate privatus, inter Suffraganeos Episcopos Phoeniciae maritimae semet subscripsit. Idem tamen Eustathius, qui Actione IV. ejus Synodi Chalcedonensis jure Metropolitico privatus fuerat die XV. Octobris anni Christi 451, in Act. VI habita die 25. ejusdem Mensis dicitur Episcopus τῆς Βηρυτίων μητροπόλεως, *Berytiorum Metropoleos*, nempe solo nomine talis. Haec ex Norisio *de Cenotaphiis Pisanis* Dissert. I. cap. x. pag. 36, & *de Epochis Syromacedonum* Dissertat. IV. cap. 3. pag. 419.

157. DEULTON. Nummus Trajani cum epigraphe in antica, IMP.CAE. NER.TRA. AVG.GER. P.M.TR.P.COS.III.P.P. *Caput Trajani laureatum*: in postica vero, quae heic exhibetur, C. F. P. D. *Colonia Flavia Pacensis Deulton*. Caput Bovis insculptum. Vide Harduinum *de Num. Antiq.* pag. 137, & Vaillantium *de Colon.* Tom.I.pag.214. Sertorius Ursatus *de Not. Romanor.* apud Graevium Vol.XI. p.630, & Patinus *de Num.Imp. Rom.* siglam hujus Nummi ita legunt, *Colonia Flavia Pacifica Deulton*. Hæc urbs est Thraciae Mediterranea, teste Ptolemaeo, de qua consuleodus Tristanus *in Com. Hist. Impp. Rom.* Tom.2.p.455. Trajani Consulatum III pluribus laudat Plinius *in Panegyri*, de quo etiam vide Card. Norisium *in Epistola Consulari* To.2. Edit. Veron. p.922. Deultum Coloniam, utpote a Vespasiano deductam, Flaviam dictam esse, verisimile est, ex nomine Gentis suę; & Pacensem, ob ejusdem Imperatoris summum erga Deam Pacem cultum, cui Romae Templum ingens Foro proximum condidit. Vaillantius *de Colon.* Tom.I.p.214. animadvertit, ab eodem Imp. Veteranos Deulton deductos, Plinio innuente, fuisse, qui lib.4.c.11. scribit: *Deulton, cum stagno, quod nunc Deultum, Veteranorum &c.* Huic vero nomen *Pacensis*, non *Paciferae*, nec *Pacificae*, ut supra relati Auctores arbitrantur, esse monuit P. Harduinus p.137. ait, Caput Bovis, sacrificium, aut votum pro Trajano factum indicare (in Templis enim Boum capita appendere solebant), forsan pro ejus in Dacos expeditione, quam Tertio Consulatui Comes Mediobarbus assignat pag.140.

158. CARTHAGO. Nummus Septimii Severi cum epigraphe in antica, SEVERVS PIVS AVG. *Caput Severi laureatum*: in postica vero, quam heic exhibemus, INDVLGENTIA. AVGG. IN CARTH. *Indulgentia Augustorum in Carthaginem*. Figura muliebris, quæ leone vehitur; dextra fulmen, sinistra hastam tenens. Huic Nummo ille similis ejusdem Severi est, inscriptus INDVLGENTIA AVG. IN ITALIAM. Indulgentia apud Antiquos, remissio erat tributorum ex annonis, quam Severus Carthaginiensibus fecit. S. Ambrosius relatus a Patino pag.280. scribit: *Nihil gloriosius exitus tanti Principis habuit* (de Theodosio loquitur), *qui, cum omnia jam filiis tradidisset, Regnum, Potestatem, nomen Augusti; nihil, inquam, speciosius ei in mortem servatum est, quam quod immane quantis promissa Annonarum exigendarum relaxatio, dum moratur, facta est successio ejus* INDULGENTIARUM *hereditas*. Porro *Carthaginiensibus plurima indulsit Severus*, teste Spartiano: inter quae numerandum est illud, quod legitur in Digestis *de Censib.* lib.1. Tit.16, *In Africa Carthago a Divis Severo, & Antonino Juris Italici facta est*. Mulier vecta a leone decurrente, est Dea Astarte; quae in quodam etiam Antonini Caracallae Nummo visitur, cum eadem epigraphe, INDVLGENTIA AVGG. IN CARTH. S.C., eumque eadem Figura muliebri leone vecta, quæ dextra ramum, seu hastam, sinistra tympanum gerit. Mediobarbus eam Cybelem interpretatur, ut refert Pagius ad annum Chr.203. num. 2. Ego vero, Deam esse Venerem Caelestem, seu Astartem, ajo, cultam praecipuo ritu a Carthaginiensibus, Sidoniisque; ut ostendit Doctissimus Card. Norisius Tom.II. col. 437, & seq. *de Epochis Syromacedonum* Dissert. IV. cap. V. §. I. ubi inter cetera haec scribit: „ in Cimeliis Regis Christianissimi visitur Numisma Neronis, retrorsus inscriptum, ΘΕΑΣ ΣΙΔΩΝΟΣ. L. ΣΟΡ *Dea Sidonis. Anno* CLXXV, ubi visitur Europa tauro vecta, uti in Trajani quoque Nummo apud Patinum, in quo eadem epigraphe recitatur, cum Epocha Sidonis ZK.... obtrita postrema nota numerali, quae in gemino Nummo ejusdem Regii Cimeliarchii legitur, videlicet ZKΣ, anno CCXXVII. Poetae enim finxerunt, Europam ex agro Sidoniorum, a Jove, tauri imaginem simulante, raptam: unde Ovidius 2. *Metam.* v. 835. ait, Europam Regis filiam ex ea Regione raptam, quam

.... *Indigenae Sidonida dicunt*.

Lucianus sub initium Opusculi *de Dea Syria* ait: *Est autem & aliud Templum in Phoenice magnum, quod Sidonii celebrant Astartes*: quo nomine ejusdem Sacerdotes Europam

INDICULUS TAB.III.SEC.II

Cadmi sororem intelligere testatur, & statim: *Numisma quoque, quo Sidonii utuntur, Europam habet insidentem tauro, Jovi videlicet.* Eusebius in Chronico num. 690. scribit: *Europa a Cretensibus rapta est navi; cujus Insigne, taurus*: unde Jovis in Creta regnantis, in taurum versi, fabula derivavit. Europa, quae Dea Sidonis in Nummis dicitur, eadem & Astarte dicebatur. Tyrii Sidoniorum Coloni, cum Carthaginem postea in Africa condiderunt, Astartes, sive Europae cultum illuc invexerunt. Hanc tamen Carthaginienses *Caelestem* vulgo appellabant; quam etiam non Tauro, sed Leone, uti Cybelem alii, vectam in Nummis scalpebant, quorum ectypa magnis Ecclesiae Annalibus Card. Baronius inseruit Tom. 2. ad annum Christi 210, qui Tomo v. ad annum Christi 399. plura erudite congerit *de Caelesti Dea* Carthaginiensium. Apud Eusebium lib. 1. laudati Operis capite 7. legimus: *imposuit autem Astarte capiti suo Regale insigne Tauri caput*, quo eadem cum Europa esse indicatur. Vide Harduinum *de Nummis Antiquis illustratis* pag. 117. *Carthago* (inquit Mela, scite, ut solet, lib. 1. cap. 7) *nunc Populi Romani Colonia, olim Imperii ejus pertinax aemula: jam quidem iterum opulenta: etiam nunc tamen priorum excidio rerum, quam ope praesentium, clarior.* Ex Urbis ruderibus Tunetum nunc juxta conditum, *Tunis*. Carolus Sigonius de Antiquo jure Provinciarum, apud Graevium Vol. II. lib. 1. pag. 525. cap. 11. scribit: Primum, qui in Provinciis Colonias collocarit, invenio C. Gracchum, qui Carthaginem deduxit in Africa: unde scribit Vellejus: *in Legibus Gracchi, inter perniciosissima numeraverim, quod extra Italiam Colonias posuit. Id Majores diligenter vitaverant; adeo ut Cives Romanos ad censendum ex Provinciis in Italiam revocaverint: prima autem extra Italiam Colonia Carthago condita est.* Haec autem, ut scribit Sertorius Ursatus *de Notis Romanorum* apud Graevium Vol. x1. p. 595, quae dudum fuit aemula Romae, tandem ejus Triumphorum numeros auxit: proinde, *Plinio* teste *Hist. Nat. lib. 5. cap. 4*, Romanorum Colonia in rudera magnae Carthaginis, Julio Caesare curante, deducta fuit: nam, *postquam diu Carthago deserta permansit, eodem fere tempore, quo & Corinthus, rursum a Divo Caesare sub idem fere tempus instaurata est; missis eo Colonis Romanis, quibus liberet, & militum nonnullis*, ut scribit *Strabo de situ Orbis lib. 17.* Unde & *Dio Hist. 43.* de Caesare loquens sic adnotavit: *Addidit hoc etiam suis praeclaris factis, quod Carthaginem, Corinthumque instauravit.* Atque mox: *Corinthum vero, Carthaginemque, Urbes antiquas, splendidas, illustres, quae jam perierant, Colonias Romanorum deduxit.* Augustus vero, eodem Auctore teste *lib. 42, Carthaginem quoque denuo Coloniam deduxit; quia Lepidus, quum partem ejus habitatoribus orbasset, jus Coloniae dissolvisse videbatur*: quod contigit, juxta *Dionis* Chronologiam, anno U. C. DCCXXV, decimo quinto scilicet anno a C. Julii Caesaris deductione. Deduxerat enim illam Caesar, ut *Dioni* videtur, anno U.C. DCCX. Doctissimus Spanhemius *ad Constitut. Antonini Imperatoris* Exercit. II. apud Graevium Vol. x1. pag. 141. „ Ut continuo, *inquit*, recedam ab explicatione omnium Interpretum Novellarum Justinianearum, illud facit, primo, quod nova haec, eaque Gracchi primum, dein felicioribus J. Caesaris auspiciis condita, vel instaurata fuerit in Africa, Carthago, Colonia nempe e Romanis Civibus (quod ex Strabone lib. XVIII. pag. 833, Vellejo lib. 11. cap. 15, Plutarcho in Caesare pag. 734, ac Dione Cassio lib. XLIII. pag. 249, & Nummis praeterea antiquis constat), in eam tum deducta. Unde a Plinio lib. v 1 1. cap. 3, dicitur, *Colonia Carthago magnae in vestigiis Carthaginis*: & in Gestis purgationis Caeciliani cap. 4, *splendidae Coloniae Carthaginiensium*: apud Apulejum (*Florid.*) autem, *splendidissimae Carthaginiensium Curiae, ac splendidissimi ordinis* fit mentio. Nota haud plane est in Romana antiquitate tyronibus (ut liquet ex iis, quae ea de re jam sumus commentati) diversa *Coloniarum, & liberarum Urbium* in Orbe Romano conditio; quum illae, Romanorum utpote Civium, civilibus Quiritium legibus subjacerent; non vero liberae Urbes, quae vulgo suarum legum libertate, & avita Reipublicae forma fruebantur. Unde etiam inter Urbes, quae *sub* Romanorum *legibus agunt, & solemnes* (quibus novi Consules Magistratum inibant) *dies celebrant*, juxta Constantinopolim, Antiochiam, Alexandriam, *Carthago* ab Ausonio in gratiarum actione pro Consulatu recensetur. Adde, quod exin perpetua sedes Proconsulis Africae, qui ibi jus diceret, evasit; dictaque inde *Proconsularis Carthago*, teste Leg. 1. §. 2. C. Just. *de Off. Praef. Praet. Afr.* & acceptae ibi ab Imperatoribus ad eosdem Proconsules, aut ad Vicarios Africae (quod,

vel

vel ex utroque Codice obvium) leges. Quomodo etiam constituto a Justiniano Africae Praefecto Praetorio additur ibidem §. 1. *cujus sedem jubemus esse Carthaginem*: ac praeterea ibidem §. 2, *ut Carthago*, *& Byzacium*, *ac Tripolis Rectores habeant Consulares*; *reliquae vero Numidia*, *Mauritania*, *& Sardinia a Praesidibus gubernentur*. Secundo, quod quaecumque illius novae Carthaginis amplitudo, dein ac felicitas sub Romanis Caesaribus fuerit, seu eorundem Caesarum in eam Urbem Indulgentia, quam praedicant illius Urbis sub Severo, & Antonino Caracalla Nummi, INDVLGENTIA AVGG. IN CARTH. *Indulgentia Augustorum in Carthaginienses*, aut alii sub sequutis Imperatoribus FELIX CARTHAGO, & ad quam respicit ab initio libri *de Pallio* ipse Carthaginiensis Tertullianus, *Principes semper Africae Viri Carthaginienses*, *vetustate nobiles*, *novitate* FELICES, aut quod ab Apulejo *Florid.*, Herodiano lib. VII. cap. 6, Ausonio de claris Urbibus, aliisque, inter primas, non Africae solum, sed Orbis Romani Civitates adnumerari meruerit; nusquam tamen inter *liberas*, vel αὐτονόμους Urbes relata legitur. Neque vero, quod haec Urbs ab iisdem Principibus Severo, & Antonino, juxta Uticam, & magnam Leptim, *juris Italici* (ut id de iis tradit Paulus J. C. Leg. VIII. §. 11. D. de Consil.) *facta* itidem fuerit; ideo, dictis liberis in Orbe Romano Urbibus adscripta inde Carthago: quae & *sub* Romanorum *legibus*, ut de ea dicentem vidimus Ausonium, agebat; & in qua perpetua viguit Romani Proconsulis, aut Vicarii Africae, vel Praefecti Praetorii Africae jurisdictio. Unde de eadem Carthagine, & quam *in Africano Orbe quasi Romam* vocat, Salvianus (*de Gubern. Dei* lib. VII. cap. 16.) addit: *Illic honor Proconsularis*, *illic quotidianus Judex*, *& Rector*, *quantum ad nomen quidem Proconsul*, *sed quantum ad potentiam Consul*. Vide Museum Musellianum Tom.II. Tab. 150. num. 9, Museum Arschotanum Tab. 53. num. 18, Begerum Vol. 2. pag. 691, Gesnerum Tab. 131. num. 46, Mediobarbum pag. 276, Museum Theupoli pag. 212, Patinum *de Num. Imp. Rom.* pag. 280, Vaillantium *de Num. Imp. Rom.* Tom. 2. pag. 118, & Montfauconium *Antiq. Expliq.* Tom. I. Parte I. pag. 7.

159. CŒLLU. Nummus Antonini Pii cum epigraphe in antica, IMP. CAES. T. AEL. ANTONINVS. *Caput Antonini Pii nudum*: in postica vero, quae heic exhibetur, AEL. MVNICIP. COEL. *Aelium Municipium Coellu*. Prora navis, & desuper cornucopiae. Coellu, seu Coillu, quae dicitur *Cullu* Plinio, *Chulli Municipium* Antonino Pio, Κόλλοψ Ptolemaeo, Urbs est Numidiae Litoralis ad Ampsacum fluvium, ad quam hic Nummus pertinere videtur. Ipsa vero *Municipii* epigraphen gerit; & ab Antonino Pio in Itinerario suo, eodem titulo donata est, cum praenomine *Aelii*, quia vel ab Aelio Hadriano patre Pii adoptivo, vel a filio ipso Pio in decus Hadriani Patris, Ælia dicta est. In Collatione Carthaginiensi c. 125. *Victor Episcopus Cullitensis* nominatur. Fuit Cullum, seu Colops magnus, celebre Numidiae Oppidum, Plinio, Ptolemaeo, Antonino, aliisque memoratum, cujus situm in litorario illius Provinciae itinere exhibent Tabulae Peutingerianae. Solinus cap. 27. de Numidia agens, *Urbes*, inquit, *in ea quamplurimae*, *nobilesque*: *sed Cirta eminet*, *dein Cullu*, *purpureo fuco Tyriis velleribus comparata*. Vaillantius *de Coloniis* Tom. 2. pag. 43. typum Nummi, de quo loquimur, ita illustrat: „ Prora navis, *inquit*, situm Urbis ad mare indicat: cornu copiae, illius agrum frugibus, & fructibus abundare arguit: hoc autem idem fuisse existimatur, quod Hercules cum Archelao, in speciem Tauri mutato, congressus, ei detraxit: id Najades acceptum, & omnium fructuum primitiis refertum, Copiae consecrarunt: hujus meminit Ovidius:

Najades hoc pomis, & odoro flore repletum
Sacrarunt, *divesque meo bona* COPIA
CORNU *est*.

Tabellam aeream apud Gruterum p. 362. (in qua legitur, MVNICIPII. CIVIVLITANI.) ad hanc Urbem spectantem, P. Harduinus in Not. ad Plin. lib. 4. pag. 496. ad Cibilitanos Populos Lusitaniae revocat. Vide Fabrettum *Inscrip.* p. 364, Card. Norisium *de Epochis Syromacedonum* Differt. III. Tom. II. col. 339, & Tom. III. *Censur. in Not. Garnerii* col. 1150.

160. TROAS. Nummus Hadriani cum epigraphe in antica, IMP. CAES. HADRIANO AVG. *Caput Hadriani laureatum*: in postica vero, quæ heic exhibetur, COL. AVG. TROAD. *Colonia Augusta Troadensis*. Caput muliebre turritum (Urbis Genius), pone quod vexillum, seu labarum, veteranae alicujus Legionis eo deductae symbolum. Troas, Urbs Phrygiae minoris, non longe a Trojae antiquae ruderibus, Augusto Principe, Colonia facta est; ut nomen AUGUSTAE in plu-

pluribus ejus Nummis arguit. In illis Gallieni, dicitur *Julia Augusta Felix Troas*. Troadenses hunc Nummum Hadriano percusserunt forte ob balnea, & aquaeductus, quibus eorum Urbem ornavit, ut tradit Philostratus in Vita Herodis Sophistæ. Plinius Troadem Coloniam Romanam nuncnpat lib. v. *Hist. Natur.* cap. 30. Ipsa vero Italici juris fuit, ut notat Paulus ad Titulum L. VII. *Dig. de Censibus*, & ad Legem VIII. ejusdem Tituli. Vide Vaillantium *de Coloniis* Tom. I. pag. 233, Patinum *de Num. Imp. Rom.* pag. 221, & Ursatum *de Notis Romanorum* apud Graevium Vol. XI. pag. 626, & 631.

161. SINOPE. Nnmmus Hadriani cum epigraphe in antica, IMP. CAES. HADRIANVS AVG. *Caput Hadriani laureatum*: in postica vero, quæ heic exhibetur, C.I.F.S.AN... *Colonia Julia Felix Sinopensis anno*... Caput modio insignitum, forte est Jovis Sinopitis, (quem Deum eundem esse cum Serapide, produnt Auctores varii), sub ea appellatione ibi maxime culti. Annus deductae Coloniae, qui in hoc Hadriani Imperatoris Nummo est injuria temporum erasus, legitur in alio egregie conspicuus, de quo Doctissimus P. Harduinus *in Num. Antiq. Populor.* haec scribit p. 456, ut Aeram ejusdem Coloniæ Sinopensis illustret: C.R.I.F.S.AN.CCCVIII. *Colonia Romana Julia Felix Sinope. An.* CCCVIII, non, ut Tristanus conjiciebat parum feliciter, G.R.I.F.S., *Gordianus Romanorum Imperator filius Serapidis*. Est Gordiani Junioris Nummus apud eundem Tristanum pag. 508. Sic in Amisenorum Nummis, qui Sinopensibus finitimi sunt, anni concessae libertatis signantur. Itaque coepit Aera Sinopensium anno Urbis Romae 684, Cn. Pompejo Magno, & M. Licinio Crasso Coss., quo anno, Mithridate pulso, Ponticae Urbes Lucullo cesserunt: ab eo enim anno *trecentesimus & octavus annus* occurret ille, quo primum Gordianus solus Imperium iniit, Balbino & Pupieno interemptis, qui Urbis Romae fuit 991. Expugnata inter ceteras a Lucullo Sinope, ut Strabo scribit lib. XII. pag. 546, aliquanto post (nempe, ut ex Nummo colligimus, sub Julio Caesare), Colonia Romana facta est: *nunc Romanorum recepit Coloniam, quae in partem Urbis, agrique venit*. Ulpianus *ad* Tit. Dig. *de Censibus*, scribit; *est in Ponto Colonia Sinopensis*, nempe in Ponto Asiatico. Ovidius lib. I.

Urbs antiqua fuit Ponti celebrata Sinope.

Clarissimus Vaillantius *de Coloniis* Tom. I. pag. 232, discrepantes, *inquit*, Auctorum sententias de ipsius conditoribus legas apud Eustathium ad Periegetae ver. 775. &c. Appianus *de Bello Mithr.* a Lucullo deductam dicit, & a Julio postea, devicto Pharnace Mithridatis filio, Colonis iterum frequentatam. Hic paternum Regnum recuperare, fugato Domitio, teutaverat. De quo Hirtius de Bello Alex. *Pharnaces*, inquit, *rebus secundis elatus, multa Oppida expugnavit: bona Civium Romanorum, Ponticorumque diripuit*. Tunc Julius Caesar, relicta Aegypto, ad eum pervenit, eoque victo, & fugato, inquit Dio lib. 42. pag. 207, *receptis omnibus, quae vel Romanis, vel eorum sociis Pharnaces ademerat, singula iis, qui amiserant, restituit*. Quo tempore Sinope, *Juliae* nomen accepit. Ipsa Aeram signat etiam in M. Aurelii, & Caracallae Nummis: sed in hoc nostro Hadriani typo illa, pro dolor! temporis injuria detrita est. Capnt modio ornatum, Jovis est, seu Ditis, quem Aegyptii Serapidem vocarunt, postquam ejus Statua ex Urbe Sinope Alexandriam asportata est: Ptolemaeus enim Soter Aegyptii Imperii Fundator, cum hanc Urbem Templis exornasset, & ea dedicare vellet, somnio admonitus est, ut ex Ponto Ditis Statuam afferri curaret, quod officium Timotheo commisit, teste Tacito lib. Hist. 4. *Timotheus, quaesitis, qui in Pontum meassent, cognoscit Urbem illic Sinopem, nec procul Templum vetere inter accolas fama Jovis Ditis*. Cujus Statuam cum a Scydrothemide Rege accepisset, ut inquit Plutarchus *de Iside, & Osiride* p. 362, *allata Alexandriam, Serapidis nomen, quo Aegyptii Plutonem afficiunt, invenit*. In hanc Sinopensium Urbem Matthias primum, tum Andreas Apostoli Euangelium praedicarunt, ut scribit Auctor *Actor. S. Andreae*, quae Mss. viderunt Combefisius, & Lequienius *Tom. I. Orient. Christ. pag.* 536. ibique Philologus Sinopensium Episcopus ab Andrea dictus, Martyr occubuit, ut ferunt eadem Acta. Fit autem Philologi mentio in Graecorum Menologiis *ad diem 4. Nov.* De Phoca quoque Sinopensium altero Episcopo & Martyre sub Trajano, adeundi sunt Bollandiani Tom. 3. Julii pag. 629, & seqq., & P. Mamachius Tom. 2. *Origin. & Antiq. Christ.* lib. 2. cap. X. pag. 117.

162. CARRHAE. Nummus Lucii Veri cum epigraphe in antica, AYT. K. Λ. AYP. OYHPOC. *Caput Lucii Veri laureatum*: in postica vero, quae heic exhibetur, KOΛ. AYP. KAPPHNΩN. *Colonia Aurelia Carrhenorum*.

Astrum

Astrum Solis super Lunæ erescentis effigie; quo symbolo Dei Luni cultus, in eo tractu religiosissimus, indicatur. Spartianus in Caracalla pag. 88 scribit, *quoniam Dei Luni fecimus mentionem, sciendum, doctissimis quibusque id memoriae traditum, atque ita nunc quoque a Carrhenis praecipue haberi; ut qui Lunam femineo nomine, ac sexu putaverit nuncupandam, is addictus mulieribus semper inserviat: at vero, qui marem Deum esse crediderit, is dominetur uxori &c.* & pag. 87. *cum inde Edessa Carrhas Dei Luni gratia venisset.* Urbs Carrhensium, ab Augustis M. Aurelio, & Lucio Vero fratribus, in Aureliam Antonini Pii Gentem adoptatis, fuit Colonia constituta. Quare ejus Cives in grati animi monumentum utrique Imperatori Nummos percusserunt. Vide Patinum *de Num. Imp. Rom.* pag. 308. n. 9, & Vaillantium *de Coloniis* Tom. I. pag. 284. Carrhis jus Coloniae, ejusque dignitas vindicatur quoque duplici Nummo, altero Elagabali, in quo legitur, KA. KOA. MH. ΠOA. Δ., & Alexandri Severi altero, cujus epigraphe est, KAPPA. KOΛ. MH. MEC. Δ. Delta, quartam Metropolim indicat; vel, quod eodem recidit, (cum distributa in quatuor Regiones esset ille tractus Mesopotamiae, qui Romanae ditioni suberat), quartæ Mesopotamiæ Carrhenam Civitatem Metropolim esse demõstrat: sic enim legendum Κάῤῥα κολωνία μητρόπολις Μεσοποταμίας τετάρτης. Quatuor Mesopotamiae Metropoles (suorum quaeque conventuum, jurisdictionumque capita), hae sunt: Amida, quae principatum tenuit, & Metropolis Mesopotamiae Primae appellatur in Nummis: Edessa, & Nisibis deinde consecutae: quartum locum in censu Metropoleon obtinuisse Carrhas, memoratus Nummus docet, jam inde ab Alexandri Severi Principatu, ut animadvertit Harduinus in Antirrhetico pag. 70, & 71. adversus Vaillantium, qui pag. 113, & 167 Tomi II, Carrhenorum Civitati Secundae Metropoleos prærogativam dormitando asseruit ex memoratis Elagabali, & Alexandri Severi Nummis, male numerans Delta Graecum.

163. Fluvius Ister, pars inferior Danubii, ex Nummo M. Aurelii, de quo vide Montfauconium *Antiq. Expliq.* Tom. 3, Parte I, pag. 188, Tab. 113. num. 4. Caput ejus emergit aquis; qua scalpi Fluminum formam quandoque solet.

164. Nummus Marci Aurelii cum epigraphe in antica, M. ANTONINVS AVG. GERM. SARM. TR. P. XXXI. *Caput M. Aurelii laureatum*: in postica vero, quae heic exhibetur, IMP. VIII. COS. III. DE SARMATIS S. C. Tropaeum cum duobus captivis, revinctis ad tergum manibus, viro scilicet, ac femina, in signum Victoriae de Sarmatis relatae. Marcus Aurelius Romam reversus, filio Commodo appellato Imp. Augusto die v. Kal. Decembris an. Chr. 176, una cum eodem de Marcomannis, Quadis, Svevis, Sarmatis, Germanisque triumphavit. Lege Chronicum ad eundem annum, & Pausaniam in *Arcadicis*, qui de Marco Aurelio scribit: Ἔθνος τὸ Σαυρομάτων πολέμου καὶ ἀδικίας ἄρξαντας τιμωρούμενος ἐπεξῆλθε: Capitolinus *in Marco* pagina 29. ait: *Pannonias, Marcomannis, Sarmatis, Vandalis, simul etiam Quadis extinctis, servitio liberavit.* Vide Vaillantium *Num. Imp. Rom.* Tom. I. pag. 83, & Tom. II. pag. 171, ac 184: item Museum Arschotanum Tab. 47. n. 12, Occonem pag. 293, Mediobarbum pag. 226, Vicum Tab. 39. num. 68, Patinum in Thesauro pag. 169, Harduinum *de Nummis Antiquis illustratis* pag. 442, & Museum Mussellianum Tom. I. Tab. 122. num. 1. Lampridius in Commodo M. Aurelii filio cap. 2. inquit: „ *profectus est commendatus militibus cum patre in Syriam, & Aegyptum, & cum eo Romam rediit. Post haec, venia Legis Annariae impetrata, Consul est factus: & cum patre Imperator est appellatus quinto Kalendarum Decembrium die, Pollione & Apro Consulibus* (nempe anno Chr. 176) ET TRIUMPHAVIT CUM PATRE. „ Et cap. 12. ait: *triumphavit decimo Kalendas Amazonias iisdem Consulibus*, scilicet Pollione II. & Apro, ideoque decimo Kalend. Januarias dicti anni 176, quo, ut scribit Pagius in Critice, post Sarmatas, Germanosque devictos, pax in Imperio sancita est.

INDICULUS Tab. III. Sec. II

165. Nummus M. Aurelii cum epigraphe in postica, TRAIECTVS AVG. In typo visitur Pons super Danubium fabricatus a Trajano, quem transit M. Aurelius Imperator paludatus cum militibus, praeeunte Victoria. Huic simillimum Nummum recitat Vaillantius in Gordiano Pio To. I. *Num. Imp. Rom.* p. 162, itemque alium cum eadem epigraphe Tom. III. pag. 182, in quo visitur triremis cum tribus remorum ordinibus, & Imperator paludatus sedens in puppi, cui adstant quatuor Praetoriani. Confer, si lubet, nostrum Indiculum hujus Tabulae, num. 130. Marcus Aurelius, Roma relicta, adversus Germanos movit anno Chr. 170, iisque de-

INDICULUS TAB.III.SEC.II

victis, & Commodo filio in Germaniam evocato an. 175 post intellectam rebellionem Cassii, ipse Marcus in Italiam reversus est. Probe noris, id genus Nummos solitos scalpi, cum Impp. Augusti, lustraturi Provincias, vel bellum indicturi, proficiscerentur, fluviosque trajicerent.

166. Nummus Antonini Pii cum epigraphe in postica, SYRIA COS. II. Cybeles sedentis effigies, cum cornucopia. Extat alius ejusdem Imperatoris Nummus cum epigraphe, SYRIA, in Thesauro Goltzii pag. 233, & apud Mediobarbum pag. 193, de quo vide Harduinum *in Num. Antiq. illustr.* pag. 481. Antoninus Pius Consul *iterum* fuit anno Chr. 139, quo, ut animadvertit Baronius, Judaeos rebellantes compressit. Pagius in Critice ad eundem annum num. 4, Judaeorum rebellionem longe post contigisse insinuat. Sed Antoninus Pius insequenti an. 140 Consulatum III. gerebat. Confer alium Antonini Nummum apud Theupolum pag. 485 cum epigraphe in postica, CAPPADOCIA COS. II. In eo Figura Provinciae stans, quae dextra coronam, sinistra vexillum tenet: ad pedes mons Argaeus. Syria cis Euphratem, inquit Norisius in Differt. III. *de Epochis Syromacedonum*, a Geographis quatuor in partes divisa est. Nam superior, quae Ciliciae, ac Cappadociae adhaerebat, Commagene dicta fuit: altera ejusdem Syriae Regio, eo ipso speciali Syriae nomine nuncupata, a Septentrione Cilicia claudebatur; ad meridiem Phoenicia; supra quam etiam a tergo excurrens, Arabia Petrea, ac Palaestina terminabatur. Syria, quae in Romanorum potestatem venit, ab Septentrione Ciliciam, & Cappadociam habebat: ab Occidente, Mediterraneo Mari praetendebatur: ab Ortu vero, eandem Euphrates terminabat; & a Meridie Aegyptus, & partim etiam Arabia Petrea. Galenus lib. I. *de Antidotis* cap. 2. ait; *Apportantur namque mihi quaedam ex magna Syria, quaedam e Palaestina*. Extat apud Gruterum vetus Inscriptio pag. 1091. 5. posita post Imperium Alexandri Severi, ex qua colligitur, id temporis Syriam Superiorem uni Legato Propraetori paruisse; cum alii ab eodem distincti Legati Phoeniciam, ac Palaestinam administrarent.

167. Nummus Antonini Pii. Legitur in postica, PHOENICE. Figura Provinciae stans, quae dextra coronam, sinistra baculum gerit: pone figuram palma arbor. Vide Harduinum *in Num. Antiq. illustr.* pag. 531, & 609, Angelonum pag. 171. num. 7, & Vaillantium *Num. Imp. Rom.* Tom. I. pag. 74. De Phoenice Syriae parte, legendus Plinius lib. v. sect. 17. Phoenicum Insigne, φοῖνιξ palma est; idcirco huic insculpta Nummo. De rebus gestis in Phoenice per Legatos ab Antonino Pio, vide Julium Capitolinum in ejus Vita cap. 5, Baronium ad an. Chr. 141. num. 1, & Pagium in Critice ad an. 139. num. 4. Hadrianus, qui Antoninum Pium adoptavit, Phoenicem a Syria divisit, ut probat idem Pagius ad an. Chr. 128.

168. Nummus Hadriani cum epigraphe in postica, IVDAEA. Imperator togatus stans, dextram porrigit Judaeae genuflexae, quam circumstant tres pueruli. Vide Vaillantium *Num. Imp. Rom.* Tom. 3. pag. 118. Spartianus in Hadriano pag. 3, *Judaeis compressis, &c.* & pag. 7, *Moverunt ea tempestate & Judaei Bellum, quod vetabantur mutilare genitalia.* Itaque compressi ab Hadriano Judaei, imo & Hierosolymae aditu prohibiti. Extant alii *Hadriani* Nummi apud Occonem, Patinum, & Vaillantium, cum epigraphe, IVDAICA EXPEDITIO, vel EXERCITVS IVDAICVS. S. C. Hadrianus anno Aerae Chr. Vulg. 119, abdicato Tertio Consulatu (quem, ut idem Spartianus scribit in ejus Vita cap. VIII, *quatuor mensibus tantum egit*) Roma discessit, & in Palaestinam venit. Auctor Chronici Alexandrini sub Consulibus *Hadriano Aug. III. & Rustico* sic scribit: *His Coss. tumultuantibus Judaeis, Hadrianus venit Hierosolyma, captisque Hebraeis, Terebinthum Urbem, ubi celebritatem publicam instituit, Judaeosque singulos ad equi pretium venales exposuit, relictos Gazam traxit, ibique proposito foro vendidit, festumque diem instituit, qui hodieque appellatur* HADRIANI. *Everso porro Hierosolymorum Templo, condidit duplex Forum, Theatrum item, & Tristegum, seu Trizonium, atque Tetranymphum, & Dodecapylum (aedificium duodecim portarum), quod antea gradus appellabant, & denique Codram. Divisit hinc Urbem in septem Vicos, creavitque septem Vicomagistros, singulisque singulos assignavit Vicos, a quibus hodieque nomina retinent. Urbem, quod ille Aelius Hadrianus diceretur,* AELIAM *nuncupavit*. Sed falsum est, ut animadvertit Pagius in Critice ad eundem annum, Judaeorum Templum Hadrianum evertisse; cum id Vespasiano imperante contigerit. Verosimile tantum est, quod ait Petavius in Animadversionibus Epi-

INDICULUS
TAB.III.SEC.II

Epiphanianis ad librum *de Mensuris, & Ponderibus*, paulatim accidisse, *ut partim Judaei, partim Christiani, sive in superstite illa Urbis parte, sive in propinquo aliquo loco, domicilia collocarint. Quae omnia, una cum veteribus Hierosolymorum reliquiis Hadrianus demolitus est, ac novam a fundamentis Urbem extruxit: non tamen iisdem in vestigiis, quibus prior constiterat; sed, ut in Urbium instauratione saepius usu venit, haud procul a veteri sede*. Huc referendum, quod ait idem Epiphanius in memorato libro *de Ponderibus, & Mensuris* num. 14: *Itaque in Aegyptum profectus, cum Roma discedens, Urbes illas, quae in itinere positae sunt, obire, ac perlustrare vellet, inter ceteras Antiochiam, & Coelem Syriam, Phoenicem, & Palaestinam, quae* JUDAEA *dicitur, anno, quam eversa fuerat, septimo & quadragesimo peragrans, Hierosolymam celeberrimam Urbem, ac nobilissimam contendit, quam Titus Vespasiani filius secundo sui Imperii anno subverterat. Hanc ille solo aequatam, Templum ipsum destructum, ac proculcatum reperit, paucis aedibus exceptis, ac parva quadam Christianorum Ecclesia.* Hadrianus his in Syria fuit. Primum, anno 119, quo novam Urbem Hierosolymitanam aedificavit: Secundum, anno Christi centesimo vigesimo octavo, quo Syriam a Phoenice separare voluit. Tunc itaque Judaei tumultuari coeperunt, ut diximus paullo supra cum Spartiano. Vide Chronicum ad eosdem annos 119, & 128, ac Indiculum Tab. I. Saec. I. n. 48, & Tab. 3. Saec. I. n. 144, 156, 162, 163, 164, 166, 167, 168, 172, 173, & 174.

169. Nummus Hadriani. In postica legitur, ASIA. Figura muliebris tunicata stans, pede dextro prorae navis imposito; quae dextra acrostolium, sinistra temonem inversum tenet. Heic, *Asia* non pro Orientali parte Romani Imperii accipitur, sed pro Provincia Consulari ejusdem Imperii, scilicet pro Asia proprie dicta, quae Proconsuli parebat. Auctor Chronici Alexandrini ad annum Chr. 123, inquit, *Hadrianus Nicomediae, & Nicaeae Fora condidit, & quatuor Regiones, ac moenia, quae Bithyniam spectant. Cyrici praeterea Fanum excitavit, & pavimentum marmore stravit. Nec in paucis aliis illustribus Oppidis Delubra haud pauca a fundamentis extruxit. Alia instauravit, Statuasque multas, ac diversas posuit.* Dicto itaque anno Hadrianus in Asia fuit. Hinc apud Mediobarbum extant Hadriani Nummi Tertio ejus Consulatu notati, cum epigraphe, ADVENTVI AVG. ASIAE, vel BITHYNIAE, vel CAPPADOCIAE, vel CILICIAE, vel PHRYGIAE, vel PAMPHYLIAE, vel LYCIAE, vel SYRIAE. In aliis RESTITVTORI ASIAE, vel BITHYNIAE, vel ARMENIAE, vel CAPPADOCIAE, vel CYLICIAE, vel LYBIAE, vel NICOMEDIAE, vel PHRYGIAE. Asia Provincia Populi Romani, Regionem continebat cis Halym, ac montem Taurum, Galatis exceptis, & Gentibus, quae Amyntae paruerant, Bithynia item, ac Propontide, teste Strabone. Intra Asiaticam Regionem erat Ionia, major quoque ac minor Phrygia, Lydia, Mysia, Caria, ac Pergamus. Hanc sibi ab Attalo testamento legatam, Romani obtinuerant; qui, cum eas tantum in Asia Provincias primo possiderent, easdem Asiae nomine nuncuparunt: cum alias Asia, alteram Orbis Terrarum partem, ab Europa atque Africa distinctam, significaret. Initio erat Provincia Praetoria, quam Senatores Romae Praetura functi sortiebantur. Extant apud Ciceronem plures Epistolae ad Asiae Praetores datae. At, postquam Augusti Decreto Asia Populo restituta fuit, Viri Consulares ad eandem regendam mitti coepere, atque Asia, ex Praetoria, evasit Provincia Proconsularis. Lege Dionem lib. 53 Symbola ornamentorum prorae navis, & temonis in nostro Hadriani Nummo, denotant trajectum maris, sine quo in Asiam ire nullus potest. Vide Vaillantium *Num. Imp. Rom.* Tom. II. pag. 138, Harduinum *de Num. Antiq. Populorum* pag. 75, Montfanconium *Antiq. Expliq.* Tom. 3. Part. I. p. 184, & Card. Norisium *de Cenotaphiis Pisanis* Dissert. 2. cap. xi.

170. Nummus Hadriani. Legitur in antica, HADRIANVS AVG. COS. P. P. *Caput Hadriani laureatum*: in postica vero, quam heic exhibemus, RESTITVTORI BITHYNIAE. Hadrianus togatus Bithyniam turritam in genua procidentem sublevat, quae humeris temonem inversum gerit. Eusebius ad an. Chr. 129. in Chronico, Αὐτὸς Νικομήδειαν σεισμῷ καταπεσοῦσαν καὶ Νίκαιαν πόλεις Βιθυνίας χρήμασιν ἀνεστήσατο. *Ipse*, inquit, *Nicomediam terrae motu collapsam, & Nicaeam, Bithyniae Civitates, sumptu suo instauravit*. Vide supra numero 169 hujus Tabulae, & Paginm ad ann. Chr. 123. n. 2, item Vaillantium *Num. Imp. Rom.* To. I. p. 60, ac 476, & Harduinum *de Num. Antiq. Populor.* p. 94. Extat alter ejusdem Hadriani Nummus cum epigraphe, ΑΥΤ. ΚΑΙC. ΤΡΑ. ΑΔΡΙΑΝΟC.

Indiculus Tab.III.Sec.II

NOC. BEIΘTNIAC. Tertius quoque in insigni Gaza Medicea, in quo legitur, ADVENTVI AVG. BITHYNIAE. Augustus, cum post mortem M. Antonii totius Romani Orbis Imperium occupasset, plerasque Provincias Senatui Populoque Romano regendas dimisit. In Asia sibi retinuit Syriam, Phoenicem, Ciliciam, ac, mortuo Amynta Rege, Galatiam, Lycaoniam, atque Pisidiam, insuper Pamphyliam, ac Cyprum; quam tamen Insulam postea Populo concessit. At Provinciae Senatus ac Populi Romani in Oriente, erant Asia, Bithynia cum Propontide, & quibusdam Ponti partibus, ac Paphlagonia post Philadelphi Regis excessum. De ASIA Provincia vide supra n. 169. hujus Tabulę. Altera Populi Romani Provincia in Asia, erat Bithyuia cum Paphlagonia, ac quibusdam Ponti partibus, Strabo in fine lib. 17. Bithyniam inter decem Populi Romani Proviucias Praetorias numerat. Rector Bithyniae Decreto Augusti Proconsul dicebatur. At qnod ii, qui in Bithynia mittebantur, Praetura, non autem Consulatu defuncti fuerant, Bithynia Provincia Praetoria dicebatur. Verum sub Hadriano Bithynia, ac Pontus, non amplius Populi, sed Imperatoris Provinciae erant, ut ostendit Emin. Norisius *de Cenotaphiis Pisanis* Dissert. 2. cap. 11. Extat vetus Inscriptio *C. Plinii C. F. C. N. Caecilii Secundi* apud Gruterum pag. 454, in qua, (quamvis Legatus Propraetor Trajani Augusti) *Consulari* tantum *Potestate*, non Imperio praeditus inscribitur; quia sine Exercitu, sive Legionibus Bithyniam regebat. Imperium, absolutam belli gerendi, seu rei militaris administrandae potestatem designabat; potestas vero civilis, jurisdictionis exercendae liberam facultatem. Proconsules, stante Rep. semper cum Imperio in Provincias mittebantur: sub Augustis vero, quia pacatis Provinciis praeficiebantur, cum Consulari potestate, sed sine Imperio ac Exercitu in Provinciis sibi a S. P. Q. R. decretis civilem tantum jurisdictionem habebant. Rectori Bithyniae suberat magna pars Ponti, nempe ab Heraclea, quae prior Urbs Ponti erat versus Bithyniam, usque Amisum. Ad jus Proconsulis Bithyniae spectabat etiam Paphlagonia, ex Plinio Epist. 36. lib. 10. quod, antea jussisse Augustnm, colligitur ex M. Agrippa, qui apud seniorem Plinium lib. 5. cap. 27 extra Dioecesim Asiaticam Paphlagoniam collocat, quae ad occasum, Bithyniae; a Septentrione, Ponto erat finitima, ut scribit laudatus Norisius loco supra allegato.

171. Nummus Hadriani. Visitur in antica caput ejus laureatum cum epigraphe, HADRIANVS AVG. COS. III. P. P. In postica vero, quae heic exhibetur, RESTITVTORI PHRYGIAE. S. C. Hadrianus togatus Phrygiam pileatam, ac Phrygio more vestitam, & ramum laeva tenentem supplicis ritu, dextra sublevat. Vide Angelònum pag. 126, Erizzum pag. 384, Harduinum pag. 761, Mediobarbum pag. 177, Nummophilacinm Reginae Sueciae Tab. 13. num. 23, Vaillantium *de praest. Num.* p. 61, & Museum Musellianum Tom. I. Tab. 79. n. 6. Ad annum autem Chr. 123. referendus est Hadriani itus in Phrygiam, ut constat ex Chronico Alexandrino: *Horum* (nempe Q. Arrii Poetini, & Ventidii Aproniani) *Consulatu Apollonius Thianeus naturae satisfecit. Hadrianus Nicomediae, & Nicaeae Fora condidit, & quatuor Regiones, ac moenia, qua Bithyniam spectant. Cyzici praeterea Fanum excitavit, & pavimentum marmore stravit. Nec in paucis aliis illustribus Oppidis Delubra haud pauca a fundamentis extruxit, alia instauravit, Statuasque multas, ac diversas posuit.* Hoc itaque anno Hadrianus in minori Asia fuit, quae Bithyniae ab Aquilone, Galatiae ab Ortu, Pamphyliae, & Lyciae ab Austro, Lydiae, & Mysiæ ab Occasu, confinis erat. Vide Indiculum hujus Tabulae num. 169, & 170.

172. Nummus Hadriani cum epigraphe in postica, CAPPADOCIA S. C. Genius Provinciae stans, qui dextra montem (Argaeum scilicet, cui Caesarea Cappadociae primaria Civitas imposita est, & quo tota fere Provincia attollitur), laevaque labarum gestat. Harduinus *de Nummis Antiquis* pag. 114 „ nihil, inquit, ad praesens negotium attinet, quod Maximus Tyrius Dissert. 38. narrat, Montem Cappadocibus esse Deum, & jusjurandum, & Statuam. Nisi Montem ipsum Argaeum Jovis nomine coluere, ut Casium Seleucienses. Unde in Nummis, ΣΕΛΕΥΚΕΩΝ, ΖΕΥΣΚΑΣΙΟΣ. Vide supra numeris 169, 170, & 171. Spartianus in Hadriano pag. 7. *A Cappadocibus servitia castris profutura suscepit.* Hoc, labarum in Nummo insculptum significat. Exercitus enim Cappadocici vexillum, olim labarum fuit, hoc est signum militare, pensile, ex panno sericove confectum, ima sui parte fimbriatum, ex suprema conti parte, transverso in morem antennae ligno, pendens: cujusmodi sunt vexilla nostra Ecclesiastica, vul-

vulgo *Stendardi*. Tiberius Cappadociam Romanis Provinciis adjunxit. Vide Pancirolum *de Notitia Dignitatum Imperii Orientis* apud Graevium Vol.VII. cap.CXXX. pag.1661, & seqq. Vellejus magnus ejusdem Imperatoris assentator lib. 2. de ipso scribit: *Auctoritate Cappadociam Populo Romano fecit stipendiariam*. At verius Archelaus Tacito dicitur *exceptus immiti a Principe*, ut non auctoritate, sed plane crudelitate usus, Cappadociae Regnum, Provinciam fecerit. Hinc patet, inquit Card. Norisius in Differt. II. *de Cenot. Pis.* cap.12, errasse Appianum in Mithridaticis pag.244, ubi ait, Regnum Cappadociae, imperante Caesare Augusto, in Provinciae formam redactum. Valens Imperator, quo S. Basilii Caesareae in Ponto Metropolitae jurisdictionem Ecclesiasticam imminueret, Cappadociam in duas Provincias divisit, uti tradunt S. Gregorius Nazianzenus Orat.20. de laudibus S. Basilii Magni, ac Gregorius Presbyter in Vita ejusdem Nazianzeni: & tunc primum nomina *Cappadociae Primae*, ac *Cappadociae Secundae* audita sunt: quae vocabula *Primae*, ac *Secundae*, Hadriani Saeculum ignoravit, & primum sub Valente innotuerunt. Hic Secundae Cappadociae Thyana Metropolim fecit; atque Anthimus Episcopus Thyanorum Metropoliticam sibi statim potestatem arrogavit, uti patet ex Epistolis 33,35, aliisque S. Gregorii Nazianzeni. De Nummo, quem heic illustramus, vide Angelonum pag.127, Museum Arschotanum Tab. 39. num.11, Mediobarbum pag. 175, Patinum pag. 191, & Museum Musellianum Tom.I.Tab.77. num.9. Confer etiam nostrum Indiculum hujus Tabulae num.169.

173. Nummus Lucii Veri. Legitur in postica, PARTHIA. Figura Provinciae stans. RESTITVTORI PARTHIAE habet epigraphe posticae alterius Numismatis ejusdem Veri apud Occonem pag. 306. In aliis vero duobus item ejusdem Imperatoris, relatis ab Harduino *de Nummis Antiquis* p.382, legitur, PARTHIA. CAPTA. & VIC. PAR. *Victoria Parthica*. Hanc Victoriam Cassius reportavit auspiciis Imperatorum M. Aurelii, & Lucii Veri: *Profligato autem bello*, inquit Capitolinus, *uterque Parthicus appellatus est*. Huc spectat ille ejusdem Veri Nummus cum epigraphe in postica, ΥΠΕΡ ΝΙΚΗϹ ΚΥΡΙΩΝ. CE. *Pro Victoria Dominorum Augustorum*: Vide Chronicum ad annum Chr.162, 163, & 165. Laudatus Capitolinus, quem Patinus refert pag.255, *Ad Parthicum* (inquit) *bellum Verus a Marco missus est*; *ne, vel in Urbe ante omnium oculos peccaret, vel, ut parsimoniam peregrinatione addisceret, vel ut timore bellico emendatior rediret, vel ut se Imperatorem esse cognosceret &c.* Per se tamen, ut diximus, nihil penitus, sed per Legatos Parthicum bellum confecit: *Etenim* scribit idem Capitolinus, *Statii Prisci opera, & Avidii Cassii post quadriennium devicta est ipsa Babylon, & tota Media, & tota Armenia: quae & Vero, & Marco tunc Romae degenti, Armeniaci, Parthici, Medici nomina pepererunt &c.* Itaque post partas per Legatos victorias, Armeniaci, Parthici, Medici nomen *Vero* delatum est, quod innuit etiam tropaeum triplex in quodam ejusdem Nummo cum Inscriptione, TR.P.VII.IMP.II.COS.II.S.C.

174. Nummus L. Veri cum epigraphe in postica, TR.P.IIII. IMP.II. COS. II. ARMENIA S.C. Figuram Armeniae captivae, & sedentis iste Nummus exhibet. Extat alter ejusdem Veri, inscriptus in parte aversa, ARMEN.CAP. in quo Armenia pileata, ac lugens. Capitolinus in Marco p.25. *ad Parthicum bellum ... Verus missus est... Gestae sunt res in Armenia prospere per Statium Priscum, Artaxatis captis: delatumque Armeniacum nomen utrique Principum*, M. Aurelio, & L. Vero. Huc spectat & tertius ejusdem Nummus, in quo pariter Armenia pileata sedet, cum epigraphe, VICT. AVG. *Victoria Augusti*. Anno Chr.163, Armenia capta, Verus ARMENIACUS dictus est; & anno insequenti legitur in ejus Nummis REX ARMEN. DATUS, vel REX ARMENIIS DATUS, exemplo Augusti qui id genus Nummos potentiae ostentandae gratia cum eadem epigraphe cudi jussit. Capitolinus in Vero p.38. *Confecto* (inquit) *sane bello Parthico, Regna Regibus, Provincias vero Comitibus suis regendas dedit*. Photius, & Jamblicus in Babylonicis tradunt, Regem Armenis datum, Soaemum fuisse, Achaemenis filium, Arsacis nepotem, qui, cum a Vologeso spoliatus fuisset, Romam advectus, Senator, ac inde Consul creatus, demum, post Veri victoriam, Armeniae Rex est denunciatus. Vide Chronicum. Armenia, omnia (Parthico excepto) in Oriente Regna, quæ Romanis cognita erant, magnitudine superabat. Vide Angelonum pag. 166, Erizzum pag. 518, Mediobarbum pag. 235, Patinum pag. 204, & 257, Nummophilacium Reginae Sueciae Tab.60. num. 37, Vicum Tab.64, & Museum Musellianum Tom.I. Tab. 129. num.6.

175. Nummus Trajani cum epigraphe in antica, IMP. CAES. NERVAE TRAIANO AVG. GER. DAC. P. M. TR. P. COS. VI.

7 I P. P.

INDIC LUS Tab.III.Sec.II

P. P. *Caput Trajani laureatum*: in postica vero, quae heic exhibetur, ARAB. ADQVIS. S.C. *Arabia adquisita. Senatus Consulto.* Arabia stolata stans; quae dextra ramum thuris, & laeva calamum odoratum tenet: ad pedes ejus Camelus. Eutropius de Trajano, *Arabiam* (inquit) *postea in Provinciae formam redegit.* Vide quoque Sextum Rufum, & ex recentioribus Angelonum p.108, Museum Arschotanum Tab.35. num. 11, Erizzum pag. 313, Harduinum pag.750, Mediobarbum pag.153, Patinum pag. 175, Nummophilacium Reginae Sueciae Tab.10. num.9, Vicum Tab.17. num. 55, Sertorium Ursatum *de Notis Romanorum* apud Graevium Tom.XI. pag. 556, Musellium Tom. I. Tab. 61. num. 7, & nostrum Chronicum ad annum Chr. 113, & 114. Trajanus anno Christi 113, Antiochia profectus, Samosatas cum Commagene, bello tantum ostentato, occupavit. Inde in Armeniam movens, ejecto Parthamasire, eandem Romanam Provinciam fecit. In Mesopotamiam ingressus, splendide ab Abgaro exceptus, Regnum eidem ratum habuit. Haec intra biennium a Trajano in Oriente gesta. Extant Nummi prolati a Norisio *in Epistola Consulari* (Tom. II. Operum ejus col. 933. Edit. Veron.), in quibus Trajanus COS. VI. obsignatur, cum epigraphe in postica, ARABIA CAPTA, vel ADQVIS. S.C. ex quibus evincitur, Arabiam post annum Christi 112, ac VI Trajani Augusti Consulatum Romano Imperio adjectam. Scripsi num. 150, 151, & 152. hujus Tabulae, me non latere, Nummos etiam extare *Quinto* Trajani *Consulatu* signatos, cum epigraphe ARAB. ADQ. S. P. Q. R. sed illis indicatur Arabia Petraea, quam Cornelius Palma, nondum finito altero bello Dacico, teste Dione, devicit. Vide Chronicum ad an. Chr. 107, & Patinum *de Num. Imp. Rom.*, qui p. 175 scribit, quod nunquam aut Persae, aut Macedones praestiterant, sub Trajano factum fuisse, ut asserit hic Nummus, in quo legitur, ARAB*ia* ADQ*uisita*, *Arabia adquisita*. *Palmas Syriae Praefectus eam Arabiae partem, quae ad Petram vergit, edomuit* (inquit Xiphilinus lib. 14. c. 27), *redegitque in ditionem Populi Romani. Arabiam, Provinciae imposito nomine, rectoreque attributo, obtemperare legibus nostris Trajanus compulit Imperator, Incolarum tumore saepe contuso, cum glorioso marte Mediam urgeret, & Parthos.* Nummus alter ARABIAM AUGUSTI PROVINCIAM, ut Daciam alter, celebrat; quod Trajanum Augustum primum suum Imperatorem haec Provincia receperit, ut Bithynia Hadrianum: *leges Barbarorum inde abrogatae, ritus Romanorum recepti,* inquit Bardesanes Syrius apud Eusebium lib. 6. c. 10. Camelus in Nummo positus, quem illustramus, Arabiam denotat, ut Equus Mauritaniam, Crocodilus Nilum, Noctua Athenas. Idem Eusebius *in Praeparat. Euang.* ait: *Arabiam equis carere, quorum Cameli implent officium.* Livius lib. 16. Romanorum pugnam adversus Antiochum describens, sic narrat: *Ante hunc equitatum falcatae quadrigae, & Cameli, quos Dromades vocant: his insidebant Arabes sagittarii, gladios tenues, longosque quaterna cubita gerentes, ut ex tanta altitudine contingere hostem possent.* Aristoteles *Hist. Animal.* lib. 9. cap. ult. velociores Camelos Arabes esse asserit equis Nysaeis. Arabiam quoque in nostro Nummo denotant ea, quae in manibus figurae stantis cernuntur. Ramus arboris thus ferentis in dextra est, de quo sic Theophrastus Hist. plantarum lib. 12. c. 14. *Gignitur ergo thus, & myrrha, & cassia, & cinnamomum regione Arabum media circa Saba &c.* Arborem thuris non magnam, sed quinis fere cubitis attolli, permultosque ramos gerere ferunt. Folium pyri, nisi quod multo minus, & colore plane herbidum modo rutae: corticem levem omni ex parte, lauri modo, quae omnia Nummus exponit. Rem conficit Plinius Histor. Nat. lib. 12. cap. 14 his verbis, *Thura praeter Arabiam nullis, ac ne Arabiae quidem universae &c. Thus collectum Sabotam Camelis convehitur; porta ad id una patente, digredi via capitale leges fecere: ibi decimas Deo, quem vocant Sabin, mensura non pondere Sacerdotes accipiunt, nec ante mercari licet &c.* In sinistra Arabiae stantis calamus est odoratus, quem, *praestantissimum in Arabia trans Libanum nasci*, narrat Plinius lib. 9. cap. 7; in qua *propter eam aspirationem agri odoratissimam esse inter omnes constare* scribit Theophrastus lib. de Antidotis. Ad id fortassis refertur, quod narrat Galenus, *cinnamomi virgulas absque ramis, & foliis in scriniis Imperatorum Trajani, & Hadriani asservari, quas & ob usum, & ob elegantiam, & ob opus maximi faciebant.* Hac usque Doctissimus Patinus. Quod attinet ad res Christianas Arabum priorum quatuor Saeculorum, paucis adnotavit P. Mamachius Tom. 2. *Origin. & Antiquit. Christianarum* lib. 2. pag. 85. scribens: Arabiae Provinciae Ecclesiasticae Bostra Metropolis fuit. Sunt, qui Timonem

illum,

illum, qui unus ex septem Diaconibus, quos Apostoli ordinarunt, fuit, primum omnium eo se contulisse, Evangelium praedicatum, ferant. Sed ea res confirmari vetere aliquo monumento non potest. Negandum tamen nullo pacto est, jam usque a primis Ecclesiae Saeculis nostrûm aliquos id sibi onus sumpsisse, ut in eam Arabiae partem contenderent, iucolisque, quid creditu esset opus, nunciarent. Nam si, susceptis longissimis itineribus, in eas Regiones penetraverunt, quae a Palaestina longe aberant, atque ab iis gentibus incolebantur, quae ab Syriorum lingua, institutis, moribus, rebus denique omnibus discrepabant; cur tandem Arabas sibi finitimos praetermittendos esse existimassent? Ac tertio sane Saeculo Beryllus, quem Origenes, ut ab haeresi, in quam inciderat, revocaret, convenit, Episcopatum Bostrenorum nunquam obtinuisset, si ante Bostrae, qui Christianam Religionem profiterentur, nulli fuissent. Vide Eusebium *Histor. Eccles.* lib. 6. capitibus 20, 33, & 37. Beryllo successit Maximus, qui studio tuendae Religionis illustris fuit, ut narrat idem Eusebius lib. 7. cap. 28. Sequuti deinde sunt Nichomachus, qui adfuit Synodo Nicaenae, & Titus, cujus extant adversus Manichaeos eruditissimi plenique gravitaris libri. Is floruit sub Juliano Apostata, ac multis vexatus fuit incommodis. Nam, cum Imperator ad cives scripsisset, ut praeconis voce Urbe Titum ejicerent, Titus ad eum literas misit, quibus significabat, *Christianos plebem Gentilium numero exaequare*. Confer Sozomenum lib. v. cap. 15. pag. 205. Edit. Cantabrig. Palaestinae vero tertiae Metropolis *Petra* erat, a qua Arabiae pars nomen accepit, quae *Petraea* est a majoribus appellata .... In ea, quae primis tribus Saeculis ratio Christianae Religionis fuerit, incertum est. Nam, etsi in illa Arabiae parte Apostolos Evangelium promulgasse, nostrorumque hominum aliquos vixisse accepimus: quibus tamen ad eam rem perficiendam modis usi sint, quos instituerint, cujusmodi Episcopos Ecclesiis praefecerint, statui nullo modo potest; propterea quod, aut perierint, aut nulla a Patribus scripta fuerint monumenta, in quibus de primordiis Christianae Religionis in Urbe Petra mentio fieret.

176. Nummus Hadriani cum epigraphe in antica, HADRIANVS AVG. COS. II. P. P. *Caput Hadriani laureatum*: in postica vero, quae heic exhibetur, AEGYPTOS S. C. Aegyptus humi sedens, dextra sistrum tenet, & laeva calatho innititur: ante pedes, Ibis. Sistrum, est musicum instrumentum Aegyptiis peculiare, quo in Isidis Sacris utebantur. Aegypti figura canistro frugum incumbit, quo soli ubertas indicatur. Adstat Ibis, sacra Aegypto avis, ob serpentum in ea Provincia abundantiam, quos illa avis enecat: de qua lege Plinium lib. x. sect. 40. Hadrianus anno Chr. 130. in Aegyptum trajecit. Vide Chronicum. Porro anno U. C. 882. (Chr. 129.) die 3. Martii, Hadrianum adhuc fuisse Romae, luculenter ostendit Card. Norisius *de Epoc. Syromac.* Disser. v. cap. 3, ex lib. v. Digest. Tit. 3. L. 20. *de Haeredit. petit.* n. 6. in quo legitur, Hadrianum in Senatu de quibusdam ad rem haereditariam pertinentibus Patrum Conscriptorum sententiam rogasse. Imperator vero paulo post in Asiam profectus est: siquidem (ut animadversum ab eodem Norisio est) Eusebius, qui libros Chronologicos Phlegontis Liberti Hadriani legit, scribit, Antinoum in Nilo semet submersisse, morante in Aegypto Hadriano, anno primo Olympiadis 227, Imperii autem Hadriani XIII, qui fuit Urbis Romae 883. Dio vero scribit, eundem Imperatorem *ex Judaea in Aegyptum venisse*. Gaza in itinere ex Judaea in Aegyptum distabat Rhinocoruris prima Aegypti Urbe M. P. XLIV. Hadrianus vero labente anno Gazensium 190 (qui exiit cum Octobri A. U. Romae 883) Gazam advenit, ut idem Norisius ostendit ex Nummis loco citato. Egregie ergo fallitur Pagius, qui ad annum Chr. 122. scribit: *Hadrianus praesenti anno Athenis in Aegyptum profectus est, indeque Athenas redit, ubi hyemem transegit*. Hinc apud Mediobarbum Nummus *Hadriani*, HADRIANVS AVG. COS. III. P. P. In postica AEGYPTOS, *vel Alexandria &c.* Quamvis enim Hadrianus Consulatum III. inierit an. Chr. 119; adhuc tamen Consul III dicebatur an. Chr. 130. Vide Nummum, quem illustro, apud Angelonum pag. 127, Museum Arschotanum Tab. 39. n. 10, Erizzum p. 368, Harduinum pag. 76., Mediobarbum pag. 174. Patinum pag. 191, Nummophilacium Reginae Sueciae Tab. 12. num. 1, Vaillantium Tom. 2. pag. 137, & Museum Musellianum Tom. I. Tab. 77. num. 6. P. Mamachius Tom. 2. *Origin. & Antiquit. Christian.* lib. 2. cap. 31. pag. 465, & seqq. Ante Marcum Evangelistam in Provincia Aegypti, neminem praedicasse Evangelium Aegyptiis, ostendit ex Eusebio *Hist. Eccl. lib. 2. cap. 16. pag. 65. Edit.*

Edit.Cantabr.,quem sequutus est S.Hieronymus *in Catal. Scrip.Eccl.Tom.4. Opp. p.*105. *Edit. Martianaei* . Sed (ut animadvertunt Lequienius *Tom.3.Orient.Christ.pag.*331, *&* *seqq.* & Bollandiani *Tom.alt.Junii pag.*3,*&* *seqq.*),Marci primum, dein Successorum ejus opera, atque laboribus sic auctae opes Christianae ibidem, atque in Lybia fuerunt, ut nostrôrum jam plurimi extremo priore Saeculo, multoque magis Secundo, ac Tertio in eis Provinciis numerarentur, teste Eusebio *Hist.Eccl.*lib. 3.cap.14. & pag.107. cap. 21. pag.111, lib. 4. cap.1. pag. 141, cap. 4. pag. 143, cap. 19. pag.181, lib.5. cap.9. pag.223, lib.6. cap.1. pag.257, demum lib.7, & lib.8. variis in locis. Nam cum Ethnici saeviebant, tum maxime florebat Ecclesia, sanguineque Martyrum ita amplificabatur, ut non plebeji modo, sed etiam Nobiles permulti, testantibus S. Epiphanio *Haeresi* 64. *pag.*526. *Edit. an.* 1622, & Eusebio *Hist. Eccl. lib.* 6. *cap.* 41. *pag.* 305, *& seq.*, cooptarentur in ordinem Christianorum. Atque crudelitas Ethnicorum in causa fuit, cur primum in Aegypto oriretur Anachoretarum Institutum; atque ita deinceps propagaretur, ut lapsu temporum deserta loca plena hominum eorum essent, qui hujusmodi vitae genus profiterentur. Itaque Alexandrina Ecclesia a Marco fundata, & Episcopis deinceps in Lybia constitutis, curatum a Majoribus est, ut Scholae etiam in ipsa Metropoli Aegypti aperirentur, in quibus a Viris Doctissimis erudirentur, ut doctrinam Christi argumentis confirmare, defendereque a calumniis Sophistarum possent. Quarum scilicet Scholarum praesidio, Athenagoraeque imprimis, Pantaeni, Clementis, Heraclae, Origenis, aliorumque studiis, qui easdam sunt aliquandiu moderati, incredibile dictu est, quae commoda, quaeque utilitates in Ecclesiam universam manaverint. Hinc enim Alexander, & Athanasius, multique Aegyptii Episcopi, qui Arianam Haeresim oppugnarunt; Cyrillus, qui Nestorianam Sectam disjecit, aliique orthodoxae Religionis illustres propugnatores prodierunt. Quibus sane Athanasii, & Cyrilli temporibus innumerabilia propemodum erant in iisdem Provinciis Coenobia Monachorum.

177. Orontes ex Hadriani nummo, quem refert Cl. Vaillantius *de Num. Imp. Rom.* Tom. 2. pag. 127. Legitur in antica, ΑΥΤΟΚΡ. ΚΑΙΣ. ΝΕΡ. ΤΡΑΙΑΝΟΣ. ΣΕΒ. ΓΕΡ. ΔΑΚ. *Caput Trajani laureatum*: in postica vero,quam heic exhibemus, ΔΗΜΑΡΧ. ΕΞ. ΥΠΑΤ. Ε. *Figura turrita, insidens rupibus, quae dextra spicas gerit, pede super fluvium posito.* Genius est Antiochiae in Nummis frequens, qui montibus insidet, (ad indicandum Urbis situm), & fluvium Orontem proculcat, quia ille eam alluit: dextra spicas gerit, ad frumenti copiam in agris suis arguendam. Antiochenses,ob adventum Trajani in urbem suam, huncNummum ei dedicarunt. Auctor est Dio,Trajanũ,*cum esset Antiochiae*, Legatos, ac munera ab Abgaro Rege Osrhoenorum accepisse. Ignatium quoque Martyrem Antiochiae ab eodem Imperatore auditum, ac damnatum, Acta ejusdem Passionis testantur; qui cum Romae Kal. Februarii passus dicatur, ejusdem damnatio contigit exeunte Autumno anni Aerae Chr. Vulgaris 112. Recte igitur in Fastis Idacii, *Trajano VI. & Africano. His Coss. persecutio Christianorum.* Trajanus anno Chr. 113. Antiochia profectus est, & insequenti anno, cum hyems bellicam expeditionem clausisset, se iterum Antiochiam ad hiberna recepit.

178. Via Trajana (qua Appiam Benevento Brundusium usque Trajanus perduxit) inscalpta marmori elegantissimo Arcus Beneventani a S. P. Q. R. Optimo Principi erecti. Hujus Viae & in Numismatibus extat memoria, in quorum aversa parte mulier humi jacens, rotam sustinet,quae viam,quam terit, insinuat. Vide supra in Indiculo hujus Tab. numerum 108, & lege Cl.Pratillum in Opere inscripto *della Via Appia &c.* pag.27, 28, 30, 31, & 433, qui & hanc edidit Inscriptionem, Beneventi prope Portam *Rettore* inventam,

V.

IMP. CAESAR
DIVI NERVAE F
NERVA TRAIANVS
AVG. GERM. DACICVS
PONT. MAX. TR. POT.
XIII. IMP. VI. COS. V.
P. P.
VIAM A BENEVENTO
BRVNDISIVM PECVN.
SVA FECIT.

Extat & alius insignis Lapis apud Reinesium 2. 80, quem heic libentissime exhibemus:

LAPIS MILLIAR
III. TER
APPIAE VIAE STRAT
REST. CVR. EX S. C.
AVCTORIT.

IMP.

IMP. CAES. DIVI NERVAE
FIL. NERVAE TRAIANO
AVG. GERM. DACIC. PARTH.
PONTIF. MAX.
TRIB. POT. XVIIII. IMP. VIIII.
COS. VI. P. P.
OPTIMO PRINCIPI
CVRANTE T. IVLIO
EI . . . .

179. JORDANES fluvius, ex antiquo Musivo Ravennatensi in Ecclesia S. Joannis in Fonte. Hujus Iconismi descriptionem vide apud Ciampinium *Vet. Monim.* Tom. I. p. 235. Hic Fluvius totius Terrae Promissionis maximus, sub Libano Monte apud Caesaream Philippi, gemino fonte oriens, atque in Austrum per aquas Merom, & lacum Genezareth defluens, tres Tribus, nempe Manasse, Gad, & Ruben, quas ad laevam, sive ad Orientem, habet, ab aliis Tribubus separat. Alterum ei fonti nomen *Dan* fuit: eidem amni fons alter, *Jor*; unde nomen *Jordani*. Sanctus Hieronymus in Libro *de locis Hebraicis* scribit, quarto a Paneade milliario versus Tyrum ad radices Libani in viculo Dan, fontem *Dan* pariter appellatum fuisse, qui versus Paneadem decurrens, ante Urbis portam cum altero rivo, qui *Jor*, communi apud Hebraeos nomine, dicebatur, commixtus *Jordanis* nomen accipiebat. Josephus quoque lib. 3. *de Bello* cap. 18. ait: *Naturalis quidem pulchritudo Panii Regis opibus, & Agrippae divitiis magnificentius accurata est. Manifeste autem flumen Jordanis ex hoc antro incipiens &c.* quibus postremis verbis rivum *Jor* Hebraice dictum laudat, quem Plinius fontem Paneadem appellat lib. 5. sect. 15: *Jordanes amnis oritur e fonte Paneade, qui cognomen dedit Caesareae*. Laudatus vero Josephus loco mox allegato haec habet de Panio: *id spelunca est in monte amoenissima, eique subjecta in immensum hians terrae devexitas, plena aquis stagnantibus. Ei mons valde magnus imminet; sub spelunca autem scatent fontes Jordanis fluminis. Hunc locum, alioquin etiam celebrem, ornavit Templo extructo in honorem Caesaris*. Panium ergo erat spelunca amoenissima, ubi Panis simulacrum vetusta religione colebatur; quod Numen erat tutelare loci, cui & nomen primitus dedit, ut non solum testimonio Philostorgii, sed plurium etiam ejusdem Urbis Numismatum, Panis imagine obsignatorum, evincit Emin. Norisius *de Epochis Syromacedonum* Dissert. IV. cap. V. §. IV. *de Epocha Paneados*.

INDICULUS TAB. III. SEC. II

180. Nummus Trajani. Legitur in antica, IMP. CAES. NER. TRAIANO OPTIMO AVG. DAC. PARTHICO P. M. TR. P. COS. VI. P. P. *Caput Trajani laureatum*; in postica vero, quam heic exhibemus, REGNA ADSIGNATA S. C. Imperator sedens in sella Castrensi, duabus figuris militaribus adsistentibus, diademata largitur tribus Regibus infra stantibus. Trajanus in Oriente longe lateque Imperii fines propagavit; plurimos Reges vicit; alios in fidem Romanae ditionis accepit; quibusdam Regna ademit; aliis adsignavit. REX PARTHIS DATVS habet primus Trajani Nummus Musei Harduiniani, quem ipse refert *in Num. Antiq. Popul.* pag. 182: & REX PARTHVS habet alter ejusdem Trajani, in Cimelio Regis Francorum. Hunc Parthorum Regem Psamatosirim vocat Spartianus in Hadriano pag. 3, de quo etiam intelligendus est tertius Nummus apud Occonem p. 207, cum epigraphe REX PARTHICVS RESTITVTVS. Vide Harduinum *in Nummis Antiq.* pag. 71, Vaillantium *Num. Imp. Rom.* Tom. I. pag. 49, ac Tom. II. pag. 121, & Theupolum *Mus. Antiq. Numis.* Tom. I. pag. 449. Eutropius in Hadriano scribit: *Trajanus gloriae invidens, statim Provincias tres reliquit, quas Trajanus addiderat, idest Assyriam, Mesopotamiam, & Armeniam*. De Assyria, extat Trajani Nummus apud Occonem pagina 214. cum epigraphe, IMP. TRAIANO. AVG. GER. DAC. P. M. TR. P. COS. VI. P. P. ASSYRIA. IN. POTESTATEM. P. R. RED. item alius ejusdem Augusti pag. 215, in quo legitur, ASSYRIA. ET. PALAESTINA. IN. POTEST. P. R. RED. S. C. Laudatus Spartianus in Hadriano scribit p. 10: *Armeniis Regem habere permisit, cum sub Trajano Legatum habuissent. A Mesopotamiis non exegit tributum, quod Trajanus imposuit*. Hinc legitur in quodam Trajani Nummo apud Occonem pag. 215, ARMENIA. ET. MESOPOTAMIA. IN. POTESTATEM. REDACTÆ. itemque in alio ejusdem Augusti, ARMENIA DEVICTA; ut & in tertio, ARMENIA SVBACTA. Trajanus anno Æræ Christi 112. expeditionem in Parthos suscepit, de qua extat Nummus apud Occonem pag. 214. cum epigraphe, EXPEDITIO AVG. PARTH. Julianus Imperator in Libello de Caesaribus fingit, Trajanum Jove coram, aliisque Diis

INDICULUS TAB.III.SEC.II

haec dixisse: *Parthos autem, priusquam ab his injuria affectus essem, armis violandos non existimavi, ut vero injuriam intulerunt, non me aetas ingravescens, etiam tum legibus mihi militiae vacationem concedentibus: ab iis invadendis revocavit*. Itaque Trajanus (ut animadvertit Doctissimus Norisius in Epistola Consulari) non statim post debellatam Daciam in Parthos movit, sed ubi primum pacem violarunt. Injuriam autem, quam Trajanus sibi a Parthis illatam praetexebat, exponit Dio lib. 68: *Post hoc bellum intulit Armeniis, Parthisque; propterea quod, ut ipse dicebat, Rex Armeniorum non abs se, sed a Rege Parthorum diadema accepisset*. Extant alii Trajani Nummi sexto ejus Consulatu obsignati cum epigraphe in postica, PROFECTIO AVG. S. C., ex quibus liquet, ipsum ante annum 112. in Orientem non transiisse. Interea cum Athenas adpulisset, Legati Parthorum Regis eundem illic cum muneribus convenerunt, rogantes, ut delatum Parthamasiri Armeniae Regnum ratum haberet. Trajanus, repudiatis muneribus, respondit, se, cum primum in Syriam advenisset, facturum omnia, quae fieri par esset. Athenienses, quo praesentis Imperatoris gratiam magis emererentur, Hadrianum ejusdem consobrinum Archontem crearunt, ex Phlegonte cap. 25. *de Mirabilibus*. Hinc Trajanus in Asiam transmisit, ejusque Provinciis lustratis, in Syriam descendit. Inde in Armeniam movens, ejecto Parthamasire, eandem Romanam Provinciam fecit. In Mesopotamiam ingressus, splendide ab Abgaro exceptus, Regnum eidem ratum habuit. Dein, expugnatis Nisibi, ac Bathnis, ab exercitu Parthicus appellatus fuit. Extat quidam Trajani Nummus apud Harduinum *de Nummis Antiquis Populorum* pag. 383. cum epigraphe, TRIVMPHVS PARTHICVS.

181. Opus anaglyptieum Imp. Trajani, quod extat in Arcu Beneventano eidem Imp. erecto a S.P.Q.R. anno Chr. 115. Exhibet signum Herculis Defensoris, positum a Trajano ob Viam Benevento Brundusium usque stratam: cujus Viae iconismum vide supra in hac Tabula num. 108. & 178. Dionysius Alicarnasseus lib. I. *Antiq.* cap. 41 de Hercule scribit: *ut iter Viatoribus aperiret, & caetera molitus est, at omnis terra, & mare communis omnibus esset, omniumque usibus inserviret*: Item eodem libro: *in multis Italiae locis Templa Herculi sunt sacrata, & in Urbibus, ac in* IPSIS VIIS ARAE SUNT ERECTAE. Festus quoque, *profecturi viam, Herculi sacrificabant*. Extat apud Gruterum antiquus lapis pag. 45. n. 12. in quo legitur,

HERCVLI. DEFENSORI
PRO. ITV. ET. REDITV
D. CLODI. SEPTIMI
ALBINI. CAESARIS
D. CLODIVS. D. L
FELIX
ACTOR. CAESARIS. N. D. D.

Item alius in eodem Thesauro Gruteriano pag. 95. num. 5. in lamina aerea nuper in Latio reperta prope Lugnanum, editaque a Vignolio *in Inscriptionibus selectis* pag. 337.

CN. FLACCVS Q. FVL. F. DE
CVMAM PARTEM HERCV
LI ET PRO REDITV FELI
CISSIMO EX AFRICA VI
BI FRATRIS ET PRO SAL
PETINAE MATRIS SIGNA
AVREA FORTVNAE PRAEN
ET FERONIAE SANCTIS
SIMAE D. D. T. VINIO COS.

Martialis lib. IX. 104. 1.

Appia, quam simili venerandus in Hercule Caesar
Consecrat Ausoniae maxima Fama Viae.

Et 65. 1.

Herculis in magni vultus descendere Caesar
Dignatus Latiae dat nova Templa Viae:
Qua Triviae nemorosa petit dum regna viator,
Octavum domina marmor ab Urbe legit.

Porro nonnullae Arae in Viae Appiae ruderibus repertae sunt HERCULI DEFENSORI *sacrae*, de quibus consulendus Pratillus lib. 2. cap. 7. & 9. *della Via Appia*. Immo non longe ab eodem Arcu Beneventano in ipsa Via Trajana, de qua loquimur, effossus est lapis, in quo legitur,

HERCVLI. SERVATORI. SAC. PRO
SALVT. IMP.
M. AVREL. COMMODI. PII. AVG.
COLON. BENEVENTAN.

Nicolaus Bergierius *de Publicis, & militaribus Imp. Rom. Viis* apud Graevium Tomo x. pagin. 76. numero 5, loquitur de hoc Arco: de quo agunt etiam Serlius *de Architectura* lib. 3. pag. 104, Joannes de Nicastro Sanctae Beneventanae Eccle-

Ecclesiae Archidiaconus in Dissertatione peculiari edita an. Dom. 1723, Diarium Literatorum Italiae Tom. XXII. fol. 193, & Eruditissimus Franciscus Maria Pratillus in Opere, quod an. Dom. 1745, publici juris fecit, inscripsitque *della Via Appia riconosciuta e descritta da Roma a Brindisi*, lib. IV. cap. 3. pag. 449, & seqq.

182. Protome Septimii Severi ex marmore Capitolino. Septimius Severus vir fuit decorus, promissa barba, cano capite & crispo, vultu venerando, canorus voce, bellicosus, liberalis, literatus, ac insignis Mathematicus. Vide Museum Capitolinum Tom. 2. Tab. 55, & Patinum *de Num. Imp. Rom.* pag. 277. Imperatore Commodo Kal. Januariis U.C. 945. usque ad Palilia, vulgaris Epochae 193. occiso, ac brevi quinque mensium spatio Pertinace, dein Didio Juliano violenta morte sublatis, Septimius Severus natione Afer ante Kal. Apr. S. C. Tribunitiam Potestatem cum Augusti titulo accepit, quem ante paucos dies Pannonici exercitus Imperatorem salutaverant. Arabiam, & Adiabenem Severus Imperator in Provincias redegit: unde *Cassiodorius in Chronico* scripsit: „ Severus Parthos, & Adiabenos „ superavit, Arabasque interiores cecidit; „ ut Regionem eorum Romanam Provin- „ ciam faceret: ob quam Parthicus, Arabi- „ cus, Adiabenicus cognominatus est „. Quae insignia elogia Romae in superiori parte Panthei hodieque leguntur. IMP. CAES. L. SEPTIMIVS. SEVERVS. PIVS. PERTINAX. ARABICVS. ADIABENICVS. PARTHICVS. MAXIMVS. PONTIF. MAX. TRIB. POT. XI. COS. III. P. P. PROCOS. ET. IMP. CAES. M. AVRELIVS. ANTONINVS. PIVS. FELIX. AVG. TRIB. POT. V. COS. PROCOS. PANTHEVM. VETVSTATE. COLLAPSVM. CVM. OMNI. CVLTV. RESTITVERVNT. Severus anno Chr. 203. ante Kal. Apr. Tribuniciam Potestatem undecimam iniit, quae notatur etiam in celebri ejus Arcu, de quo infra. Tunc vero Decennalia egit splendidissima pompa (teste Herodiano), ut Nummus ostendit apud Occonem pag. 355, in quo legitur, L. SEPTIMIVS SEVERVS PERT. AVG. & in postica, VOT. SVSC. DEC. P. M. TR. P. XI. COS. III. P. P. Auctor est Eusebius lib. 6. Histor. Eccles. cap. 2: *Severo annum Imperii decimum agente, ardentissimum persecutionis incendium flagrasse, atque innumerabiles Martyrio coronatos*. Interpres Dionis ex Xyphilini Excerptis scribit: *interim Severus circa decennium sui Principatus, Congiario Populo, Praetorianisque militibus dato, tot aureos, quot annos Imperaverat, dedit*. Ruinartius in Praefatione *in Acta Martyrum sincera* pag. XLVI, de hac Septimii Severi Persecutione ait: „ Eam ad biennium restringit Dodvvellus; quam nempe asserit occasione Ludorum Saecularium fuisse sedatam, *ne tanta*, inquit, *solemnitas cruore macularetur*. Alias tamen Dodvvellus passim, Ludos publicos, quasi Persecutionum occasiones, proponit. Et quidem id Tertullianus disertis verbis asserit Apologetici cap. 35. *Propterea publici hostes Christiani, quia Imperatoribus neque vanos, neque temerarios honores dicant ... O nos merito damnandos! cur enim vota & gaudia Caesarum casti, & sobrii, & probi expungimus? cur die laeto non laureis postes obumbramus, nec lucernis diem infringimus? Honesta res est, solemnitate publica exigente, inducere domui tuae habitum alicujus novi lupanaris &c.* Sic cum tristes, & modesti in solemnitatibus publicis apparerent Christiani, quasi publicae prosperitatis, & Caesarum fortunae adversarii, & inimici essent, accusabantur. Porro, biennio diuturniorem in Africa Persecutionem fuisse, ex eodem Tertulliano patet, qui, ea instante, sex Africae Praesides, praeter Minucium Timinianum, in Actis SS. Perpetuae & Felicitatis memoratum, recenset in libro ad Scapulam. Eam tamen aliquando minus, aliquando magis saeviisse pro Praesidum genio, non diffitemur. Nec brevior in Aegypto fuit, ut ex Eusebii narratione colligitur: nam dicto anno X Severi, quo Leonides martyrio affectus fuit, Origenes 17. aetatis suae annum agebat, ex lib. 6. cap. 1. Anno sequenti Catechumenis instruendis praefectus est, cap. 2. Deinde cum plures discipulos haberet, dimissa Grammaticae professione, totum se literis Sacris dedit, & venditis voluminibus, quatuor obolis, qui ei ab emptore per singulos dies pendebantur, contentus fuit. *Hujusmodi disciplina*, inquit Eusebius, *& plane philosophica ratione vivendi, pluribus deinceps annis uti perseveravit &c. Multos per annos nudis vestigiis ambulasse dicitur... vino &c. diutissime abstinuit*. Tum, aliis ejus virtutibus laudatis, haec subdit: *Hujusmodi vitae exempla omnibus spectanda praebens, plures ex discipulis ad sui imi-*

imitationem provocavit, ita ut multi Gentiles ... ejus se magisterio submitterent. Qui cum fidem Christi sincere, atque intimo mentis affectu accepissent, Persecutionis illius tempore inclaruerunt, usque adeo, ut quidam ex ipsis comprehensi martyrio perfuncti sint. Horum primus fuit Plutarchus &c. quorum martyrium ideo Ruinartius in sua Collectione anno circiter 210 consignat, quod *multorum annorum* verbis, quibus utitur Eusebius, non minus, quam septem, aut octo anni, exprimi queant. His consentit Sulpicius Severus, triginta & octo annos inter Severianam, & Decianam Persecutionem interponens. Cum enim Decius ante annum 249. non imperaverit, necesse est, ut Severi Persecutio usque ad annum 211, qui ipsi fuit extremus, prorogetur „.

183. Inscriptio Septimii Severi. Extat Romae in fronte Panthei, seu S. Mariae Rotundae. Severus Augustus anno U. C. 956, Christi Domini 203, (ut diximus num. praecedenti) Kal. Apr. agebat Tribuniciam Potestatem XI; cum qua cum copuletur Tribunicia Potestas V Antonini Caracallæ, consequitur, ut idem Antoninus anno Aerae Chr. 198, item paulo ante Kal. Apr. (ut ex dicendis n. 186 constabit) primam Tribuniciam Potestatem auspicatus fuerit. Rursus in Porticu Templi S. Angeli in Foro Piscario visitur epigramma, in quo Tribunicia Potestas VI Antonini, cum XI Severi jungitur. Habetur apud Gruterum pag. 172. In celebri Arcu Septimii in Foro Romano Severus inscribitur, TRIBVNIT. POTEST. XI. Antoninus vero, TRIBVNIT. POTEST. VI. At in altera item Romana Inscriptione Gruteri pag. 191 Severus dicitur TRIB. POT. XI, Antoninus TRIB. POT. V. Si cum Tribunicia Potestate XI Severi, concurrit Quinta, & Sexta Antonini; minus recte ex Panvinio, & aliis asserui in Elencho, Kal. Jun. die Natali Imperii Severi, Antoninum Tribuniciam Potestatem accepisse. Sane Panvinius priorem illam Inscriptionem referens A. U. 956, pro XI, scripsit X. Sed ex altero elogio rejicitur; neque tam facile est lapides, ac membranas corrigere. Laudantur aliae Inscriptiones antiquae, in quibus Tribunicia Potestas I Antonini, cum VI Severi conjungitur apud Gruterum pag. 1020; rursus cum VII. ejusdem Severi pag. 264. Ex tot elogiis luculenter probatur, Antoninum quoque anno Chr. 198 ante Kal. Apr. designatum fuisse Augustum, delata eidem I Tribunicia Potestate, quæ excurrebat fere usque ad exitum Martii anni insequentis 199. Quare an. 217. VI. Idus Apr. occisus, agebat annum Trib. Pot. XIX. Vide Norisium in Dissert. Chronolog. *de Votis Decennal.* cap. IV. Pantheum vetustate collapsum, & incendio deformatum, cum omni cultu Severus, & Antoninus instaurandum curarunt.

184. *Arcus Beneventanus* Trajano erectus cum Inscriptione, IMP. CAESARI. DIVI. NERVAE. FILIO. NERVAE. TRAIANO. OPTIMO. AVG. GERMANICO. DACICO. PONTIF. MAX. TRIB. POTEST. XVIII. IMP. VII. COS. VI. P. P. FORTISSIMO. PRINCIPI. SENATVS P. Q. R. Vide Indiculum hujus Tabulae num. 178, item Nicolaum Bergierium *de Publicis, & Militaribus Imp. Rom. Viis* apud Graevium Tom. X. pag. 76. num. 5, & Cll. Viros Ficoronium, & Joannem de Vita *in Thesauro Antiquitatum Beneventanorum*, qui in Tabulis ex ære incisis integrum hunc Trajani Arcum publica luce donarunt, post Sebastianum Serlium Bononiensem *de Architectura* lib. 3. pag. CXIIII. De eo perpauca scripserunt Illustrissimus Joannes de Nicastro Archidiaconus Beneventanus in sua Italica *Dissertazione dell' Arco Trajano di detta Città*, & Eruditissimus Franciscus Maria Pratillus in egregio Opere DELLA VIA APPIA &c. lib. I. cap. V. pag. 28, & lib. IV. cap. 3. pag. 449, & seqq. Erectus hic Arcus fuit Trajano Augusto ob Viam Appiam Benevento Brundusium usque perductam anno Tribuniciae Potestatis ejus XVIII, Christi vero 115, quo, capta Ctesiphonte, & Babylone, dictus est Imp. VII, & facta ei potestas a S. P. Q. R. Romam redeundi, agendique Triumphum. In mox relata Arcus Inscriptione (quam mendosam edidit Gruterus pag. 247. num. 5), dicitur *Optimus*, *Augustus*, *Germanicus*, *Dacicus*, *Pontifex Maximus*, *Tr. P. XVIII. Imp. VII. Cos. VI. P. P.* In Museo Mediceo extat ejusdem Augusti Nummus argenteus majoris moduli, relatus a Norisio *de Epochis Syromacedonum* Dissert. 3. cap. 8. §. 2, cujus Inscriptio anterior ita Latine sonat, *Imperator Caesar Nerva Trajanus Augustus*, *Germanicus*, *Dacicus*: posterior vero, *Tribuniciae Potestatis XVII. Consul VI.* Rursus in eadem Gaza Medicea visitur alius Graecus Nummus æreus primae magnitudinis, inscriptus in antica, *Imperator Trajanus Augustus*, & in postica *anno XVII* (L. IZ). In neutro autem Numismate, anno XVII Imperii Trajani percusso, idem API-

CTOC

CTOC CEB. *Optimus Augustus* inscribitur. At in alio ejusdem Thesauri item edito a laudato Sapientissimo Cardinali loco citato To. II. col. 300. Edit. Veron., cognomen *Optimi* in antica parte legitur, addito retrorsus (ut in Arcu Beneventano, quem illustramus) anno Imperii Trajani XVIII. Est, inquit, Numisma argenteum majoris moduli a Tyriis scalptum, cujus antica epigraphe ita Latine redditur, *Imperator Caesar Nerva Trajanus, Optimus Augustus, Germanicus, Dacicus*: postica vero, *Tribuniciae Potestatis XVIII. Consul VI.* Quia vero in epigrammate, quod recitant Alexander Donatus lib. 3. *de Urbe Roma* cap. 13, Reinesius Classe I. num. cv, ac Fabrettus pag. 293, *Trajanus Optimus Augustus, Germanicus, Daciens* appellatur, eaque Inscriptio signatur dicata Idibus Januariis, Messala & Pedone Consulibus; satis probabiliter conjicere possumus, anno Aerae Chr. 114, U. C. 867, inter solemnia Natalis genuini Trajani, xiv. Kal. Octobris a Senatu decretum fuisse, ut cognomen *Optimi* ante titulum Augusti eidem Principi deferretur. Ceterum, Trajanum A. U. 868, Chr. 115, L. Vipstano Messala & M. Vergiliano Pedone Coss. titulum *Parthici* jam tulisse, ex insigni Laodicensium Nummo laudatus Norisius ibidem ostendit.

185. Nummus Trajani, & Hadriani, cum epigraphe in postica, NILVS. In typo Trajani Nummi Nilus sedens, qui arundinem dextra, & laeva cornucopiam gerit: ad pedes Crocodilus, cum Hippopotamo, de quibus Philostratus lib. 1. *Iconum* in Nilo. Pagius in Critice ad annum 101. n. 1. scribit: „ Occasione Quinquennalium, renovata memoria beneficii in Aegyptios a Trajano collati, dum praecedentibus annis Nilus Aegyptum non foecundaret. Plinius enim in Panegyrico, anno praecedenti Trajano dicto, cap. 31. ait: *Refudimus Nilo suas copias, recepit frumenta, quae miserat, deportatasque messes revexit.* Hinc cusus anno 101 Trajani Nummus, qui extat apud Mediobarbum pag. 150, in cujus postica habetur P. M. TR. P. IIII. IMP. II. COS. IIII. NILVS. Repraesentatur in ea Nili Simulacrum „. Consulatum quartum Trajanus dicto anno 101 iniit. Sed annis praecedentibus Trajanus frumentum in Aegyptum misit. Vide Museum Arschotanum Tab. 39. numero 7, Begerum Vol. 2. pag. 654, Erizzum pag. 363, Harduinum pag. 762, Patinum pag. 152, Spanhemium Vol. 1. pag. 174, Nummophilacium Reginae Sueciae Tab. 12. numero 10, Vaillantium *de Praest. Num.* pag. 58, Museum Musellianum Tom. 1. Tab. 78. num. 4, & Tom. 3. pag. 119. num. 4. Hadriani vero Nummus habet item Nili typum, cum Crocodilo, & Hippopotamo; quia ipse in Nilo fluvio navigans, amisit Antinoum, teste Spartiano: *Antinoum suum, dum per Nilum navigat, perdidit.* Eusebius vero, qui libros Chronologicos Phlegontis liberti Hadriani legit, scribit, Antinoum in Nilo se met submersisse, morante in Aegypto Hadriano, anno primo Olympiadis ccxxvii, Imperii autem Hadriani xiii, qui fuit Urbis Romae 883, quo Dio scribit, *ex Judaea in Aegyptum venisse*, ut ostendit Emin. Norisius *de Epochis Syromacedonum* Dissert. v. cap. 3, ex Nummo signato anno Epochae Gazensium cxc, qui exiit cum Octobri A. U. Romae 883. Cornucopia in Nummo, quem illustramus, symbolum Nili est, & denotat ubertatem, qua foecundat Aegyptum. Nilum, qualem demonstrat laudatus Philostratus, hic Nummus exhibet. Vide Occonem pag. 231, & laudatum Harduinum pag. 361.

186. Arcus Triumphalis L. Septimio Severo, & M. Aurelio Antonino Caracallae filio ejus erectus. Vir Cl. Justus Fontaninus *de Antiquitatibus Hortae* lib. 1. c. 3. p. 45. scribit: „ Famianus Nardinus in sua *Roma Veteri* lib. 5. cap. 6. memorat grande hoc Romanae magnificentiae post tot saecula adhuc superstes monumentum ad radices Clivi Capitolini, qua itur ad Forum: ejus Dedicatio patet ex bipedalibus literis ibidem in marmore primum incisis, & excavatis, & deinde aere Corinthiaco repletis: quod contigit anno Vulgari 203, ut Viri Docti observarunt. Quia autem in quarta linea (nobis septima) amplae illius Inscriptionis, quae utramque Arcus faciem quaqueversum occupat, adhuc apparent vestigia characterum, quibus antiquitus deletis, alii superpositi fuerunt; putavit Nardinus, *L. Septimii Getae* nomen prius ibi lectum fuisse: quod posteaquam frater ejus Caracalla in illum truculentas manus injecisset, ex cunctis monumentis, jussu ejus obliteratum, unus idem Nardinus existimavit; in ejus rei testem adducens Spartianum: in quo tamen id extricare mihi non licuit, neque ulli sane unquam licebit; quia Caracalla, ut suum in fratrem Getam commissum parricidium celaret, illum inter Divos referri curavit; quod testatur Spartianus *in Geta* cap. 2. unde ajebat de eodem, *sit Divus, dum non sit vivus.* Tantum abest, ut Getae nomini, quem palam se amore prosequi

 simu-

INDICULUS TAB.III.Sac.II

simulabat, adeo solemnem infamiae notam inurere voluerit, ut illud e publicis, & omnium conspectui expositis Arcubus, & Inscriptionibus obliterari mandaverit. Ut autem antiquae ejusmodi erasionis locus mente facilius comprehendatur, eam Arcus Inscriptionem, quam non veluti emissarius cum oculis emissitiis, sed oculis optimo lumine adjutis centies lustravi, totam, uti adhuc est, expressam recitabo:

IMP. CAES. LVCIO. SEPTIMIO. M. FIL. SEVERO. PIO PERTINACI. AVG. PATRI. PATRIAE. PARTHICO. ARABICO ET. PARTHICO. ADIABENICO. PONTIFIC. MAXIMO TRIBVNIC. POTEST. XI. IMP. XI. COS. III. PROCOS. ET IMP. CAES. M. AVRELIO. L. FIL. ANTONINO. AVG. PIO FELICI. TRIBVNIC. POTEST. VI. COS. PROCOS. P. P. OPTIMIS. FORTISSIMISQVE. PRINCIPIBVS. OB. REM. PVBLICAM. RESTITVTAM. IMPERIVMQVE POPVLI. ROMANI PROPAGATVM. INSIGNIBVS. VIRTVTIBVS EORVM. DOMI. FORISQVE. S. P. Q. R.

Quartae (heic septimae) lineae verba, quae totidem abrasis olim superposita fuerunt, jam referuntur ad Severum, & Antoninum ejus filium, in superioribus lineis memoratos. Duae postremae lineae causam erectionis ejusdem Arcus explanant. Eas literas, quarum spatium postea occuparunt verba illa OPTIMIS. FORTISSIMISQVE PRINCIPIBVS, in illa eadem linea detritas olim fuisse, inde liquet, quod marmor ibi est depressius, quam alibi; quodque in eadem linea, extra locum a reliquis literis postea occupatum, supersunt foramina, ubi æs fuerat infixum: ex quibus signa priorum characterum, qui olim obliterati fuerunt, omnium oculis exhibentur: quippe illud, OPTIMIS. FORTISSIMISQVE. PRINCIPIBVS, clauditur spacio unius, & alterius literæ, vestigia adhuc retinente: quae etiam manifesto arguunt, ejusdē lineae characteres olim fuisse nonnihil grandiores, quam nunc sunt, nimirum ceteris aequales. Quae cum ita sint, ego in quarto (mihi septimo) versu elogii ejusdem Arcus, ubi vestigia aeneorum characterum supersunt, *Septimii Getae* nomen expressum fuisse neutiquam puto: licet praeeunte Nardino id opinati fuerint Viri Eruditi apud Suaresium: quibus nuper accessit nobile par Scriptorum in Nummaria antiquitate celebrium, nimirum Joannes Vaillantius in *Num. Impp.* Tom. II. Edit. 3. Amstelodamensis pag. 253, & Andreas Morellius *in Specimine rei Nummariae* Edit. 2. Lipsiensis pag. 184; qui de compacto affirmant, jussu Caracallae haec verba in eodem Arcu detrita fuisse,

P. SEPTIMIO. GETAE. CAESARI. PONTIF.

quibus deinde alias, sed eodem numero, literas superpositas fuisse opinantur. Ego vero a tantis Viris dissentio, atque ibi nomina, & titulos non *Getae*, sed *L. Fulvii Plautiani* olim expressa fuisse, non dubito; literarum, quae desunt, numero religiose servato hoc pacto,

ET L. FVLVIO. PLAVTIANO. PR. PR. COMITI. AVGG.

Siquidem Plautiani gloriam, & salutem pari precio habitam fuisse, ac ipsorum Septimii Severi Imperatoris, & Antonini Caesaris, eruitur ex Epigrammate Gruter. pag. 39. n. 3. duabus lineis abraso, quod ego ejusdem L. FVLVII. PLAVTIANI. ET FVLVIAE. PLAVTILLAE AVGVSTAE nominibus ita restituo. Similiter suppleo erasionem lapidis Colotiani apud Gruterum pag. 270. 6, quam vidit etiam doctissimus Cardinalis Norisius, & ex eo Pagius *in Critica Baroniana* anno 199. num. 4. Demum ita supplendam existimo septimam lineam detritam in voto dicato anno Dionysiano 197. apud eundem Gruterum pag. 46. n. 9. Porro restitutionem *L. Fulvii Plautiani*, & non *Getae* in quarta linea memorati Arcus Triumphalis alia quoque certiora monumenta amplius confirmant. Etenim Nummi Caracallae medii moduli, & raritatis eximiæ, in aversa parte exhibent Arcum eumdem, cum tribus fornicibus, ea plane majestate, qua illum erigi jussit Senatus. Supra Arcum duo viri, *Severus* nempe, & *Antoninus*, currui, quem sex equi trahunt, insidentes; utrinque vero duo equites, uno & altero pedite sequente conspiciuntur. Circum vero, legitur ARCVS AVGG. in area S. C. in antica parte est effigies Caracallae, cum epigraphe, ANTONINVS. PIVS. AVG. PONT. TR. P. VII. Ex hoc nummo, olim Christinae Reginae, quem laudat etiam Franciscus Mediobarbus in suo Occone aucto pag. 287, Suaresius integrum Arcum, Barbarorum & temporum injuria deformatum, restituit. Alium ejusmodi nummum æreum ex gaza Regis Christianissimi vulgavit Morellius in Specimine rei Nummariae pag. 182 Tabula 18. In antica parte legitur ANTONINVS. PIVS. AVG. PONT. TR. P. COS. in postica idem Arcus, & epighraphe, ut supra. In hoc nummo non animadvertit Morellius, post verba illa TR. P. detritum esse numerum Tribuniciae Potestatis VI., qui integer superest in alio nummo Musei Carthusiae Romanae: etenim Caracalla primam Tribuniciam Potestatem inierat anno 197, & 198, ut heic probat Pagius num. IX. Quare iidem nummi

percussi

percussi sunt eodem anno, quo Severo & Antonino triumphantibus erectus est Arcus. Vaillantius in Nummis Imperatorum Tomo secundo pag.253.alium nummum argenteum Caracallae, eumque rarissimum,adducit,cum eodem Arcu & epigraphe ARCVS. AVGG. Duplex litera GG,duos tantum *Augustos*,Severum & Antoninum, denotat, quibus Arcus erectus est; quique soli in curru triumphali conspiciuntur, licet in Arcus inscriptione honoris causa etiam Plautianus memoretur. Lapis ergo Colotianus a nobis suppletus inscribebatur Fulviae Plautillae, cujus nomen in prima linea, ut pridem observaverat clarissimus Perizonius, & in quarta, ejus parentis FVLVII.PLAVTIANI detritum est: qui ibidem PONTIFEX. NOBILISSIMVS. PR. PR. NECESSARIVS. AVGG. ET COMES.PER. OMNES. EXPEDITIONES. EORVM appellatur. Haec pluribus verbis habet Cl. Fontaninius *loco citato*. Herodianus lib. 3. cap. 10. de Severo Imp. ait: *ipse interea, rebus ad Orientem sic gestis, Romam revertebatur, filios jam puberes secum adducens: Urbem dein triumphans invectus est*. Ex nummis autem Severi & Caracallae inter se diligenter collatis, liquet, Severum an. Ch. 203 Romam adventasse.Cl.Georgius in notis ad Criticam Pagii To.II. Edit.Lucensis p.354, magna (inquit) jam diu est controversia de anno, & mense, quo Septimius Severus, & Antoninus Caracalla Tribuniciam Potestatem iniere. Panvinius Caracallae Tribuniciam Potestatem, cum Imperatoris titulo, A. D. 198. Kal. Juniis delatam fuisse putat. Baronius vero ad A. D. 210 scribit, Antoninum Caracallam iniisse Tribuniciam Potestatem, simulque in consortium Imperii cum Augusti titulo a Patre vocatum A.D. 200, quo Caracallae Decennalia refert. At ab utrisque dissidet Norisius, qui in Dissertatione *De Votis Decennalibus* cap. 4. pag. 90. tradit, Severum A. D. 193. Kalend. Juniis Senatus Consulto Tribuniciam Potestatem cum Augusti titulo accepisse; quod cum Pannonici exercitus ante paucos dies Imperatorem salutassent. Alii vero contendunt,Severum die XIII. Aprilis A. D. 193. apud Carnutum ab Illyricianis & Pannonicis Legionibus Imperatorem fuisse appellatum,atque adeo ex ea die Tribuniciam ejus Potest. esse sumendam. At Norisius mox scribit,se,cum ex nummorum,& lapidum inscriptionibus annum communicatae Antonino Caracallae Tribuniciae Potestatis indagaret, in cimeriis plane tenebris versari sensisse,spemque omnem abjecisse, ac satius duxisse,rei difficultatem aliis praemonstrare. Ex nummo Gazae Mediceae,cum epigraphe Antonini, & retrorsum P.M.TR.POT.XX.COS. IIII. colligit,initium Tribuniciae Potest. Antonini ab A.D. 198. esse deducendum. Ex Gruteriano lapide pag. 269. n.2, die IV. Apr. A. D. 200. dedicato, ubi Antonini Tribunicia Potestas memoratur, affirmat, per id tempus Tribuniciam Potestatem tertiam iniisse. At his Norisius objicit insignia elogia, quae Romae visuntur, nempe Inscriptiones Severi in fronte Panthei, in Foro Piscium, & in hoc Arcu Severi de quo loquimur, in quibus Tribunicia Potestas XI Severi, cum Tribunicia Potestate VI Antonini occurrunt; & aliam apud Gruterum pag. 191, in qua Severus dicitur Trib. Pot.XI, & Antoninus V. Ex his infert Norisius, Antoninum fuisse designatum Augustum post Kal. Junias A. D. 198., & ad ejusdem Trib. Pot. XX in nummis quod attinet, amandat ad lapides e tenebris educendos, ex quibus difficultates omnes infringi posse sperat. Ita Vir Eminentissimus; quod ejus animo insederat, Septimium Severum Kal. Juniis primam Tribuniciam Potestatem accepisse, itidemque Antoninum post ipsas Kalendas. Quamquam paullo post pag. 93 affirmat, Antoninum Caesarem, Imperatorem destinatum, & Tribuniciam Potestatem ei delatam a Severo post victum Albinum, A.D. 198, die 19 Februarii. Et in Epochis Syromacedonum Dissert. V. cap.3,agens de nummo Antonini cum epigraphe, COS. DES. TRIB.POT. IIII, censet, Antoninum A. D. 198. ante mensem Aprilem Tribuniciam Potestatem a Patre accepisse. Bono tandem fato accidit,ut anno 1731(ut diximus in Chron.ad ann.Ch.200)Ara quaedam votiva ad Lateranum erueretur,quae vota Norisii solveret, & scrupulos omnes eximeret. Dedicata namque dicitur KAL. APRIL. SEVERO & VICTORINO COSS. nempe anno Chr. 200: in ea vero Kal. Aprilis Anno Chr. 200 Severus cum Trib. Potestate VIII, & Antoninus Caracalla cum Trib. Poteste III. recensentur. Itaque uterque Primam Tribuniciam Potestatem ante Kalendas Apriles inierat. Fallitur ergo Pagius, qui ad annum Chr. 193. num. 5. scribit, Tribuniciam Potestatem Severi die 13. Aprilis incoepisse: & ad an. 198. num.9, Caracallae Tribuniciam Potestatem, post diem 13. Aprilis ejusdem anni 198 esse desumendam.

187. Vir

INDICULUS TAB. III. SAEC. II

187. Maeander fluvius, ex Nummo Alexandri Severi, quem *Antiochiae* Pisidiae arbitror cusum fuisse. Visitur in postica senilis figura ejusdem Fluvii decumbentis, qui dextra arundinem, sinistro brachio urnae aquas vomenti innixo, tenet. Cl. quoque Vaillantius *de Colon.* Tom. II. p. 161, Antiochiam Caesaream Pisidiae asserit denotare, ad fluvium Maeandrum sitam; de qua vide Strabonem lib. 12. p. 577. Hæc Antiochia ad Maeandri ortum versus Montes in Tabulis Geographicis ponitur: quod mire quadrat cum hoc Nummo, qui eam sitam ad fluvium indicat. Nummus autem de quo loquimur, interpretari etiam potest de Antiochia Cariae, item ad fluvium Maeandrum sitam: de qua Plinius lib. v. sect. 29. in Caria, *Antiochia* (inquit)... *nunc eam circumfluunt Maeander, & Orsinus*. In Notitia antiqua inter Episcopos Cariae Provinciae legitur pag. 17, Ὁ Ἀντιοχείας τῦ Μαιάνδρου: p. vero 49. τῦ Μαιάνδρου, quemadmodum & Leunclavius habet pag. 94. Vide Ptolemæum lib. v. cap. 2, Strabonem lib. 12. pag. 630, & Phlegontem *in Mirab.* cap. 6. Idem Maeander fluvius apparet etiam in Nummis *Apamiae Phrygiae, quae & ad Maeandrum dicta*, ut videre licet apud Harduinum *de Nummis Antiquis Populorum* pag. 58. & seq. Plinius lib. v. sect. 31. *Amnis Maeander.... Apamenam prius pervagatur Regionem &c.* Vide eundem etiam sect. 25. ejusdem libri, & Dionem Prusaeum Orat. 35 ad Apamenses pag. 433. In Nummo Apamensium Gordiani Junioris in Cimelio Regis Francorum habentur syllabae MAI. & MAP. quibus Maeander Marsyasque signantur. De utroque Claudianus cecinit lib. 2. in Eutrop.

Icarium pelagus, Mycalæaque litora juncti
Marsya, Maeanderque petunt: sed Marsya velox,
Dum suus est, flexuque carens: jam flumine mixtus
Mollitur, Maeandre tuo: contraria passus,
Quam Rhodano stimulatus Arar.

188. Nummus Hadriani. Legitur in postica, quam heic exhibemus, EXERC. MAVRETANICVS. Imperator sedet equo, & adloquitur milites. Spartianus de Hadriano pag. 3. *Lusium Quietum*, inquit, *sublatis gentibus Mauris, quos regebat, quia suspectus imperio fuerat, exarmavit. Martio Turbone, Judaeis compressis, ad deprimendum tumultum Mauretaniae destinato &c.* & pag. 6. *motus Maurorum compressit, & a Senatu supplicationes emeruit*: & paulo infra, nempe cap. 13: *Post in Siciliam navigavit &c. Inde Romam venit, atque ex ea in Africam transiit, ac multum beneficiorum Provinciis Africanis attribuit*. Visuntur in Cimeliis quamplures Hadriani nummi cum epigraphe, MAVRETANIA, vel EXERCITVS MAVRETANICVS: & alii, in quibus legitur, EXERC. DACICVS, vel EXERC. RAETICVS, vel EXERCITVS BRITANNICVS. Habuit enim Hadrianus plures in procinctu exercitus, in iisque Legiones plurimas. Lege Favorini dictum sane lepidum, relatum in Indiculo hujus Tabulae num. 131; & vide Harduinum *de Nummis antiquis Populorum* pag. 480, ac Vaillantium *Num. Imp. Rom.* Tom. I. pag. 62. Extant quoque apud Mediobarbum, aliosque, non pauca Hadriani Numismata, tertio ejus Consulatu notata, in quorum postica legitur, ADVENTVI. AVG. AFRICAE, vel ADVENTVI. AVG. MAVRETANIAE, vel RESTITVTORI. AFRICAE, vel RESTITVTORI. MAVRETANIAE. S.C. ex quibus Pagius putat, Hadrianum in Africam transiisse anno Chr. 126. Duae erant Mauretaniae nempe Tingitana, ac Caesariensis. Plinius lib. 5, cap. 1. *Principio*, inquit, *terrarum Mauretaniae appellantur usque ad Cajum Caesarem Regna, saevitia ejus in duas divisa Provincias*.

189. Opus anaglypticum Trajani, quod extat in Arcu Beneventano, vulgo dicto *Porta Aurea*. Vide Indiculum hujus Tabulae III, Saeculi II, numeris 178, 181, & 184, nec non Serlium, Ficoronium, & Joannem de Vita, qui eundem Arcum in tabulis ex ære incisis Rei Antiquariae Cultoribus exhibuerunt. De eo nonnulla erudite scripsit Franciscus Maria Pratillus in luculento Opere *della Via Appia* lib. 4. c. 3. p. 448, & seqq. post Joannem de Nicastro Beneventanæ Eccl. Archidiaconum, qui & ipse peculiarem de eo edidit Dissert. an. 1723, inscriptam *dell'Arco Trajano di Benevento*. Hoc anaglypticum opus mirifice illustrat insignis illa aenea tabella reperta atque eruta anno 1747 in Agro Placentino, ab urbe milliariis 18, a Macinessi Colonis, quae docet, Trajanum erogasse *sestertiorum decies quadraginta quatuor millia* (hoc est 1044000), ut obligarentur Praedia, atque ex iis *Pueri Puellaeque alimenta acciperent: legitimi numero 245, in singulos sestertios 16 nummos: fiunt sextertii 47040 nummi*. Trajanum extra Romam pecuniam in alimoniam puerorum largiter erogasse, ænea haec tabula docet, Dio lib. 68. pag. 771, de ipso ait:

ait: *Italiae quoque Civitatibus ad liberos alendos multa elargitus est, in illas etiam beneficus*. Extant Trajani numismata in Museo Arschotano Tab. 35. n. 14, & apud Erizzum pag. 338, Mediobarbum pag. 157, Angelonum pag. 108, Begerum Vol. 2. pag. 650, in Thesauro Regiuae Sueciae Tab. 9. num. 20, & in Museo Musselliano Tom. I. Tab. 65. num. 4, & Tab. 67. num. 3, & 4, in quibus legitur ALIM. ITAL. *Alimenta Italiae*. Romae quoque idem Trajanus, teste Plinio in Panegyri numero 18, *Infantium turbam ferme quinque millia ingenuorum, ut pasceret, conquisivit, & invenit*. Vide memoratam Tabulam æneam Placentinam apud Cll. Viros March. Scipionem Maffejum, Antonium Franciscum Gorium, & Ludovicum Muratorium, quos omnes honoris & amicitiae causa heic nomino.

190. SS. MULIERES CHRISTIANAE. *Romae, Lucina Apostolorum Discipula, die* xxx. *Junii*. *Tuburbi in Africa, Perpetua & Felicitas, die* VII. *Martii*. *Amisi in Paphlagonia, Alexandra, Claudia, Euphrasia, Matrona, Julitta, Euphemia, & Theodosia, die* xx *ejusdem Mensis*. Vide Martyrol. Rom. ad dies, de quibus supra, & Ruinartium in *Act. Mart. sinc.* pag. 81, & seqq. (ubi habentur Acta Passionis SS. Perpetuae & Felicitatis, cum Sociis earum), & p. 353, & seqq. ubi extat Passio S. Theodoti Ancyrani, & septem Virginum Techusae, Alexandrae, Phainae, Claudiae, Euphrasiae, Matronae, & Julittae, scripta a Nilo teste oculato. De SS. Perpetua, & Felicitate jam egimus in Indiculo hujus Tabulae num. 7. 8. & 148. De SS. vero Theodoto, & septem Virginibus, adeatur To. 4. Actor. Sanctorum Maji, ad diem scilicet 18 ejusdem Mensis. Miror tamen, cur nec Theodoti, nec septem Virginum, quae paulo ante ipsum passæ sunt, ulla habeatur memoria in antiquis Latinorum Martyrologiis, ut scribit Ruinartius pag. 353. Solum in hodierno Martyrologio Romano, & Usuardi Auctariis eorum dies Festus die 18. Mensis Maji recolitur. At celebres semper apud Graecos fuere, qui, ut plurimum, SS. septem Virginum die 18 Mensis Maji; Sancti vero Theodoti die 7 Junii seorsim Festum recolunt. Et quidem Theodotum aliquot diebus post has Virgines passum esse, nemo inficiari potest; quamvis in nonnullis Kalendariis, & in Typo Laurae S. Sabae prope Jerosolymam omnes simul die 18 Mensis Maji celebrentur. Jam vero quaerendum est, quonam tempore hoc Martyrium contigerit. Certe, quamvis id auctor diserte non expresserit, ex ejus tamen verbis colligi potest, ipsum ad magnae Persecutionis Diocletiani initia, idest ad annum 303 referri debere. Describit enim saevissimam Persecutionem, qua primo Ecclesiae destructae sunt, postea fugati Sacerdotes, ac tandem in omnes saevitum fuit: quae quidem omnia optime iis conveniunt, quae de Diocletiani & Maximiani acerbissima Persecutione Lactantius & Eusebius narrant. Ad extrema autem ejus Persecutionis decennalis tempora, quando solus Maximinus in Oriente saeviebat, referri non potest: siquidem Praeses Theodoto amicitiam Imperatorum pollicetur, ac ad ipsos scribendi facultatem; immo & ipsummet ab Imperatoribus epistolas recepturum ait: quae tempore Maximini vix dici potuissent.

191. Protome Crispinae Brutii Praesentis bis Consulis filiae, Commodi Imperatoris uxoris, ex Marmore Capitolino ab egregio Artifice scalpto, de quo vide Cl. Bottarium Tom. 1. *Musei Capitolini* Tab. 49. Haec, ob adulterium, mariti jussu in Insulam Capream relegata, ibidem morte mulctata est. Vide Dionem lib. 72. pag. 818, Tillemontium in Commodo Tom. II. *Histor. Imper.* pag. 828, & nostrum Chronicum ad annum Chr. 183.

192. Fragmentum Epistolae Polycratis Ephesiorum Episcopi ad Victorem Papam, in qua traditio exponitur, de Paschate eo die, quo Judaeis praescriptum erat, celebrando, in Asia ad sua usque tempora propagata. Extat apud Eusebium lib. v. cap. 24. Incipit Latina versio (in egregia *Epistolarum Romanorum Pontificum* Editione Coustantii Tom. I pag. 95.), *Nos igitur verum, ac genuinum agimus diem, nec addentes quidquam, nec detrahentes*. Totum hoc fragmentum non Rufinus modo, sed & S. Hieronymus in lib. *de Scrip. Eccl.* cap. 55. Latine convertit. Is porro Epistolam, ex qua decerptum est, *Synodicam* vocat; licet solus in ea Polycrates loquatur; qui, ut accepit Victoris litteras de Festi Paschalis in die Dominico celebrandi more, Apostolorum Petri & Pauli traditione accepto, Synodum convocavit, &, ut inquit Eusebius, *ad Victorem, & Romanae Urbis Ecclesiam scripsit, traditionem ad sua usque tempora exponens*. Disputatio de die, quo Pascha celebrandum esset, Anicetum inter & Polycarpum inita, nec sub ejus Successoribus Sotere, & Zephyrino

INDICULUS I AN.III.SAEC.II rino plane sopita, demum sub Victore vehementius exarsit. Haec in Eusebii Chronico ad quartum Severi Imperatoris, hoc est Christi 196, annum refertur. Ea de causa diversae in Palaestina, in Ponto, in Gallia, in Provincia Osrhoena, nec non Corinthi celebratae sunt Synodi, in quibus, sicut in Romana, cui Victor praeerat, definitum est, *ne ullo alio, quam Dominico die, mysterium Resurrectionis Domini unquam celebretur*. An vero Victoris PP. rogatu congregatæ fuerint illae Synodi, disquirit laudatus Constantius.

593. SEDES ANTIOCHENA, ubi primum Discipuli cognominati sunt Christiani, ex antiquo Musivo in tholo S.Joannis in Fonte Ravennatensi, apud Ciampinum To. I *Veter. Monument.* Tab. 37, & 70. pag. 133, & 234. Petrus Apostolus cum Antiochiam venit (Principem Syriae urbem), in Ecclesia ibidem collecta ex Judaeis (nondum admissis Gentibus) Sedem fundavit, eamque septennio tenuit, antequam Romanam constitueret. Doctissimus Bacchinius *De Originibus Hierarchiae Ecclesiasticae* pag. 196, & seqq. haec fuso calamo scribit: „ Fundatam a Petro Apostolorum Principe Antiochenam Ecclesiam, ubi septem annis Episcopus sederit, communis Ecclesiae sensus est, ac tum Veterum, tum Recentiorum assertio: at quo anno primum fundata sit, incertum plane, ac controversum. In eo tamen consentire visi sunt omnes (si Panvinium excipias, de cujus sententia consulendus Baronius ad an. 39), ut Cathedrae Antiochenae initia ante primum Claudii imperantis annum constituerint. Etenim, cum creditum sit, Petrum Romanam Cathedram vigintiquinque annis tenuisse, vel post Romanae initia fundatam Antiochenam asserendum (quod unus Panvinius dixit), vel ab anno secundo Claudii, quo primum Petrum Romam venisse Eusebius tradiderat, retrogrediendum erat, ut septem Antiochenæ Sedis anni invenirentur. At angustiae undique in hoc Chronologiae systemate. Etenim cum Petrum, & Paulum Romae passos anno Neronis duodecimo, Vulgari videlicet 65, probent, quae allegantur ex Epiphanio *Haeres.* 26. cap. 6, Tacito lib. 16. *Annal.*, Suetonioque in Nerone 29. collatis cum Pauli Orosii lib. 7. cap. 5, aliisque, Heschenio ante Tom. I Aprilis, Papebrochio in *Conatu*, & *in Respons. ad Exhib. Err. ad art.* 2. §. 1, Schelestrat. *Antiq. illustr.* pag. 30, Pagio in Criticis ad annum Vulg. 67; retrogrediendo per annos 25, invenitur, non annus secundus Claudii, qui 42. Vulg., sed 40 postremus Caji (ut ostendit in Notis ad Anast. Bibliothecarium, & in Chronologia Franciscus Blanchinus Patruus meus). At, prosequitur Bacchinius, nonnisi prima Februarii anni 41. Claudius imperare coepit, atque ideo si fundatam, ut vetus fert traditio, Romanam Cathedram velimus Januario Mense, anno saltem quadragesimo currente Romam Petrus venerit necesse est, ac ideo septem Antiochenæ Sedis anni ipso anno Vulgari 33 incipiunt. Rursus cum Valesio ad Euseb. *Histor.* lib. 2. cap. 6, & Pagio supralaudato, sicuti & Panvinio observatum sit ex Actuum Apostolorum Historia, Petrum minime Syria excessisse ante Agrippae mortem, postquam scilicet ille Petrum in Vincula conjecisset; efficitur, nonnisi post annum eundem, Petrum Roma proficisci potuisse. Decessit autem Herodes, nemine contradicente, anno Claudii imperantis quarto, Vulgari 44: quare ex eo, quod Petrus paulo ante hujus mortem e carcere liberatus *in alium locum abierit*, argui videretur, Petrum nonnisi anno 43, vel 44, Antiochenam Cathedram fundasse. At Agabi prophetia, de futura fame in universo Orbe Terrarum a S. Luca relata, rem attentius considerandam esse monet. Pene toto imperantis Claudii tempore fames Orbem Romanum afflixit, ut ex Veterum lectione, & numismatibus Cl. Vir Pagius notavit ad annum Christi 42 &c. Statuendum itaque, eodem fere tempore, & quod ait Lucas, ἐν ταύταις ταῖς ἡμέραις, Agabum praedixisse, famem paucos post menses futuram, & Coetum Antiochenorum credentium, Petro in primis, ac Paulo, Barnabaque laborantibus, Christiano nomine vocari coepisse, constitutis Ecclesiae Typo, Presbyterio videlicet, & Petri Cathedra. Quo facto Hierosolymam Petrus abiens, ab Agrippa Judaeis morem gerente, qui Jacobum Joannis fratrem gladio occiderat, in Carcerem detrusus est, statim ab Angelo liberandus; quae quidem anno sequenti Claudii tertio evenerint. Ita Februario ad finem vergente, coepto jam Claudii imperantis, ab ipsius Februarii Kalendis, anno secundo, annoque a CHRISTI Passione duodecimo cadente, Cathedra Antiochena, Petro sedente, constituta est; &, quod inciperent credentes in CHRISTUM suo veluti systemate in Judaica politia regi, novum nomen assumpsere, *Christianique* vocati sunt. Quare eodem tempore, & Antiochenam Cathedram

dram a Petro fundatam, & Christianum nomen exortum, & Conventum Apostolorum celeberrimum, Ecclesiam videlicet, tanto consensu Patres cognovere; ut de Antiochenae Sedis privilegiis nunquam loquantur, quin haec ipsa in eorum argumentum allegent. Sane ita mihi intelligitur celebris ille Innocentii locus ex Ep. 18. cap. 1. ad Alexandrum Antiochenum, quem, cum non itelligerent Doctissimi alias Viri, ita traduxere, ut vel Synodum Apostolorum, quae nunquam habita est, laudarent, vel Innocentium lapsum dicerent, qui, quod Hierosolymis factum fuerat, Antiochiae adscripsisset. Clara, & vera omnia, si rite intelligantur: *Advertimus*, inquit Pontifex, *non tam pro Civitatis magnificentia hoc eidem attributum* (Primatus videlicet supra Orientalem Dioecesim), *quam quod prima Apostoli Sedes esse monstretur, ubi & nomen accepit Religio Christiana, & quae Conventum Apostolorum apud se fieri celeberrimum meruit*. Passim autem ex Petri Sede, ac ex nominis Christiani Natali, adstruunt Antiochenae Ecclesiae praerogativam, quod utriusque eodem tempore initium fuerit, antiqui Patres. Ita Gelasius in Concilio Romano: *est ergo prima Petri Apostoli Sedes .... Tertio vero Sedes apud Antiochiam ejusdem B. Apostoli Petri habetur honorabilis, eo quod illic, priusquam Romam venisset, habitavit, & illic primum nomen Christianorum novellae Genti exortum est*. Chrysostomus Antiochenus ipse To. 1. Homil. 42, Petrum ob id Antiochiae sedisse tradit, quod ibi Christianum nomen exortum sit: *haec est una*, inquit, *nostrae Civitatis praerogativa dignitatis, quod Principem Apostolorum ab initio Doctorem acceperit. Aequum enim erat, ut ea, quae nomine Christianorum ante universum Orbem Terrarum ornata fuerat, primum Apostolorum Pastorem acciperet*. Idem Homil. 7. in Matth.: *Vos autem, siquidem aliquod de honore certamen oriatur, omni ambitione contenditis, ut vel universo praesideatis Orbi, illo scilicet vobis privilegio blandientes, quod haec prima Civitas Fidelibus Christianorum nomen imposuit*: & Homil. 3 ad Populum Antiochenum, *Sicut Petrus* (ait) *inter Apostolos primus Christum praedicavit, sic inter Civitates haec prima tanquam coronam quamdam admirabilem Christianorum tulit appellationem*. At nil clarius, disertiusque afferri potest, quam ipsum Ignatii Martyris testimonium, qui & Antiochenae Ecclesiae Episcopus, & Apostolis synchronus, rei testis est omni exceptione major, ac in Epist. ad Magnesianos haec habet: *Simus itaque digni cognomento, quod accepimus: qui enim alio nomine appellatur, praeter hoc, hic non est Dei, nec accepit Prophetiam loquentem de nobis*; & vocabitur tibi nomen novum, quod os Domini nominavit, & erit Populus Sanctus: *Antiochiae enim primum Discipuli appellati sunt Christiani, cum Petrus & Paulus Ecclesiam fundarent*. Quibus, licet superfluũ sit alia addere, juvat tamen observare quemdam locum in Chronico Paschali, vel ab Auctore vetera inepte consarcinante confusum, vel ab alio quopiam interpolatum, ex quo tamen satis constare potest, quam recentiora traditis ab Eusebio, Antiocheni existimarent & sequioribus Saeculis suae Ecclesiae initia. Constat enim inter Eruditos, Chronicon illud Antiochenum potius, quam Alexandrinum vocari debere. Itaque sub Collegio illo Consulum, quo Claudius primo Consul processit, quodque uno anno antevertit verum Claudii Consulatum, quem Imperator renuntiatus iniit anno Vulgari quadragesimo, haec habentur: *Petrus Apostolus his Coss. primus Ecclesiae Antiochenae fundamenta jecit*. At Leliano & Plautio Coss., anno videlicet Vulgari 36, haec scripta: *Quarto post Domini in Caelos Assumptionem anno Petrus Apostolus Hierosolymis Antiochiam magnam profectus, Verbum Dei docuit, & Episcopatus ordinatione suscepta, a Judaeis, qui Christiani effecti erant, persuasus, illic, semet in Thronum immisit, neque quemquam ex Gentilibus, qui Fidem receperant, aut excepit, aut amplexus est; sed illis ita dimissis, inde exivit*. Verum qui simul vera esse possunt, ut Petrus Antiochiae, Leliano & Plautio Coss., *Episcopatus ordinatione suscepta semet in Thronum immiserit*, & deinde Claudio primum Cos. *Ecclesiae Antiochenae fundamenta jecerit*: Dicam, quod est: assuta sunt, quae primo loco de Petri Episcopatu Antiocheno scribuntur. Extat in Thesauro Temporum Scaligeriano post Eusebii Chronicon, Epitome Chronicorum ab Adam ad Heraclii tempora, quae ipsum Chronicon Paschale est, sine adscititiis assumentis. Ibi Leliano & Plautio Coss. haec tantum habentur: τετάρτῳ ἔτει τῆς εἰς οὐρανοὺς ἀναλήψεως τοῦ Κυρίου, Πέτρος Απόστολος ἀπὸ Ἱεροσολύμων ἐν Ἀντιοχείᾳ τῇ μεγάλῃ τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ ἐδίδασκεν. Cetera non leguntur, nec legi possunt, cum ad Claudii Consulatum transferantur Antiochenae Sedis initia. Haec ex Cl.

INDICULUS TAB.III.SEC.II

ex Cl.Baechinio. Ego vero ad Antiochenae Sedis dignitatem ſtylum nunc convertens, de anno fundationis ejus amplius non exquiram. S. Innocentius I Pontifex Summus in Epiſt.23 ad Bonifacium presbyterum ſcribit: *Ecclesia Antiochena, quam prius, quam ad Urbem perveniret Romam, B. Apoſtolus Petrus ſua praeſentia illuſtravit, velut germana Ecclesiae Romanae, diu, ſe ab eadem alienam eſſe, non paſſa eſt*. Eam ergo dignitatis tantae participem Nicaena Synodus conſtituit Can.VI (ſicut laudatus Innocentius refert in citata Ep.24 ad Alexandrum Epiſc. Antiochenum), ut nempe non Provinciæ uni, ſed toti Orientali Diœceſi, quæ quindecim Provinciis conſtabat, praeeſſe deberet: *Revolventes itaque*, ait Sanctiſs. Pontifex num.1, *auctoritatem Nicaenae Synodi, quae una omnium per Orbem Terrarum mentem explicat Sacerdotum, quae cenſuit de Antiochena Eccleſia cunctis fidelibus, ne dixerim Sacerdotibus, eſſe neceſſarium cuſtodire, qua ſuper Diœceſim ſuam praedictam Eccleſiam, non ſuper aliquam Provinciam recognoſcimus conſtitutam. Unde advertimus, non tam pro Civitatis magnificentia hoc eidem attributum, quam quod prima primi Apoſtoli Sedes eſſe monſtretur, ubi & nomen accepit Religio Chriſtiana, & quae Conventum Apoſtolorum apud ſe fieri celeberrimum meruit, quaeque Urbis Romae Sedi non cederet, niſi quod illa in tranſitu meruit, iſta ſuſceptum apud ſe conſummatumque gauderet*. Illud vero Antiochenae Sedis in Orientem jus a Nicaena Synodo aſſertum, S. Hieronymus Epiſt. 61 ad Pammachium adverſus Joannem Hieroſolymitanum vindicat, & explicat his verbis: *tu, qui regulas quaeris Eccleſiaſticas, & Nicaeni Concilii Canonibus uteris, reſponde mihi, ad Alexandrinum Epiſcopum in Palaeſtina quid pertinet? Ni fallor, hoc ibi decernitur, ut Palaeſtinae Metropolis Caeſarea ſit, & totius Orientis Antiochia. Aut igitur ad Caeſarienſem Epiſcopum referre debueras; aut, ſi procul judicium repetendum erat, Antiochiam potius dirigendae literae*. Ubi reſpicit Hieronymus ad Nicaenos Can.VI, & VII. Porro Nicaena Synodus Antiochiam non tam conſtituit, quam conſtitutam recognoſcit ſuper Diœceſim ſuã, eique hanc praerogativam illaeſam ſervari vult. In obſequium ſcilicet Petri, aliorumque Apoſtolorum, ea fuit Eccleſiae obſervantia, ut quas vel rexerunt, vel fundaverunt Eccleſias, illae ampliſſimis honoribus, ac titulo *Apoſtolicarum Sedium* a Patribus decoratae ſint. Neque alia de cauſa eodem titulo inſignita eſt Alexandrina, quam quod a Marco Petri diſcipulo cum fundata ſit, & gubernata, Petrum ipſum habuiſſe rectorem, fundatoremque cenſeatur. Quamobrem de Alexandrina, Antiochenaque Sede, poſt Romanam, ſic mentionem facit, ac decernit Synodus Nicæna, ut nullam aliam eis conferendam eſſe conſtituat. Hinc Bonifacius I Ep.15.n.5 ad Epiſcopos Illyrici ait: *recenſete Canonum Sanctiones: reperietis, quae ſit poſt Eccleſiam Romanam ſecunda Sedes, quaeve ſit tertia*. Hinc (ut animadvertit Doctiſſimus Couſtantius) & Leo Anatolio auctor eſt, ut Regiae Urbis Epiſcopatu contentus, ſuae ſe dignitatis finibus concludat, non ambiat altiorem gradum, *nec dedignetur Regiam Civitatem, quam Apoſtolicam non poteſt facere Sedem: quae utique*, inquit in eodem ſenſu S. Gelaſius Epiſt. VII num. 6, *per Canones inter Sedes nullum nomen accepit*. Ubi notandum, Apoſtolicas illas Sedes, veluti per autonomaſiam, *Sedes* ſimpliciter nuncupari. Quo ſpectat illud Leonis Epiſt. 110. num.3, *etſi enim diverſa nonnunquam ſint merita Praeſulum, tamen jura permanent Sedium*: hoc eſt, jura illa cum ſint ipſis Sedibus, non ſedentium meritis conceſſa; pro ſedentium diverſitate non mutantur, ſed immobilia peraeque manent atque ipſae Sedes. Illud autem Romanam inter, & alias Sedes duas, diſcriminis eſt; quod hae, Privilegia ſua *per Canones*, & Eccleſiaſtico tantum jure dicantur obtinuiſſe; illa vero, quae Petri morte conſecrata eſt, totum id retinuerit juris, quod Apoſtolorum Princeps fuerat a Domino conſequutus. Inde etiam brevi obtinuit uſus, ut illi uni proprium maneret *Apoſtolicae Sedis* nomen.

194. Nummus ab Antiochenis cuſus ſub Varo Syriae Praeſide. Legitur in poſtica ΕΠΙ ΟΥΑΡΟΥ ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. *ſub Varo Antiochenſium*. Figura muliebris turrita, Antiochiae Imago, cum palma Syriae ſymbolo, collibus inſidens, ad cujus pedes Orontes fluvius, quo Urbs alluitur, ex undis partim emergens. Vide n.23, 24, & 25 Tab.I. Saec.I. Iſte nummus heic exhibetur ad repraeſentandam Imaginem totius Syriae Metropolis. De Antiochiae praerogativis, locus Joſephi *Antiquit.* lib. 17. cap. 7. obſervari meretur: *Varus* (inquit) *ſequenti die Antiochiam profectus eſt, ubi plurimum ſolebat degere, quod illic eſſet Syrorum Regia*. Haec Urbs, diuturniori Propraetorum mora, veterem, quam ſub Regibus habuit, praerogativam ſervavit diutius: verum, ſi rem penitus inſpiciamus, id erat antiquæ gloriæ, & magni nominis umbra,

cum

cum ob id nihil juris in alias Syriae Civitates haberet, cum nec Legatus Antiochiae residere ex lege teneretur. Hadriani aevo in eam dignitatem evecta fuerat, ut Civitatum plurimarum a Comagene, usque ad Judaeae fines Caput diceretur, & fortassis supra Judaeae etiam Urbes eminuerat, antequam Trajano imperante per Coroelium Palmam Arabia in Provinciae formam redacta, Judaeaeque ipsi addita, unum ex utraque conflatum fuisset a Syriae Provincia distinctum: quare Hadrianus ipse ex Spartiano *Antiochenses inter haec ita odio habuit, ut Syriam a Phoenice separare voluerit, ne tot Civitatum Metropolis Antiochia diceretur.* Hadrianus ergo Phoeniciam a Syria Antiochena separavit, & mouit, Phoeniciaeque fines ad Euphratem esse voluit, ac Provinciam Syrophoenicis nomine vocatam Legato suo regendam demandavit. Id & apud subsecutos Imperatores obtinuisse probat Inscriptio ex Sponii *Miscell.* sect. 8. ab Eminentissimo Norisio laudata,

IMPERATORES . CAESARES
L.SEPTIMIVS. SEVERVS. PIVS. PERTINAX
AVG. ARABICVS.ADIABENICVS
PARTHICVS. MAXIMVS
TRIBVNICIA . POTEST. VI. IMP. XI.
COS. II. PROCOS. P. P.
ET . M. AVREL. ANTONINVS . AVG.
FILIVS . EIVS
VIAS . ET . MILIARIA . PER . Q. VENIDIVM
RVFVM
LEG. AVG. PR. PR. PRAESIDEM
PROVINCIAE . SYRIAE
PHOENIC. RENOVAVERVNT.

Sed & idem observat in Dionis excerptis apud Leunclavium pag.988, Imperatorem Macrinum dignitatem Senatoriam Mario Secundo detulisse, qui etiam eidem dicitur *Phoeniciae Praefect*. Idipsum de Palaestinae Provincia ejusdem doctissimi Cardin. beneficio agnoscendi facultatem habemus, ex his, quae ille colligit Dissert. V. *de Epochis Syromacedonum*, nonnullos ejus Provinciae Praesides numerans, qui sub Trajano, & Hadriano jus dixere; sed & recentius admodum vidit ex Eusebii libro *de Martyribus* sex annorum spatio, tres Palaestinae Rectores praesedisse, Flavianum videlicet, Urbanum, ac Firmilianum. Descripserat autem Dissert. 3. cap. 1. ex Gruteriano Thesauro pag. 1091. 5. infrascriptam Inscriptionem,

Q. ATRIO CLONIO LEG. AVG. PR. PR.
PROVINCIARVM .
TRACIAE . CAPPADOCIAE. SYRIAE.
MAIORIS . HISPANIAE .
CITERIORIS . CLAVDIVS . IVSTVS
LEG. VII. GEMIN. P. F.
SEVERIANAE . ALEXANDRINAE .
PRAESIDI. ABSTINENTISSIMO.

cui illustrandae in rem nostram haec addit; *hoc Epigramma positum est post Imperium Alexandri Severi, a quo Legio Septima Severianae Alexandrinae cognomina tulit. Hinc autem colligimus, id temporis Syriam Superiorem uni Legato Propraetori paruisse, cum alii ab eodem distincti Legati Phoeniciam, ac Palaestinam administrarent.* Placuit ex tanti nominis Scriptore proficere, ut liquido constaret, per tria fere priora Christianorum Saecula ex Praesidis Syriae jurisdictione, non potuisse Antiochiam censeri Caput, nisi Regionis non admodum magnae, licet minime liqueat, an Antiochia adeo sola circumpositarum Urbium Metropolis dicta sit, ut ex ceteris nulla eodem encomio sit ornata; quandoquidem in Syro-phoeniciae Provincia, praeter Tyrum, Damascus etiam Metropolis fuerit. Certe Laodicea ad Mare Antiochiae vicina, nec plusquam LXV. milliaribus distans, postquam semel Severo imperante Metropolis nomen obtinuit, quod contra Pescennium steterit, illud retinuit, ut constat ex Nummis Getae apud Vaillantium cum adjuncto Septimiae, SEPT. COL. LAOD. METRO., & in Elagabalo COL. LAODICEA. METROPOLEOS., & apud Occonem, ac Mediobarbum, Philippi Senioris aevo, in quorum tribus, literis Graecis Imperatoris epigraphe scripta, ΑΥΤΟΚ. Κ. Μ. ΙΟΥΛ. ΦΙΛΙΠΠΟС СΕΒ, in adversa parte latinae usurpantur, COL. LAOD. METROPOLEOS. Δ. E.: at in Phoenicia non modo Tyrum, & Damascum, sed & Sidonem, ac Emisam Metropoles laudatas videre est, hanc quidem in Elagabali Nummis apud Vaillantium, uno cum epigraphe, ΜΗΤΡΟ.Κ.ΕΜΙ-CΩΝ, altero cum elogio, ΜΗΤΡΟ. ΚΟΛ. ΕΜΙ. ΩΝ.; illam autem apud eundem similiter in Elagabalo, COL. AVR. PIA. METRO. SIDON. cum aliis subsequentibus. Antiquior autem, quam forte crediderint clarissimi Viri, Syriae divisio in quatuor Provincias, Syriam videlicet Comagenem; Syriam Antiochenam, sive Superiorem, vel Majorem; Syriam Phoeni-

INDICULUS Tab.III.Sec.II

Phoenicem; ac Syriam Palaestinam; quarum Comagenes omnium antiquissime suo Rectori paruit. Licet enim probabile cuipiam videri possit, non statim Rectorem proprium missum, sed vivente Romae Antiocho cum filiis, Propraetori Syriae interim paruisse, dum ille aliquandiu spe lactaretur, se in Regnum amissum restitutum iri; nunquam tamen Metropolis dignitatem amisit Samosata. Hinc Plinio lib. 5, cap. 24. *Comagenes Caput Samosata*, & Flaviae nomen, cum praerogativis autonomiae, & Asyli, & Sacrae, habitum a Vespasiano, tam certum est, quam quod certissimum. Attributa autem hujusmodi apparent ex Nummis ab Holstenio relatis in Notis ad Stephanum ex Gazis Mediceis, quos & illustrat praelaudatus celeberrimus Card. Norisius Dissert. 2, quosque apud eosdem videre est. Haec Cl. Bacchinius in Dissert. *De Eccles. Hierarch. Origin.* Parte 1. cap. 1. pag. 53. & seqq.

195. HIERVSALEM. Ecclesia haec ex Hebraeis prima omnium, Jacobo Episcopo Justi cognomento celebri radiat in Actibus Apostolorum. Ejus Ordinatio facta est a Petro, duobus Colleghis assumptis, nempe Jacobo, & Joanne, ut testatur Clemens Alexandrinus apud Eusebium *Histor.* lib. 2. cap. 1. *Petrum autem*, inquit, *ajunt, & Jacobum, & Joannem post Ascensionem Servatoris, quamvis a Domino praelatos, non ideo de primo honore contendisse: sed Jacobum cognomine Justum Hierosolymorum Episcopum constituisse*. Ex quo Clementis loco sua accepit Auctor Epistolae, Anacleto suppositae. Ab Apostolis vero, ad subsecuta tempora propagatum est, ut a tribus Episcopis Episcopus consecraretur: qua de re extat Canon inter illos, qui Apostolici nuncupantur. Ecclesia ergo Hierosolymitana, quoniam *prima in Christum credens, ex Judaeis fuerat congregata* (ut scribit S. Hieronymus in Epistola ad Galatas cap. 1.), dicitur in Epistola Constantinopolitani Concilii, ad Papam Damasum & Occidentales Episcopos data anno Chr. 382, *mater omnium Ecclesiarum*. Et Eusebius *Historiae* lib. 4. c. 5, ejus Episcopos priores quindecim, origine Hebræos fuisse dicit, *quippe tunc temporis universa Hierosolymorum Ecclesia conflata erat ex Hebraeis fidelibus, qui jam inde ab Apostolorum aetate, ad illam usque obsidionem permanserant, qua Judaei iterum a Romanis deficientes, maximis praeliis domiti atque expugnati sunt*. Porro libro praecedenti cap. 11, *post Martyrium*, inquit, *Jacobi ..... fama est, Apostolos, caeterosque Domini Discipulos, qui adhuc superstites agebant, ex variis locis in unum convenisse, & .... in commune consuluisse, quis in Jacobi locum succedere mereretur. Omnes itaque uno consensu Simeonem filium Cleopae .... Episcopali Sede dignum judicaverunt*. Ipso vero, Saducaeorum, atque Pharisaeorum scelere, sublato, Judas cognomento Justus Ecclesiam Hierosolymitanam administravit. Secuti deinde sunt Zachaeus, Tobias, Beniaminus, Joannes, Matthias, Philippus, Seneca, Justus, Levi, Ephraemus, Josephus, & Judas, qui ad aetatem Hadriani Imperatoris vitam produxit. Plura vide apud eundem Eusebium loco citato. Nilus Doxopatrius in Tractatu de quinque Thronis Patriarchalibus, anno 1043. ad Rogerium Siciliæ Regem scripto, de Hierosolymitanae Ecclesiae statu Saeculo XI. haec scribit: *Thronus Jerosolymitanus en Dioecesi ac potestate Alexandrini* (verius dixisset Antiocheni) *avulsus, in dignitatem elatus, per se Caput aliarum Ecclesiarum extitit, & tribus aliis Thronis facultate par. Sancitum nihilominus est, post Antiochenum honore frui, & referri in Diptychis, & Sedem occupare. Nomenque sibi Patriarchae Jerosolymitanus habuit, licet antea Episcopus esset sub Caesareensi Palaestinae, cum illius Metropolis Caesarea esset, & Caesareae Jerosolyma, tanquam quae Caesareae Episcopatus erant, subderentur. Habuit vero & alias Metropoles, quae varios Episcopatus sub se habebant, nempe secundam Scythopolim sive Basan, tertiam Petram, quartam Bostram sive Arabiam. Habet praeterea & Archiepiscopatus nemini obnoxios XXV, nullis Episcopatibus nobiles, & qui subjacent Throno Jerosolymitano: I. Diospolim sive Georgiupolim: II. Ascalonem: III. Joppem: IV. Gazam: V. Anthedonem: VI. Diocletianupolim: VII. Eleutheropolim: VIII. Neapolim: IX. Sebasten: X. Jordanem: XI. Tiberiadem: XII. Dioeaesaream: XIII. Maximianupolim: XIV. Capetoliadem: XV. Myrum: XVI. Gadarum: XVII. Nazaret: XVIII. Thaborium montem: XIX. Cyriacupolim: XX. Adriam: XXI. Gabalam: XXII. Aeliam: XXIII. Pharas: XXIV. Helenupolim: XXV. Montem Sina.*

196. Effigies S. Symeonis Jerosolymorum Episcopi, ex vitro in Romanis Arenariis effosso, quod extat apud Auctorem. Hic annos centum & viginti natus, cum *constantissime Christi fidem professus esset, tandem sentem-*

sententia Judicis cruci suffixus est. Ejus Martyrium ex Hegesippo describit Eusebius lib. 3. *Hist. Eccl.* cap. 32, de quo Ruinartius *in Actis Mart. sinceris* pag.7. in Admonitione haec scribit: *Sibi non constat Eusebius in assignando tempore, quo ad Jerosolymitanam Sedem Symeon evectus est: siquidem lib. 3. cap. 11, ejus beati Viri electionem ait, factam fuisse post Urbis Jerosolymitanae expugnationem, quam tamen in Chronico, eodem anno, qua Jacobus interfectus est, contigisse scribit. Ut ut sit, certum est, Symeonem tum a Judaeis, tum a Romanis multa pertulisse, non solum ob impeditissima Reipublicae tempora, quod sane ob Judaeorum rebellionem adversus Romanos omnibus commune erat; sed quod Christi Domini cognatus, & Discipulus esset, & ex Familia Regia Davidis oriundus. Ob primam causam Judaeis invisus erat, qui Christi nomen abhorrebant: ob alteram vero Romanis, veritis, ne Davidis posteri aliquando bella Judaica renovarent. Unde utrisque in unum concurrentibus, Symeon, qui jam Vespasiani & Domitiani manus evaserat, tandem annos centum & viginti natus, gloriosum Martyrium pertulit, anno decimo Trajani Imperatoris* (*ut testatur Eusebius in Chronico*), *Christi* 108. *Alii ejus mortem ad annum circiter* 104 *referunt; cujus Festum Graeci die* 27. *Aprilis, Latini vero die* 18. *Februarii celebrant*.

197. Effigies SS. Marci, & Narcissi, Hierosolymitanorum Episcoporum, ex vitro in Romanis Arenariis effosso penes Auctorem. S. Marcus, Pompejano Luperco & L. Junio Attico Aciliano Coss. Hierosolymorum Episcopus primus ex Gentibus constitutus est anno Chr. 135, cessantibus post eos, qui ex Circumcisione fuerant; & sedit usque ad Consulatum Silvani & Augurini, idest usque ad an. Chr. 156. Hic sub Antonino Imp. obiisse dicitur apud Eusebium, Usuardum, Adonem, secutis reliquis cum hodierno Romano, ornaturque a jam dictis Martyrologis titulo *Clarissimi & Doctissimi Viri*, ad diem ejus Natalem, qui ponitur XXII. Octob. Vide *Chronologiam Episcoporum Hierosolymitanorum* in Actis SS. Maji To. 3. p. XI. De S. quoque Narcisso item Episcopo Hierosolymorum, qui post diuturnam absentiam redux, eam Ecclesiam, quantum ejus aetas provectior ferre poterat (erat enim annos circiter centum natus) administravit, consule laudatam Chronologiam p. XIII, Eusebius lib. VI. *Hist. Eccl.* cap. 11. (apud Ruinart. *in Act. Mart. sinc.* p. 114.) loquens de rebus a S. Narcisso gestis in Episcopatu, & de secessione, ac reditu, deque abdicatione ejus ob grandaevam aetatem, *Verum*, inquit, *cum* Narcissus *propter extremam senectutem ministerium suum obire amplius non posset, Alexandrum, alterius Ecclesiae Episcopum, divina dispensatio per revelationem quamdam, quae illi in somnis apparuerat, ad participandum cum Narcisso Sacerdotis officium evocavit. Has igitur visione, tanquam Divino admonitus Oraculo, Alexander, cum ex Cappadocia, in qua primum Episcopus fuerat ordinatus, Jerosolyma profectus fuisset, tum orandi, tum locorum visendorũ gratia, fratres illius Ecclesiae humanissime eum excipientes, reverti post haec in Patriam non siverunt. Alia quippe revelatio etiam ipsis per somnum visa fuerat; & vox quaedam evidentissima ab iis, qui sanctitate inter ipsos eminebant, audita. Significabat enim ipsis, ut extra portas Civitatis egressi, destinatum sibi a Deo Episcopum susciperent. Quod cum illi, consentientibus vicinarum Ecclesiarum Episcopis, fecissent, manere deinceps eum apud se coegerunt*. Quas heic (inquit laudatus Ruinartius loco citato) non satis perspicue revelationes refert Eusebius, optime exponit Rufinus *Hist.* lib. 6. cap. 8, ubi, relato Alexandri Jerusolymam adventu, haec subjungit: *Ostendebatur enim evidenter a Domino, non solum ipsi Beato Viro Narcisso, sed & aliis plurimis per revelationes in plebe, ut ipsum in Loco Sancto Episcopum detinerent. Praeter ea, quod supra cetera omnia magis terrificum fuit, eo die, quo ingressurus Urbem Alexander nunciatus est, & multitudo fratrum plurima extra portas in occursum ejus egressa est; vox coelitus manifestissime omnibus audientibus facta est, dicens: suscipite Episcopum, qui vobis a Deo destinatus est. Cumque ex his omnibus evidenter apud eos fuisset Dei dispensatio declarata, Episcopi Urbium vicinarum, compertis omnibus, quibus de eo res geri Dei judicio docebatur, residere inibi eum necessario compulerunt*. Eamdem historiam referunt Hieronymus *in Catalogo*, Nicephorus lib. 5. *Hist. Eccl.* cap. 10, aliique passim Scriptores Ecclesiastici; quam ad initium Imperii Antonini Caracallae consignant. Eam Papebrochius, in Historia Chronologica Episcoporum Jerosolymitanorum, Tom. 3. Maji, refert ad annum secundum ejusdem Imperatoris, Christi vero 212.

198. Lamina plumbea Nono circiter Saeculo insculpta, quae extat in pavimento Presbyterii Diaconiae S. Mariae in Domnica, (quo etiam loco, aetate nostra B. Balbinae ossa complura reperta sunt) cum Inscriptione,

Indiculus Tab. III. Saec. II

ne, CORPVS S. BALBINAE VIRG., inclusa marmoreo loculamento, sub Ara Maxima constituto, & quidem in publicis Tabulis actu relato, demandante Clemente XI. Pont. Max. Vide Tom. 2. *Anast. Bibl.* pag. 82, ac nostrum Indiculum Tab. II. Saeculi II. num. 41, & Tab. III. ejusdem Saeculi num. 74. Franciscus Blanchinus Patruus meus in Notis ad eundem *Anast. Bibl.* To. 3. p. 34. in Vita S. Damasi PP. scribit: *Ante annos viginti, cum jussu Clementis XI. recluderetur Capsula Reliquiarum reperta in Altaris loculamento sub Ara Maxima Diaconiae S. Mariae in Domnica, ubi reperta fuit magna pars ossium S. Balbinae cum plumbea lamella orbiculari inscripta literis*, CORPVS S. BALBINAE VIRG. *in operculo capsulae, custodientis alias reliquias, a Virginis ossibus diversas, observabantur expressae imagines SS. Apostolorum Petri & Pauli.*

199. *Vincula B. Petri* Apostolorum Principis, de quibus consule S. Joannem Chrysostomum in Epist. *ad Ephes.* Homil. 8. pag. 923, & S. Augustinum serm. 203. in Append. §. 5. p. 338. Lege quoque de hoc argumento Eruditam Dissertationem R. P. Abbatis Monsecrati Ord. Canonicor. Regular., & Praesulem Dominicum Georgium in Notis ad Martyrol. Adonis die 1. Mensis Aug. p. 368, post Baronium in Notis ad Martyrol. Rom., & in Annalibus ad an. Chr. 69. num. 30, 132. num. 1, & 439. num. 7, ubi differit de Basilica S. Petri ad Vincula: item ad an. 544. num. 2, quo loci agit de libris Aratoris S. R. Eccl. Subdiaconi, in eadem Ecclesia coram Vigilio Papa recitatis. Confer etiam Gruterum pag. 1174. num. 6, Florentinium pag. 693, 711, ac 713, Sollerium in Notis ad Usuardum die 1. Augusti, & Biblioth. SS. Patrum Tom. 8. pag. 690. In descriptione Regionum Urbis apud Mabillonium *Analect.* Tomo IV. pag. 507. legitur, *Thermae Trajani ad Vincula*: & pag. 511, *Ecclesia S. Petri ad Vincula*. Ubi Ecclesia S. Martini nunc est, ibi fuere *Thermae Trajani*, ut discimus ex antiqua Inscriptione ibidem eruta, & a Cl. Montfauconio evulgata in *Diario Italico* pag. 127. In Notitia quoque apud Eccardum legitur, *Basilica, quae appellatur* Vincula Petri, *ubi habetur Catena, qua Petrus ligatus*. Notkerus de alia Catena habet: *Romae, Statio ad S. Petrum ad Vincula: quam Ecclesiam ipse primus in Europa primam construxit, & consecravit: in qua postmodum Catenae, quibus apud Hierosolymam vinctus, & a quibus Angelica visitatione solutus est, Fidelium cura positae, expetuntur, & coluntur Orbis quadripartiti veneratione, sicut etiam distichon antiquissimum de illis testatur.* Et Martyrologium antiquum Gellonense, *Romae* (inquit) *ad Vincula, Catenas S. Petri osculandas*. Ven. Card. Thomasius in Notis ad *Capitulare Euangeliorum* pag. 188. profert sequentes versus, qui olim in Ecclesia Sancti Petri ad Vincula extabant, editos etiam a Floravante Martinello *in Roma Ethnico-Sacra* pag. 284,

HIC DOMINI TEMPLUM PETRO FUIT ANTE DICATUM
TERTIUS ANTISTES SIXTUS SACRAVERAT OLIM.
CIVILI BELLO DESTRUCTUM POST FUIT IPSUM:
EUDOXIA QUIDEM TOTUM RENOVAVIT IBIDEM.
PELAGIUS RURSUS SACRAVIT PAPA BEATUS;
CORPORA SANCTORUM CONDENS IBI MACHABÆORUM.
APPOSUIT PETRI PRETIOSA LIGAMINA FERRI
ILLUSTRIS MULIER QUAE DETULIT AB HIERUSALEM,
ET QUIBUS EST PETRUS NERONIS TEMPORE VINCTUS.
AUGUSTI MENSIS CELEBRANTUR FESTA CALENDIS
HUIC ACCEDENTI PURGANTUR CRIMINA CUNCTA.

200. Vetus inscriptio *SS. Balbinae* Virginis, sepultae in Coemeterio Praetextati juxta Patrem Quirinum, & *Theodorae* religiosissimae feminae, sororis S. Hermetis Præfecti & Martyris, de quibus agitur in Martyrologiis Romano, Adonis, & Usuardi die 31. Martii, & prima Aprilis. Vide Baronium, Georgium, & Sollerium in Notis ad eadem Martyrologia, ac nostrum Indiculum hujus Tabulae num. 198.

201. Inscriptio C. Aufidii Victorini, Romae reperta in plumbeo tubo veteris ductus. Hic Consul processit una cum Ti. Claudio Severo III. anno Chr. 200. Vide Gruterum pag. 269. 2, & eruditum Commentarium Viri Clarissimi Rudolphini Venuti *de Ara votiva*, eruta ad Lateranum anno 1731, & dedicata KAL. APRIL. SEVERO ET VICTORINO COS. Confer etiam nostrum Indiculum Tab. I. Saec. II. num. 42, ubi plura diximus de hac Inscriptione.

201*. Inscriptio Septimii Severi Augusti III. & M. Aurelii Antonini Caracallae, qui Consules processerunt an. Chr. 202. Extat in tubo plumbeo juxta Aedem S. Crucis in Hierusalem reperto, eamque vidit Ficoronius, & edidit Vignolius inter selectas Inscrip. pag. 315. cum nonnullis variantibus lectionibus, ita,

IMP CÆS L SEP SEVERO PIO PERTIN
AVG N III ET IMP M AVRELIO
ANTONINO AVG FIL COS

Accessit tandem hic lapis Francisco Blanchino Patruo meo: quare eam ex archetypo in hac-

hacce Tabula ex ęre incisa fidelius nunc exhibetur. Vide Georgium *in Adnot.* ad Criticam Pagii ad eumdem annum, Muratorium *in Thesauro Veterum Inscriptionum* Tomo I. pag. 244. num. 4, & 348. num. 7, atque nostrum Indiculum hujus Tab. num. 183.

202. Aquila Legionaria alis expansis, scipioni eburneo imposita. Scipio, seu hasta cuspidem habebat inferius, quo apta erat terrae infigi in Castris, aut pugna ipsa, cum ea in loco staret. Plinius lib. x. cap. 4, *Paucis ante annis* (inquit) *sola in aciem portari coepta erat: reliqua in Castris relinquebantur*. Roma antiquitus Aquilam pro Insigni accepit, cujus rationem reddit Josephus Lib. 3. *de Bello Jud.* cap. 8: *Quod & universarum avium regnum habeat, & sit validissima. Itaque illam & Principatus Insigne putant, & omen victoriae, quoscumque bello petierint &c.* Ut enim Aquila avium Regina perhibetur; ita Romae Orbis Reginae ipsa convenire videbatur. Causeus de la Chausse *de Signis Militaribus*, apud Graevium Vol. x. p. 1528. scribit: „ Antiquitus signa Legionum apud Romanos erant Aquilae, Lupi, Minotauri, Equi, & Apri, quorum simulacra singulos ordines anteibant. Sola deinde Aquila in acie portabatur, ceteris in castris relictis. Sed Marius, Secundo suo Consulatu, reliquis in totum abdicatis, Aquilam Romanis Legionibus proprie dicavit. *Aquilifer* vero dicebatur, qui *in Legionibus portabat Aquilam; quod praecipuum Signum in Romano erat semper Exercitu, & totius Legionis Insigne*, teste Vegetio *de re Milit.* lib. 2. cap. 6, & 7. Et *Centurio erat dignior in Legione, qui Aquilae praeerat*, ut idem scribit cap. 8.

203. Nummus Annii Veri. Legitur in antica, quae heic exhibetur, ANNIVS. VERVS. CAES. ANTONINI. AVG. FIL. *Caput Annii Veri sine laurea*: in postica vero, COMMODVS. CAES. ANTONINI. AVG. FIL. Bellorius in peculiari Dissertatione de hoc eodem Nummo, duos Caesares Commodum, & Annium Verum, cum duobus Antonini Pii filiis confundit; cum tamen Antonini Pii filii nunquam dignitate Caesarea exornati fuerint, & diversa praenomina gesserint. Quare Marcus Galerius Antonini filius, idem non est cum Annio Vero Caesare; quod tamen Bellorius colligi posse putat ex Annii nomine, quod legitur in Graeco Nummo apud Patinum *Num. Imp. Rom.* pag. 232, qui in antica exhibet senioris Faustinae caput velatum; in postica vero Annii vultum, cum praenomine Marci, & nominibus Annii Galerii Antonini: nam Annius Verus Caesar, appellatus Annius fuit, quia Avus ejus paternus erat Annius Verus: quo etiam nomine proavus ejus vocabatur, ut videre est apud Capitolinum *in Marco* cap. 1, & Pagium ad an. Chr. 180. n. 3. Scilicet Marcus Aurelius, postquam imperavit, tres filios genuit, nempe Commodum, & Antoninum gemellos, ut tradit Lampridius *in Commodo* cap. 1 (qui dicit, eos natos Patre, Patruoque Coss., anno nempe 161): tertius Marci filius, fuit *Verus*. Mediobarbus pag. 241 varios Nummos refert, in quibus legitur, vel VERVS CAESAR, vel ANNIVS VERVS CAES.; adeo ut tertius Marci Aurelii filius dictus fuerit *Sex. Annius Verus*, & praeterea, in vulgari usu loquendi, *Verissimus*. Extat in Museo Capitolino insignis Protome, quae, ut scribit Doctissimus Praesul Jo. Bottarius To. II. ejusdem Musei pag. 34, est inter rariores, & profecto admiranda, ob Operis excellentiam. Ipsa vero hujus Annii Veri effigiem refert; quę, cum ipse septennis mortuus sit, ideo puerili ætate apparet in marmore; atque Imagini ejus, quæ in Nummis inspicitur, respondet examussim. Veri morbum, atque interitum ejus describens Capitolinus in M. Aurel. c. 21 ait: *In secessu Prænestino agens*, FILIUM *nomine* VERUM *Caesarem, exsecto sub aure tubere, septennem amisit, quem non plus quinque diebus luxit*. Quamvis autem brevi vitam expleverit, minime mirandum est, adhuc superesse ejus capita marmorea ad vivum expressa: nam Pater imperaverat Statuas illi poni, atque ejus auream Imaginem in Circensibus circumferri: *jussitque* (ait laudatus Capitolinus ibidem) *ut* STATUAE *tantummodo de filio mortuo decernerentur, &* IMAGO AUREA *Circensibus per Pompam ferenda*.

204. Nummus Pertinacis, apud Vaillantium *Num. Imp. Rom.* Tom. I. pag. 104. Legitur in antica, IMP. CAES. P. HELV. PERTINAX. AVG. *Caput ejus laureatum*. Sponius (*Recherch.* Diss. 24) adfirmat, adeo felicem oris speciem hunc Imperatorem sortitum fuisse, ut nemini liceret feliciorem sibi desiderare; nempe pulchrum caput, frontem spatiosam, barbam longam, & venerabilem, vultum majestatis plenum, staturam eminentiorem; pinguem magis, quam macrum, & robustum corporis habitum: quae omnia, una cum grandiore aetate conjuncta, verendum illum reddebant. Eques Patinus *Num. Imp. Rom.* pag. 269. ait: *Erat*

INDICULUS Tab.III.Sec.II

vir bonus, statura Imperatoria, eloquentia mediocri, optimo ingenio, & robusto corpore praeditus. Quae descriptio optime quadrat cum hujus Imperatoris Protomis, & cum ejus, qui paucissimi sunt, nummis, necnon cum verbis Dionis (lib.73. p.830), qui Pertinace familiariter utebatur. Verba Dionis haec sunt: *Erat optimo animo, & corpore robusto.* Teste autem Herodiano lib. 2. erat serius, & clemens simul, necnon indolem praeseferebat comem, & mitem. Vide Cl. Bottarium Tomo II. *Musei Capitolini* pag. 38, Sertorium Ursatum *de Notis Romanorum* apud Graevium Tom.xi. pag.776, Begerum Vol.2. pag. 685, Harduinum pag. 796, Mediobarbum pag. 260, Museum Theupolum pag. 208, Vaillantium *de Praestantia Numis.* Tom. I. pag. 194, & Museum Mussellianum Tom. I. Tab. 144. num. 4. Hic P. Helvius Pertinax Urbis Praefectus fuit; &, Commodo sublato, ipsi successit septuagenario major, ex Senatus Consulto: qui cum Rempublicam optimis institutis regere, ac militum cupiditati obviam ire vellet, intra 88. diem Juliani scelere occisus est. Noverat Princeps rerum publicarum peritus, *multa simul tuto corrigi non posse: sed si quid aliud in rebus humanis; tum imprimis civilem statum tempore egere, & consilio,* ut inquit Xiphilinus. Insigne moderationis exemplum praebuit Pertinax. Obsecrante enim Senatu, ut uxorem suam Augustam, & filium Caesarem appellaret, id honoris recusavit; sufficere contestatus, quod ipse invitus regnaret, teste Eusebio in Chronico. Sublato Pertinace, Didius Julianus emptum a militibus Imperium cum duobus mensibus tenuisset, ad Milvium Pontem a Severo, qui ipsum hostem potius, quam Imperii consortem habere maluerat, interfectus est: quo facinore sibi ad Imperium viam Severus aperuit. Lege Natalem Alex. *Hist. Eccl.* Saec. II. cap.v. pag.348.

204. Nummus Lucillae Lucii Veri Imp. uxoris, cum epigraphe in antica, LVCILLAE AVG. ANTONINI AVG. F. *Caput Lucillae.* Huic Nummo omnino respondet insignis quaedam Effigies in Museo Capitol. adservata, quae Smyrna advecta, ibidem effossa fuerat una cum Protoma L. Veri. Vide Museum Capitol. Tom.2. Tab.46. & 47. pag.36, Museum Arschotanum Tab. 50. num. 20, Harduinum p.778, Mediobarbum pag.239, Museum Mussellianum To.I. Tab.121. num.1, & Patinum *Num. Imp. Rom.* pag. 258. Lucilla, Marci Aurelii, & Faustinae filia, uxor vero L. Veri, matre nihilo melior, & fratre Commodo nihilo continentior fuit. A Marco patre missa est ad Verum maritum in Syriam; ad quam suscipiendam Ephesum venit Verus, ne Marcus cum ea in Syriam veniret, & flagitia sua cognosceret. Vero mortuo, M. Aurelius eam in uxorem dedit Claudio Pompejano. Tandem a fratre Commodo, qui ei insidias per Quadratum adulterum struxerat, occisa est, itemque filius ejus Laetus Pompejanus necatus a Caracalla.

205. Epistola Ecclesiarum Viennensis, & Lugdunensis, quae nobis exhibet Acta Martyrii SS. Pothini Episcopi, Vettii Epagathi, Sancti Diaconi, Maturi Neophyti, Attali, Blandinae, Bibliadis, Alexandri, Medici, & Pontici adolescentis. Extat apud Ruinartium *in Actis Martyrum sinceris* pag.48, qui in praevia Admonitione haec literis consignavit: *Cum Acta Martyrum Lugdunensium ab iis ipsis conscripta sint, qui rebus gestis praesentes adfuerunt; his nihil certius, aut luculentius haberi potest. Tam pretiosum Antiquitatis Ecclesiasticae monumentum Eusebio Caesariensi acceptum referre debemus; qui, ut aliquod specimen gravissimae Persecutionis, qua sub Marco Aurelio Imperatore agitata est Ecclesia, posteris relinqueret, Epistolam Ecclesiarum Viennensis, & Lugdunensis, in qua haec Acta continentur, Historiae suae Ecclesiasticae lib. 5. cap. 1. & seqq. inseruit; asserens in ejusdem libri Prooemio, " innumerabiles prope Martyres tunc per " universum Orbem enituisse ", cum nonnisi minus in aliis Provinciis, quam in Gallia, Persecutio fureret. Id anno decimoseptimo Marci Aurelii Imperatoris contigisse, tradit Eusebius disertis verbis in Proemio jam laudato, ubi eodem anno Eleutherum Romanum Pontificem in Soteris mortui locum electum fuisse affirmat. Is est annus Christi 177, quem idem Eusebius in Chronico cum M. Aurelii anno decimosexto conjungit. Hunc numerandi modum amplexus est Chronici Alexandrini auctor, qui ad eumdem sextumdecimum Marci annum, Pothini, ceterorumque Martyrum Lugdunensium Passionem refert. Aliam tamen viam iniit Henricus Dodovellus, tum in Dissertatione XI Cyprianica, tum in Dissertatione singulari de Romanorum Pontificum successione cap.14, ubi hanc Persecutionem ad septimum M. Aurelii annum, Christi 167, refert; ne, si eam cum aliis veteribus, & recentioribus Scriptoribus ad annum ejus Imperatoris XVI, aut sequentem prorogaret,* fate-

fateri cogeretur, Persecutionem, quae sub M. Aurelii Principatu saeviit, vel diuturniorem, vel saltem post aliquod tempus renovatam fuisse: cum inficiari non auderet, Persecutionem sub ejus Imperatoris initiis, in Orientalibus saltem Provinciis, fuisse commotam. Nec abjiciendum est, quod Eusebius in Chronico Martyrum Gallicanorum necem ad M. Aurelii annum septimum videatur referre: certum est enim, Eusebium in Chronica saepius temporum seriem accurate non observasse; praesertim cum de Martyribus egit, quos potius ad aliquam e Persecutionibus, quas decem enumerat, quam ad annum, quo passi fuerunt, referre curavit. Unde sub tertiae Persecutionis titulo, Simeonem Cleopae filium, simul cum S. Ignatio, & iis, qui a Plinio Secundo interfecti sunt, conjungit. Ceterum, favet nobis Eusebius etiam in Chronico, qui Eleutheri Papae initium ad annum 177 refert, sub cujus Pontificatus initia Martyres Lugdunenses passos fuisse certum est, non ex Eusebii solum verbis, sed ex ipsorummet Martyrum Lugdunensium Epistola, quam per S. Irenaeum ad eum Pontificem direxerunt: „ Te „ per omnia, inquiunt, *ac perpetuo, optamus in Deo valere, Pater Eleuthere „. Horum omnium Martyrum nomina in eadem Epistola recensita erant. Sed excidit pretiosum illud Antiquitatis monumentum, praeter unum breve fragmentum, quod Eusebius lib. 5. cap. 4.* Hist. *refert, cum ille haec subjungit: „ Quid opus est, expressum in supradi„ cta Epistola Catalogum Martyrum heic „ recensere; quorum alii securi percussi, alii „ feris objecti, alii in carcere exanimati „ sunt „. Hos Martyres in totidem classes distribuunt Gregorius Turonensis lib. 1. de* Gloria Mart. *cap. 49, Ado, & Notkerus in Martyrologiis ad diem 2. Junii: quos quadraginta & octo fuisse ajunt, eorumque nomina recensent &c. Eorumdem Martyrum, sed absque nominum recensione, meminerunt etiam alia Martyrologia Bedae sinceri, Usuardi, Rabani, cum duplici Romano, Florentinii scilicet, & Baronii) ad eumdem diem: quamvis diversis diebus (idque potissimum circa finem Julii, & initium Augusti, ut ex Actis patet), passi sint.* De S. Perpetua, quae Romae multa SS. Martyrum corpora sepelivit, vide nostrum Indiculum hujus Tabulae Tertiae Saeculi Secundi num. 9. Agitur de ea in Martyrologio Romano Pridie Nonas Augusti; in quo etiam IV. Kal. Maji Natalis dies commemoratur S. Valeriae Martyris, Conjugis S. Vitalis, de qua consule Indiculum hujus Tabulae num. 11.

206. Protome Juliae Domnae, Natione Syrae, Imp. Septimii Severi uxoris, & Antonini Caracallae ac Septimii Getae matris, ex Marmore Capitolino. Fuit femina pulcherrima, sed impudicissima; quae sese etiam incestu cum Caracalla foedavit. Eam tamen Severus non dimisit. Vide Patinum pag. 287. & seq. Audita Caracallae caede, mortem sibi Antiochiae conscivit. Quamvis autem adulteriis celebris fuerit, nihilominus a Senatu inter Divas relata est. Octavius Falconerius in Notis *ad Inscriptiones Athleticas*, apud Gronovium Tom. 8. pag. 2353 hanc Inscriptionem Juliae Domnae refert:

IVLIAE. DOMNAE. AVG.
MATRI. CASTRORVM
MATRI. AVGVST....
IMP. CAES. L. SEPTIMII. SEVERI. PII
PERTINA IS. AVG. CONIVGI
Q. SILICIVS. VICTOR. ET. C. STADIVS
FORTVNATVS. OB. HONOREM. FLAM.
SVI. PERPETVI. STATVAM. CVM
BASE. EX. HS. BINIS. MILIBVS. N. LEGI
TIMIS. ADIECTIS. TERTIS. EX. DE
CRETO. PAGANOR. PAGI. MERCVRIA
LIS. VETERANORVM. MEDILITANOR.
S. P. F. IDEMQVE. DEDICAVERVNT.

207. PTOLEMAIS. Nummus Hadriani cum epigraphe in antica, IMP. TRA. HADRIANVS AVG. P. P. *Caput Hadriani laureatum*: in postica vero, quam heic exhibemus, COL. PTOL. *Colonia Ptolemais*. Fortuna stolata stans, quae dextera temonem, laevaque cornucopiam tenet. Frequentes sunt Ptolemaidis Coloniae Nummi Hadriano percussi, ob peculiaria beneficia eidem Coloniae ab ipso Imperatore collata: munificentissimus enim erat is Princeps, de quo Sex. Aur. Victor scribit, *Cum oppida universa restitueret, augeret ordinibus &c.* Suidas quoque Excerpt. Caes. Vit. *Quin multis rebus publicis, tum privatis hominibus multa est largitus*. Id etiam confirmat rarissimus & elegantissimus nummus, ipsi ex Senatusconsulto percussus, cum hac epigraphe, LOCVPLETATORI ORBIS TERRARVM. Nomen *Patris Patriae*, quod sero Hadrianus accepit, Nummum ipsi a Ptolemaidensibus, cum in Phoeniciam venit, percussum denotat. Fortunam Ptolemaide cultam, praecipuo honore venerabatur Hadrianus. Scribit Athenaeus lib. 8. pag. 361, Romae ei Templum condidisse. Vide Vaillantium *de Coloniis* Tom. I. pag. 231, & no-

INDICULUS TAB.III.SAEC.II

nostrum Indiculum Tab.2. Saec.1. num.130. Ptolemais, vetustissima in ora Phoeniciae Urbs, *Accho* antiquitus nuncupata, in libro *Judicum* cap.1.v. 31 memoratur: „ Aser quoque, *inquit Sacer textus*, non delevit habitatores Accho, & Sidonis. „ S. Hieronymus in libro *de Locis Hebraicis* scribit: *Accho, quae nunc Ptolemais appellatur, fortis Aser, de qua habitatores pristinos nequivit expellere.* Jonathas Judaeorum Princeps ac Pontifex, ut legitur *Machabaeorum* lib. 1. cap. 10, *abiit cum gloria Ptolemaidam, & occurrit ibi duobus Regibus*. Pompejus, victo Tigrane, Ptolemaidem cum universa Phoenice in Populi Romani potestatem redegit. Hanc postea Urbem Imperator Claudius Coloniam fecit, ut scribit Plinius lib. 5. cap. 19: *juxta est Colonia Claudii Ptolemais, quae quondam Acc.* Ulpianus apud Tyrum, Ptolemaide M. P. XXXII distantem Urbem, natus, lib. 50. *Digest.* Lege 1. *de Censibus* num.3. ait: *Ptolemensium Colonia, quae inter Phoenicem, & Palaestinam sita est, nihil, praeter Coloniae nomen, habet*. Extant Nummi Claudii, ac Neronis, in aversa parte inscripti, COL. PTOL. *Colonia Ptolemais*, cum colono boves agente, ac quatuor signis militaribus: unde militum Coloniam illuc a Claudio deductam intelligimus. Antequam Paulus Ptolemaidem se contulisset, aliquos intellexit ibidem esse, qui Christianam Religionem profiterentur, ut legitur in *Actibus Apost.* cap. 21. ver.7. Sed a quonam instituti fuissent, S. Lucas scriptum non reliquit. Clarus, qui Saeculo II. floruit, primus Ptolemaidensium Episcopus fuit, ut nos docet Eusebius lib. 5. *Hist. Eccl.* cap. 25. pag. 250. Edit. Cantabr. Quibus vero usi fuerint ante eum Episcopis Ptolemaidenses, non facile est asseverare. Vide Cl. Mamachium To. 2. *Origin. & Antiq. Christian.* lib. 2. cap. 2. §. 1. pag. 73., & 76. Urbem Ptolemaidem Christiani anno Salutis 1104. a Saracenorum tyrannide liberarunt, ac per annos 187. tenuerunt; donec Barbari cum maximis copiis eandem obsidentes, anno Domini 1291, die 18. Maji, Feria 6, vi expugnatam, everterunt; cujus nuntio perterriti qui cum praesidio Tyrum tenebant, Urbem eodem die deserentes, Christianorum in Syria Regno, tot Regum, Principum, ac Nationum impendiis, ac sanguine parto, finem nobis semper luctuosum imposuerunt, ut animadvertit Emin. Norisius *de Epochis Syromacedonum* Dissert. IV. cap. V. §. 2.

208. SEBASTE. Nummus Juliae Domnae cum epigraphe in antica, ΙΟΥΛΙΑ ΔΟΜΝΑ CEB. *Caput Juliae Domnae*: in postica vero, quae heic exhibetur, ΚΟΛΩ. CEBACTE. *Colonia Sebaste*, vel *Sebastena*. Tres figurae stantes in Templo tetrastylo. Sebaste Urbs Syriae in prima Palaestina, aliquot dierum itinere procul ab Augustopoli, in monte sita, fuit Colonia a Septimio Severo Juliae Domnae marito constituta; ut scribit Ulpianus lib. 50. Dig. Tit. 15. *de Censibus* Leg. 1. *In Palaestina* (inquit) *duae fuerunt Coloniae, Caesariensis, & Aelia Capitolina; sed neutra Jus Italicum habet. Divus quoque Severus in Sebastenam Civitatem Coloniam deduxit*. En ergo cur Sebasteni Nummos Juliae Domnae Severi conjugi dedicarunt. In Indice Thesauri Mauroceni p. 129. a Patino recitatur alius Juliae Domnae Nummus, cum postica inscripta, CEBACTHNΩN CYP.L.CK. *Sebastenorum Syriae. Anno* 220, qui annus coepit ab Autumno U.C. 948, ac tertio Imperii Septimii Severi ejus Viri. Plinius lib. 5. cap. 13. describens Palaestinam, ait, *intus Samariae Oppida Neapolis, quod antea Mamortha dicebatur, Sebaste, & in monte altiore Gamala*. Sebaste, cum primum condita fuit, Samariae nomen tulit ab Amri, sive, ut legunt LXX Interpretes, Omri Israelitarum Rege, ut eruitur ex lib. III. Regum cap. 16. ver. 24. Hinc S. Hieronymus in lib. *de Locis Hebraicis*, scribit: *Samaria Civitas Regalis in Israel, quae nunc Sebaste dicitur.* Herodes (cui post Actiacam victoriam Augustus Regnum ratum habuit) novam Urbem in ruinis veteris Samariae condens, eandem de Augusti, a quo tot beneficiis ornatus fuerat, nomine, *Sebasten* nuncupavit. Eam Josephus describit lib. 1. *de Bello Judaico* cap. 16. Cum plures Civitates a Regibus in honorem imperantium Augustorum *Sebastes* nomen acceperint, hoc unum tantum in Syria Oppidum ab Herode Rege extructum, id nomen tulit. Sebaste S. Joannis Baptistae Praecursoris Domini ossa ante Juliani Augusti tempora servabantur, testibus S. Hieronymo in cap. 1. *Oseae* Tom. III Operum ejus, pag. 1241. Edit. Martianei, & Theodoreto *Hist. Eccl.* lib. 3. cap. 7. Hic vero scribens de S. Cyrillo, qui cum aliis Martyribus sub Juliani Persecutione passus est, ait: *Ea porro, quae homines simulacrorum errore obstricti per id tempus perpetrarunt, sunt quidem numero plurima, & peculiare opus desiderant: pauca tamen ex multis narrabo. Etenim*

Asca-

Ascalonae, & Gazae, quae Urbes sunt Palaestinae, virorum Sacerdotii honore praeditorum, & mulierum, quae perpetuam virginitatem professae fuerant, ventres dissecuerunt, & hordeo postea completos, porcis vorandos praebuerunt. Sebastes vero, quae ipsa Urbs est ejusdem Provinciae, Joannis Baptistae arcam aperuerunt, &, ossibus igne consumtis, cineres hac & illac disperserunt. Ejus incolae permulti baptizati a Philippo Diacono, confirmatique a Petro, & Joanne Apostolo fuerunt, ut legitur *in Actibus Apostolorum* cap. 8. ver. 5. & seq. Qui vero illius Urbis Episcopi fuerint, a nemine, ex certis Tabulis, quod sciamus, proditum est.

209. SEGOBRIGA. Nummus Caji Caligulae cum epigraphe in antica, C. CAESAR. AVG. GERMANICVS. P. P. *Caput Caligulae laureatum*: in postica vero, quam heic exhibemus, SEGOBRIGA intra Coronam querceam. Vaillantius *de Coloniis* Tom. 1. pag. 116, *Segobriga*, inquit, Urbs gemina Hispaniae Tarraconensis, altera in Valentino Regno ad Turulim fluvium, altera in Regno Castellae ad montis Orospedae radices, & Duratonam fluvium: haec, *Sepulveda* quibusdam; illa, *Cabezza del Griego*, aliis *Segorue*. Plinius lib. 3. sect. 4. scribit, *Caput Celtiberiae Segrobigenses*. Hos Numantiae proximos facit in Celtiberia Ptolemaeus lib. 2. cap. 6, & Strabo lib. 3. pag. 162. De utriusque Segobrigae situ adhuc ambigitur, & non parva inter recentiores contentio est. Vide Harduinum *de Nummis Antiquis Populorum* pag. 446, Patinum pag. 71, & Museum Theupolum Tom. 1. pag. 662, & 667. Segobrigenses Caligulae (ut antea Tiberio) coronam quernam in Nummis procuderunt, ut assentarentur illi Imperatori; Romanos imitati, qui eidem Caligulae Nummos inscripserunt cum epigraphe, S. P. Q. R. OB CIVES SERVATOS, item in corona querna.

210. NISIBIS. Nummus Juliae Corneliae Paulae Imp. Elagabali uxoris cum epigraphe in antica, ΙΟΥΛΙΑ. ΚΟΡ. ΠΑΥΛΑ. CEB. *Caput Juliae Corneliae Paulae*: in postica vero, quam heic exhibemus, CEΠ. ΚΟΛΩ. ΝΕCΙΒΙ. Σεπτιμίας Κολωνίας Νισίβις. *Septimiae Coloniae Nisibis*. Caput muliebre velatum, & turritum, supra quod aries. Deducta est haec Colonia a Septimio Severo, ut Septimiae Gentis nomen indicat, utque innuit Dio lib. 75. pag. 849. scribens: *Severus Nisibi magnam dignitatem dedit, eamque urbem commisit Equiti Romano: & dicere solebat, se magnam Regionem adjunxisse Imperio, eamque propugnaculum Syriae effecisse.* Vide Plinium lib. VI. sect. 16, & Stephanum verbo Νίσιβις. Hodie quoque, vetusto nomine servato, *Nisibin*, & *Nesbin* vocant, insignis olim Oppidi tenue modo vestigium, ut scribit Tavernerius lib. 2. Itinerarii pag. 172. Nisibenses beneficiorum memores, Elagabalo Severi nepoti credito gratulantes, Nummum hunc uxori ejus Augustae percusserunt. Caput turritum, Urbis genius est: Aries, anni initium a Vere a Nisibensibus dinumeratum indicat, ut animadvertit Cl. Vaillantius Tom. 2. *de Coloniis* pag. 140. Eusebius lib. 4. *de Vita Constantini* cap. 13. ejusdem Imp. Epistolam refert ad Saporem Persarum Regem, qua Christianos ipsi commendat, *quorum multitudine, nobilissima quaeque Persidis loca longe lateque esse decorata* asseverat. Ea de re fortassis certior factus fuerat a Magno Jacobo Nisibis in Mesopotamia Episcopo, quem *de Regno Persarum, & de Persecutione Christianorum* scripsisse, testis est Gennadius in Catalogo *Scriptorum Ecclesiasticorum* cap. 1.

211. EDESSA. Nummus Caracallae, cum epigraphe in postica, quam heic exhibemus, ΚΟΛΩ. ΜΑΡ. ΕΔΕCCΑ. *Colonia Marcia Edessa*. Edessa, quae heic de more aliarum Urbium capite turrito repraesentatur, fuit Metropolis Osrhoenae. Post ruinam Regni Seleucidarum per aliquot Saecula Sedes Principum fuit, qui in Mesopotamia ad Euphratem angustius imperantes, Phylarchi, Dynastae, Toparchae, ac Reges passim nuncupabantur. Cujusdam Abgari Edessae Regis, imperante Tiberio, nomen *in Ecclesiastica Historia* celebratur ab Eusebio lib. I. cap. ultimo, ac a D. Hieronymo in cap. 10 Matthaei. Scriptas ad eum literas a Christo Domino, ex Archivis Edessenae Ecclesiae idem Eusebius recitat. Fuerunt olim, suntque Scriptores, qui anno circiter 36 Aerae Christianae Thaddaeum, qui unus e LXXII Discipulis Christi fuisse traditur, Edessam ad hunc Abgarum Regem pervenisse defendunt: & Thomam Apostolum instinctu divino permotum, constituisse, in eam Syriae Urbem Thaddaeum prædicatum Euangelium mittere: rem a Thaddaeo bene gestam fuisse, & curato Abgaro, ipsi, Edessenisque persuasisse, ut suam Christo fidem obstringerent. Etsi autem nonnullos intelligo, qui verentur, ne falsa sint, quae de hisce

primordiis Christianæ Religionis in ea Urbe tradantur ab eodem Eusebio *Hist.* lib. citato cap. 13, & a Beatissimo Ephraemo Syro in suo Testamento Tom. II. pag. 235; tamen, vetustissimam esse Edessenam Ecclesiam, revocari in dubium nullo modo potest. Proditum namque a Majoribus nostris est (ut animadvertit P. Mamachius Tom. 2. *Origin. & Antiq. Christian.* lib. 2. cap. 4. pag. 94, & seqq.), ossa S. Thomae in eo servata fuisse, ut scribunt S. Jo. Chrysostomus Homil. 26. *in Epist. ad Hebraeos*, & Rufinus lib. 2. *Hist. Eccl.* cap. 5. Quin etiam Episcoporum quorundam, qui eandem Ecclesiam primis Ecclesiae Saeculis gubernarunt, Scriptores magni & nobiles meminerunt, relati a Lequienio *Orient. Christian.* To. 2. pag. 655, & seqq. De S. Barsimaeo Episc. & Martyre Edesseno vide nostrum Indiculum hujus Tab. III. Saec. II. num. 42, & 43. Sed ad alios Abgaros Reges *in Hist. Eccl.* post Christum natum celebriores regrediamur. Tacitus lib. 12. *Annalium* U. C. anno 802, imperante Claudio, meminit alterius Abgari Edessae Regis. Dio quoque in excerptis a Leunclavio publicatis narrat, Trajanum, cum in Orientem transmisisset, Regnum Abgaro servasse. Capitolinus in Vita Antonini Pii cap. 9 ait: *Abgarum Regem ex Orientis partibus sola auctoritate deduxit*. Hunc, uti Christianae Religionis cultorem, S. Epiphanius commendat *ad Haeresim* 56. Patinus pag. 128 Indicis Thesauri Mauroceni refert Nummum Septimii Severi retrorsus inscriptum, ΑΒΓΑΡΟΣ ΒΑΣΙΛΕΥΣ *Abgarus Rex*. De hoc Rege scribit Herodianus lib. 3. in Gestis ejusdem Imperatoris Severi, *sed & Rex Osrhoenorum Abgarus ad eundem transfugit, ac liberos obsides tradens, fidem suam auctoravit*. Verum Severi filius ac successor Caracalla (cujus Nummum heic illustramus) eundem Abgarum, nullum non genus crudelitatis in principes Gentis exercentem (quasi eos ad mores Populi Romani transire cogeret, ut ait Dio in excerptis Valesii pag. 747), ad ipsum, tanquam ad amicum Imperatorem venientem, *in vincula conjecit, & Osrhoenem Rege destitutam coepit*. Paria habet Spartianus in ejus Vita, *Edessam in Osrhoena in Provinciae formam redegit, amico Rege Abgaro non victo, sed vincto perfidissime*. Quo vero Edessenos Regia Sede, vetustaque suorum Principum familia privatos sibi conciliaret, Edessam Coloniam fecit; ut intelligimus ex hoc Nummo, relato etiam ab Harduino pag. 144 *de Nummis Antiquis*. Immo Caracalla apud Edessam anno postremo vitæ ac Imperii hiemavit. Laudatus Spartianus cap. 6. in ejus Vita, *deinde*, inquit, *cum iterum vellet Parthis bellum inferre, atque hibernaret Edessae &c.*, quo anno Carrhis est interfectus, haud procul Edessa. Quamvis autem eidem Abgaro, sive ejus filiis avitum postea Regnum restitutum fuerit; Edessa tamen, utpote Romanorum Colonia, eorundem jurisdictioni exempta est. Christianis Augustis imperantibus, Edessa evasit Metropolis Civilis atque Ecclesiastica Provinciae Osrhoenae. Vide Eminentissimum Norisium in Dissert. II. *de Epochis Syromacedonum* cap. 3, Patinum *de Num. Imp. Rom.* pag. 77, & 305, Vaillantium *de Coloniis* Tom. 2. pag. 49, & Pancirolum *in Notitia Dignitatum Imp. Orient.* apud Graevium Vol. VII. pag. 1634. cap. cav. In Synodo Nicaena Aetholaus Edessenus primus inter Episcopos Mesopotamiae subscribitur. Et in Synodo Antiochena an. Chr. 341 legitur, *Provinciae Mesopotamiae. Aetherius Edessenus*. Edessa ob Christianae Religionis cultum maxime celebratur. Theodoreto (qui non longius inde apud Cyrrhum floruit) in lib. *de Vitis Patrum* in Aphrate, dicitur *Civitas maxima, & populo frequentissima, & quae pietate insigniter exornatur*. Idemque lib. 4. *Historiae Eccles.* pluribus describit invictam Edessenorum constantiam adversus Valentem Arianum Imp. ubi Barsam, & Eulogium ejus Urbis Episcopos eximie commendat. Tavernerius Tom. I. *Itiner.* lin. 2. pag. 150, & seqq. scribit, Edessam nunc *Oursam* appellari, quae primaria Urbs est Mesopotamiae, & a Turcis dicitur *Diarbek*.

212. CREMNA. Nummus Elagabali cum epigraphe in antica, IMP. CAES. M. AVR. ANTONINVS. *Caput Elagabali laureatum*: in postica vero, quam heic exhibemus, COL. IVL. AVG. CREMNA. *Colonia Julia Augusta Cremna*. Aquila Legionaria, inter duo signa. Cremna Urbs Pisidiae, in Pamphiliae confinio, Colonia Romana fuit, ut scribit Strabo lib. 12. pag. 569, *Cremnum Coloniam Romanorum occupavit*. *Julia* dicta est a Julio Caesare, qui eam deduxit, *Augusta* vero, quoniam ab Augusto Veteranis frequentata: quod indicat Aquila Legionaria, cum signis militaribus. Cremna Elagabalo obsequii, & felicitatis suae perhibens testimonium, signa militaria (ad ori-

originem Coloniae conflatae ex Veteranis indicandam) in hoc Nummo caelavit.

213. COMANA. Nummus Caracallae cum epigraphe in antica, IMP. CAES. M. AV. ANTONINVS. *Caput Caracallae laureatum*: in postica vero, quae haeic exhibetur, COL. IVL. AVG. F. COMANORVM. *Colonia Julia Augusta Felix Comanorum*. Mulier tunicata in Templo distylo, manibus extensis. Hic Nummus, qui *Juliae*, & *Augustae* Coloniæ nomina præfert, ad Comana Ponticа pertinere videtur Vaillantio, aut ad Cappadocica, ut existimat Harduinus *in Nummis Antiquis* pag. 120, ubi & alium Caracallae profert Nummum cum epigraphe, COL. IVL. AVG. C. I. F. COMANORVM. *Colonia Julia Augusta. Colonia Julia Felix Comanorum* vel, ut alii legunt, *Colonia Julia Augusta Concordia Invicta Felix Comanorum*. Plinius Libro VI. Sectione III. haec scribit, in Cappadocia: *Oppida: Comana, quod Sarus praefluit*. Porro *Julia Felix* in duobus allatis Nummis Comana Colonia vocitatur, quo nomine & Sinopensis quoque in eo tractu Colonia appellata est in alio Gordiani Junioris apud Tristanum pag. 508. Utraque Comana Urbs ab Augusto Veteranis frequentata, atque beneficiis insignita, dicta est *Augusta*. Caracalla tamen videtur Cappadocicae Provinciae immunitatem aliquam contulisse: quare eidem Imperatori Nummos dedicarunt; imo ipsi Urbem suam Aureliam in accepti beneficii monimentum appellarunt. In Templo cernitur Bellona Dea, cui a Comanis Sacra fiebant, e Scythica Taurica ab Oreste, ejusque sorore Iphigenia eo delata. In hac autem Urbe Iphigeniam lugubrem deposuisse comam, tradunt: unde Comana Urbs dicta est, teste Strabone lib. 12. pag. 557: *Super Phanaream sunt Comana Ponti, ejusque nominis cum his, quae in magna sunt Cappadocia, eidemque consecrata, atque adeo inde imitata, sed & iisdem fere utuntur ritibus sacrorum, divinorum instinctuum, & honoribus Sacerdotum*. Comanae quamplurimi ante Saeculum IV. viguerunt Christiani, quorum non pauci ab inimicis exagitati, ac interfecti fuerunt; propterea quod, neglecta superstitione, se Jesu Christo devovissent. Vide Lequienium *Orient. Christian.* Tom. 1. pag. 425. In Actis S. Luciani Presbyteri, qui simul cum Petro Alexandrino, & aliis compluribus Aegyptiorum Episcopis Nicomediae passus, & capite truncatus fuit, legitur, ibidem Martyrio consumptum fuisse etiam Basiliscum Comanae Episcopum. Palladius in Dialogo *de Vita S. Jo. Chrysostomi* cap. 11. habet: *Cum autem Comanis appropinquasset, pontis instar ea praetergressi, extra muros In Martyrio quinque aut sex millibus dissito manserunt. Eadem ipsa nocte apparuit ei loci illius Martyr, nomine Basiliscus, qui Episcopus Comanorum cum esset, Martyrium passus est Nicomediae in Bithynia sub Maximiano* (lege *Maximino*), *una cum Luciano Presbytero Antiocheno*. Vide Ruinartium *in Actis Mart. sinc.* pag. 561.

214. APAMEA. Nummus Juliae Domnae, Septimii Severi uxoris, cum epigraphe in antica, IVL. DOMNA. AVGVSTA. *Caput Juliae Domnae*: in postica vero, quae heic exhibetur, COL. IVL. CONC. AVG. APAM. *Colonia Julia Concordia Augusta Apamea*, vel *Apamena*. Figura muliebris tunicata, insidens Delphino, quae dextra victoriolam, laevaque acrostolium tenet. Multiplices sunt Apameae nominis Urbes, de quibus eruditam vide Octavii Falconerii *de Nummo Apamensi* Dissertationem: sed ea, quae in Bithynia est, ad ostia Rhyndaci Fluminis sita, sola Coloniae Romanae dignitatem accepit, de qua scribit Plinius lib. v. sect. 43. *intus in Bithynia, Colonia Apamena*. Meminit hujus Coloniae etiam Ulpianus lib. 1. ff. *de Censibus*, scribens, *Est & in Bithynia Colonia Apamena*: item Strabo lib. 12. pag. 564. *Apameam* (inquit) *Colonia deducta est*. Eam deduxisse Severum Juliae Domnae virum, laudatus Jureconsultus videtur innuere, jure Italico ipsi concesso. Cur Apameam a Myrlea diversam faciat Constantinus Porphyrogenitus lib. 1. them. 4. pag. 24, haud satis liquet; cum Strabo loco citato pag. 563, hanc ipsam Apameam, quo deducta Colonia Romanorum est, Myrleam esse ipsam asseveret. Vaillantius *de Coloniis* Tom. 2. pag. 24. scribit: „ Nomen *Juliae*, a Julio Caesare conditam arguit. Prusienses, & Apameni Bithyniae, cum pro Julio contra Pompejum stetissent; illi libertatem sunt consequuti; hi Coloni ab eo facti sunt: utramque eorum Urbem Prusias Zielae F. Bithyniae Rex, e ruderibus excitatam, Cium, de nomine suo Prusiadem, Myrleam vero ab uxore, Apameam appellavit: quas ob causas *Concordia* in Nummo Apamea dicta videtur. *Augustae* cognomen, quando *Julium* non sequitur, non ab Augusto inditum, sed aliam ob

INDICULUS TAB.III.Sac.II

ob causam, ut in plurimis Coloniis observatur, adjectum est. Mulier Delphino insidens, ad veterem aliquam Urbis historiam spectat. Et fortasse illa Myrlea est Amazona, quae Urbem condidit, ut alicubi legimus, *Alii autem ab Amazone Myrlea*. Quod confirmat Strabo lib. XII. pag. 550. „ Et ajunt, Urbes quasdam Amazonum esse cognomines, Ephesum, Smyrnam, Cumam, Myrleam &c. „

215. PELLA. Nummus Juliæ Mamaeae. Legitur in antica, IVLIA MAMAEA AVG. *Caput Juliae Mamaeae*: in postica vero, quae heic exhibetur, COL. IVL. AVG. PELLA. *Colonia Julia Augusta Pella*. Mulier tutullata sedens, quae dextra caput sustentat, sinistra demissa. Strabo *Geogr.* lib. 16, *Pellam Macedoniae Metropolim*: Plinius vero lib. 4. sect. 17. *Coloniam* nominat. Fuit ipsa olim vetus Macedonum Regia, Alexandri Magni, ac Philippi Patris Natalibus insignis; ut scribit Mela lib. 2. c. 1. Quando autem, & a quibus deducta fuerit, non satis constat. Forte tamen *Juliae* nomen, a Julio Caesare conditam arguit; & *Augustae*, ab Augusto Veteranis militibus frequentatam. Nummos Juliæ Mamaeae, uti etiam Alexandro filio, Pella percussit, utrumque veneratura. Atque, ut Imperium Matris consiliis securum esse probaret, Securitatis imaginem, prout a Romanis depingitur, in ejusdem Augustae Nummis Pella caelari curavit. In alio Alexandri Severi Nummo apud Harduinum *de Num. Antiq.* p. 388. dicitur, COL. AVG. PELLA. Hodie Τὰ Παλάτια, hoc est *parva Palatia*, appellatur. Forte tamen Securitas in typo, Coloniae Genius est, ob ejus situm, natura & arte munitum ad Provinciae tuitionem. Lucanus,

Exiguae secura fuit Provincia Pellae.

216. DIUM. Nummus Septimii Severi cum epigraphe in antica, IMP. L. SEP. SEVERVS AVG. *Caput Severi laureatum*: in postica vero, quae heic exhibetur, COL. IVL. AVG. DIENSIS. D. D. *Colonia Julia Diensis Decreto Decurionum*. Minerva galeata stans, quae dextra pateram, & laeva hastam gerit. Plinius lib. 4. sect. 17, *Colonia Diensis &c.* Urbs Macedoniae littoralis, inter Haliemonis, & Baphyri ostia sita, percelebris, & armis potens, a qua Minervae Deae pro salute & incolumitate Severi litatum est. Vide Ptolemaeum *Geograph.* lib. 3. cap. 13. Julius Caesar eam, Coloniam constituit, ut nomen *Juliae* denotat; quam deinde Augustum Colonis iterum frequentasse, *Augustae* appellatio arguit: unde *Colonia Julia Augusta Diensis* dicta est etiam in Nummis Antonini Pii. In illis vero Caracallae COL. tantum IVLIA DIENSIS appellatur.

217. SINGARA. Nummus Gordiani III. cum epigraphe in antica, ΑΥΤΟΚ. Κ. Μ. ΑΝΤ. ΓΟΡΔΙΑΝΟC. *Caput Gordiani laureatum*: in postica vero, quam heic exhibemus, ΑΥΡ. CΕΠ. ΚΟΛ. CΙΝΓΑΡΑ. Caput velatum, & turritum, in cujus vertice Sagittarius. Vaillantius *de Colon.* Tom. II. pag. 213. „ Singara (*inquit*) Urbs Mesopotamiae gemina, una juxta Edessam sita, in ea parte, quam habitant Arabes Rhetavi, de qua Plinius lib. V. sect. 21. *Arabes, qui Rhetavi vocantur. Horum caput Singara*. Stephanus, Σίγγαρα, πόλις Ἀραβίας πρὸς τῇ Ἐδέσσῃ. Ibi Singarensis pugna Constantii Imperatoris adversus Chosroen Persarum Regem: altera versus Tigrim, ex Ptolemaeo, & Ammiano. Seguinus pag. 178, & P. Harduinus pag. 455, ad priorem Singaram Nummum hunc revocant; qui tamen Vaillantio, posteriori videtur ascribendus. Singareni suos Gordiano Mesopotamiae liberatori Nummos dedicarunt. Capitolinus enim de hoc Imperatore tradit in ejus Vita, *effectum denique est, ut Persae, qui jam in Italia timebantur, in Regnum suum, pugnante Gordiano, redirent, totumque Orientem Romana Respub. detineret*. Caput turritum, Genius est Urbis, solemne Urbium praecipuarum symbolum. Sagittarium in Nummi vertice, Parthorum, & Persarum militiam designare, refert Seguinus: sed ad Singarenos spectat; vel quod optimi essent Sagittarii, vel ad posteris indicandum eos ab hoc Signo annos dinumerare. Haec Colonia, videtur potius sub M. Aurelio & L. Vero, quam sub Severo deducta, ob nomen Aureliae, ante Septimiae Gentis appellationem, etiam positum in Alexandri Severi Nummo; quidquid proferat Seguinus edit. 2. pag. 178. *Septimiae* nomen, *Aureliae* additum, quoddam beneficium a Severo acceptum, vel Urbem Colonis iterum frequentatam indicat. Verus enim Mesopotamiam recuperaverat ante Severum; & Divi fratres in ea Provincia Carrhas, & Singaram Colonias condiderant; Severus vero Nisibin, & Rhesaenam constituit.

218. RHESAENA. Nummus Alexandri Severi, cum epigraphe in antica, ΑΥΤ. Κ. Μ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟC. CE. Alexander laureatus medio corpore tenus, qui dextra spiculum, laeva-

laevaque clypeum gerit: in postica vero, quam heic exhibemus, legitur, PHCAINHCIΩN. LIG. III. GAL. *Rhesaenesiorum Legio Tertia Gallica*, vel *Legionis Tertiae Gallicae*. Mulier turrita & velata, insidens rupibus, quibus laeva innititur: dextra, Aquilam tenet: ad pedes babet Fluvium. Rhesaena Colonia in Mesopotamia sita erat, in qua tamen Ptolemaeus lib.v.*Geograph*.cap.18.duo ejusdem fere nominis Oppida recenset, quorum unum Ῥέσινα *Rhisina*, alterum Ῥαίσινα, vel, ut e Mss. Codicibus emendat Holstenius pag.271, Ῥεσαίνα *Rhesaena* nnncupabatur. Stephano una tantum memoratur Ῥέσινα πόλις περὶ τὸν Ἀβόῤῥαν ποταμόν *Rhesina Urbs prope Aborum fluvium*. In Concilio Arianorum Antiocheuo, anno Chr. 341 coacto, inter Mesopotamiae Episcopos, legitur *Antiochus Rhesinatis*. Ammianus Marcellinus lib. 23, Juliani Apostatae Orationem militarem referens, haec, inter cetera, ejusdem verba recitat: *Redissetque pari splendore junior Gordianus, cujus monumentum nunc vidimus honorate, apud Rhesainam, superato fugatoque Rege Persarum.* Addit his doctissimus Spanhemius Abul Pharagium, qui in Dynastia VIII. pag. 96. scribit: *Persis Rasainum oppugnantibus, contra ipsos misit Tiberius Patriciorum suorum praecipuum, nomine Mauritium*, qui postea eidem Tiberio in Principatu successit. Et antea in Dynastia VII. pag. 94. ait: *Hoc tempore claruit Sergius Rasainensis Philosophus, qui libros e lingua Graeca in Syriacam transtulit*, quique Severi haeretici Sectam, ut ipse scribit, sequutus est. Plura vide de hac Urhe ad Aboram fluvium sita apud Norisium *de Epoc. Syromaced.* Differt. III. cap. 10, ex quo heic tantum perpanca ad rem nostram delibo. In vetustis Nummorum Cimeliis plura Rhesaenae Urbis Numismata servantur, quae Deciorum praesertim Principum Imaginibus obsignata sunt. Horum tria exhibuit Tristanus Tom.I.pag.588, & seqq. Ego bina heic expendo cum laudato Norisio, quae Coloniae Rhesaenae originem detegunt. Prioris in antica, est inscriptio, quæ sic Latine redditur, *Imperator Caesar Cajus Messius Quintus Trajanus Decius Augustus*: in postica vero, *Septimiorum Rhesaenesiorum*. Alterius autem Nummi epigraphe est, *Septimia Colonia Rhesaenesiorum*. Ex utroque ergo discimus, Rhesaenam a Septimio Severo Coloniam deductam; unde & *Septimia* nnncupatur. Fluvius, qui visitur in typo ad pedes Mulieris insidentis rupibus, Rhesaenam Coloniam, non ad Euphratem, uti Harduinus, nec ad Tigrim, ut Eques Patinus putarunt, sed ad Aboram flumen sitam exprimit: quod Stephanus *Aborum*, Strabo lib.16. pag.514 *Aborram*, Ptolemaeus vero *Chaboram* nuncupant. Legatur Bochartus lib.I. Phaleg. in fine cap.17. Extat & alius rarissimus Nummus in Cimeliis Regis Christianissimi, cum imagine viri ex undis emergentis (quod Rhesaenae Coloniae symbolum est), inscriptus AYT. K. Γ. MEC. TPA. ΔEKIOC. CEB. EPEN. ETPOYCKIΛΛA. CEB. *Imperator Caesar Cajus Messius Trajanus Decius Augustus. Herennia Etruscilla Augusta*. CEΠ. KOΛ. PHCAINHCIΩN. L. HIP. *Septimia Colonia Rhesaenesiorum. Anno* CXVIII; ex quo præclaro Numismate discimus, & Rhesaenam *Septimiam* appellatam, &, quod pluris faciendum est, Herenniam Etruscillam fuisse uxorem Decii Augusti; quod plerique ignoravere, arbitrantes, Sallustiam Barbiam Orbianam ejusdem Principis uxorem extitisse. Sed adhuc dicendum de typo Nummi, quem heic illustramus, atque exhibemus in nostra Tabula. Imperatores, qui aliquam belli expeditionem suscipiebant, medio corpore cum hasta & clypeo in Nummis quandoque exprimebantur: talis Alexander a Rhesaeinesiis, cum contra Persas Mesopotamiam ingressus est, exhibetur. Mulier turrita, Genius est Urbis; quam in clivo conditam, indicant monticuli, quibus insidet: Fluvius, Aborus est (ut diximus), qui ejus muros alluit, vel circa illam decurrit. Aquila, quam gerit Urbis Genius, Romanae ditionis insigne est. Vide Vaillantium *de Coloniis* To.I.pag.176. Rhesaeinesii Nummos Alexandro Imp. dedicarunt, in grati animi monumentum; quod illos a Persarum vastationibus liberaverit. De eodem namque Imperatore narrat Eutropius lib.9, *Susceptoque adversus Persas bello, Artaxerxem eorum Regem gloriosissime vicit*.

XIX. HELIOPOLIS SYRIAE. Nummus Septimii Severi. Legitur in antica, IMP. L. SEPT. SEVERVS. AVG. *Caput Severi laureatum*: in postica vero, quae heic exhibetur, COL. HEL. *Colonia Heliopolis*, vel *Heliopolitana*. Caput muliebre velatum, & turritum, pone quod lanri ramus. Hunc Nummum Patinus pag. 281 de Colonia Helvia perperam interpretatur, cum ad Heliopolim spectet. Tristanus Tom. II. pag. 105, Coloniam a Severo Principe deductam putat in Heliopolitanam Aegvpti Civitatem: ac suffragatorem babere se sententiae suae Ul-

pianum arbitratur, cujus alia longe mens est. Is enim (ut animadvertit Harduinus *de Nummis Antiquis* pag. 191, & in *Antirrhetico* pag. 101.), cum Heliopolitanam Coloniam, una cum Tyria, Berytensi, Laodicena, & Emisena laudat, annon ejusdem tractus omnes fuisse liquido prodit?, ac loqui se de Heliopolitana Syriae Coeles, seu Libani appellata; de qua Plinius lib.v.sect.18. *Sciendum est*, inquit Ulpianus lib. 2. *Dig. de Censibus*, Lege I. *esse quasdam Colonias juris Italici: ut est in Syria Phoenice splendidissima Tyriorum Colonia, unde mihi origo est.... Sed & Berytensis Colonia in eadem Provincia .... Est & Heliopolitana, quae a Divo Severo per belli civilis occasionem Italicae Coloniae Rempublicam accepit*. Ubi nemo non videt, eas modo Colonias ab ipso recenseri, quae in Patriae suae Tyri prope confinio positae essent. Heliopolitani ergo, Septimii Severi beneficiorum memores, hunc Nummum ipsi dedicarunt. Caput turritum, solemne est Urbium symbolum. Ramus autem in area Nummi, vel monetarii nota, vel laurus dicata Soli, qui idem est cum Apolline; cujus Simulacrum Heliopolis Syriae, ab Heliopoli Aegypti sive Arabiæ accepit, teste Macrobio. Sertorius Ursatus *de Notis Romanorum* apud Graevium Tom. xi. pag. 631. scribit: Heliopolis, hoc est Solis Civitas, Urbs Aegypti quondam clara, utpote quae Regioni nomen dedit. Strabo *Geograph*. lib. 17. haec de eadem: *Est Regio Heliopolitana, ubi Solis Urbs est, aggeri magno imposita. Solis Templum habet, & Mnevis bovem, qui in septo quodam nutritur, & ab Heliopolitanis pro Deo habetur, quemadmodum & Apis a Memphitis*. Forte etiam lauri ramus in typo, respicit ad certamina, de quibus legitur in quodam Gallieni Nummo, CERT. SACR. CAP. OEC. ISEL. HEL. *Certamina Sacra Capitolina Oecumenica Iselastica Heliopolitana*. Capitolina dicebantur, quod in honorem Capitolini Jovis ederentur; qui Heliopoli, Fano ibi edito, colebatur, ut constat ex duobus Nummis Heliopolitanis Philippi Patris, & Otaciliae apud Harduinum *de Nummis Antiquis* pag. 192: *Oecumenica*, ad quae certatores non ex aliqua Civitate, sed ex Orbe universo admittebantur. *Iselastica*, quorum victoribus, ut Plinii verbis utar, lib. 16. sect. v. *Muros Patria gaudent rumpi*. Disjicere moenia certo quodam loco Veteres solebant, qua transvectio Victorum, & Triumphalis in Urbem ingressus curru foret super disjecta moenia. Vide Plutarchum lib. 2. Sympos. quaest. 5. p. 639, & Xiphilinum in Nerone pag. 723. In Patriam suam quadrigis sic invehi solemni pompa cum lauru, Graeci εἰσελαύνειν dicebant. Hinc certamina dicta *Iselastica*. Vide Vaillantium *de Coloniis* Tom. 2. pag. 15, 16, & 54. qui tamen falso eodem Tomo pag. 95, 238, 239, 240, 261, & 346 Heliopolitanae Coloniae septem alios Nummos attribuit, qui sunt Berytensis. Porro nulli Heliopolitanae Coloniae nomine inscripti Nummi ante Severum occurrunt, ut ostendit laudatus Harduinus adversus eundem in Antirrhetico loco citato. Theodoretus lib. 3. *Hist. Eccl*. cap. 7. scribens de S. Cyrillo, aliisque, qui sub Juliani Persecutione passi sunt anno Christi 362, ait: *Heliopoli, quae est ad Libanum, quidam erat Diaconus* CYRILLUS *nomine. Is Constantini temporibus divini amoris aestu inflammatus, multa Simulacra, quae illic religiose colebantur, contriverat. Cujus facinoris memores nefarii homines, non solum eum interfecerunt, sed, ventre ejus dissecto, jecur quoque illius degustarunt. Sed tamen justitiae oculum universa contuentem latere minime potuerunt: immo poenas dederunt dignas tanto facinore. Quotquot enim hujus piaculi participes fuerant, primum quidem spoliati sunt dentibus, qui universi simul ipsis exciderunt: postea vero linguas quoque amisere; quae putredine consumtae, ipsae quoque diffluxerunt. Postremo oculis etiam orbati sunt; & quanta vis esset Religionis, calamitatibus suis praedicarunt*.

220. Protome Marci Aurelii Bassiani Antonini Caracallae, ex Marmore Farnesiano. Hic in pueritia optimae indolis fuit: sed mox in pessimum mutatus, rapax, crudelis, & immanis evasit. Fratrem Getam occidit in matris gremio: deinde ejus domesticos, & amicos; nec infantium aetati pepercit. Romam, Senatum, Terrarum Orbem caedibus replevit, contra jus, fasque. Nativa lineamenta ejus saevitiei leguntur etiam in hoc muto marmore, de quo vide Cl. Bottarium Tomo II. *Musei Capitolini* Tab. LVIII.

221. Inscriptio basis marmoreae, in honorem M. Aurelii Antonini Caracallae dedicata a Collegio Tibicinum Romanorum, qui *Sacris Publicis* praesto erant (de quibus vide Merul. *de Sacrif*. cap. 1. §. v, Struvium *Antiq. Rom*. cap. 9. pag. 381, & Gyraldum *Synt. Deor*. lib. 17. pag. 483). Extat Romae,

ex

ex Aedibus Collotianis in Vineam Cardinalis Carpensis translata, Grutero teste. Dicitur dedicata pridie Nouas Aprilis, Ti. Claudio Severo & C. Aufidio Victorino Consulibus, nempe anno Aerae Chr. Vulgaris 200. Vide Chronicum ad enndem annum, & Clar. Georgii *Adnotationes ad Criticam Pagii*. Severus anno Chr. 198. ante Kal. Apr. Tribuniciam Potestatem contulit M. Antonino Caracallae filio natu majori: quare Prid. Non. April. ejusdem anni 200 expressi in nostro Marmore, dicitur TRIB. POTEST. III. Lege Indiculum Tab. I. Saec. II. num. 42, & Tab. III. Saec. II. num. 201: item Card. Norisium in Differt. Chronolog. *de Votis Decennalibus* Tom. 2. pag. 1205. In anaglyphis quoque Columnae Trajani exquisitissimis, Camilli, Tibicinesque, & Sacrificantes designanteur. De Tibicinibus Romanis, qui Sacris Publicis inserviebant, extat alius vetus Lapis editus a Guthero *de Veteri jure Pontificio* lib. 2. apud Graevium Tom. v. pag. 107, qui habet,

IMP. CAES.
M. AVRELIO . Φ . ANTONINO
PIO . Φ . FELICI . Φ . AVG
TIBICINES . Φ . ROMANI
QVI . SACRIS
PVBLICIS. Φ. PRAESTO. Φ. SVNT.

Tibicinum vero opera ita visa est ad Religionem pertinere, ut, cum Tybur omnes illi abiissent, ejus disceptatio tenuerit Senatum, juxta *Liv. lib. 9.* & Senatus Consulto his restitutum in Aede jus vescendi, a quo prohibiti erant a Censoribus. Hinc proverbium [illegible] βίον ζῆν de his, qui alieno vivunt, & immunes degunt: ita Suidas. Onuphrius Panvinius *de Civitate Romana*, apud enndem Graevium Tom. I. *Thes. Rom. Antiq.* cap. XLIII. pag. 339 *de Tibicinibus* scribit: Tibicinum Romanorum frequens apud Veteres Auctores mentio est. Hi tibias concinentes, Sacris Populi Romani interesse solebant. De his sic scribit M. Varro lib. IV. de lingua Latina: *Quinquatrus minusculae dictae Juniae Idus, ab similitudine majorum; quod Tibicines tum feriati per Urbem vagantur, & conveniunt ad Aedem Minervae.* Et Sex. Pompejus: *Minusculae* (inquit) *quinquatrus appellantur Idus Junii; quod is dies Festus est Tibicinum, qui colunt Minervam, cujus Deae Festus est proprie dies quinquatrus Mense Martio.* Aliter minusculae quinquatrus appellantur Idus Juniae. Ovidius IV. Fastorum:

INDICULUS TAB. III. SEC. II

Et jam quinquatrus jubeor narrare minores:
Nunc adest o coeptis flava Minerva meis.
Cur vagus incedit tota Tibicen in Urbe?
Quid sibi personae, quid toga longa volunt? &c.

Valerius Maximus lib. 2. cap. de Institutis Antiquis ait: *Tibicinum quoque Collegium solebat in Foro vulgi oculos in se convertere, quum inter publicas privatasque ferias, actiones, personis tecto capite, variaque veste velatis, concentusque edit. Inde tracta licentia. Quondam vetiti in Aede Jovis vesci, quod prisco more factitaverant, Tibur irati se contulerunt: quorum ministerio Senatus deserta Sacra non aequo animo ferens, per Legatos a Tiburtinis petiit, ut eos gratia sua Romanis Templis restituerent: quos illi in proposito perseverantes, interposita Festae epulationis simulatione, mero somnoque sopitos plaustris in Urbem devehendos curaverunt: quibus & honos pristinus restitutus, & hujusce lusus jus est datum. Personarum usus pudorem circumventae temulentiae causam habet.* Idem propemodum in Problematibus a Plutarcho refertur. Tibicines quoque Sacris Publicis interesse consuevisse, refertur in hac (de qua loquimur) antiqua & eleganti Inscriptione, quæ eadem mihi videtur, ac illa a Grutero edita,

IMP. CAESARI
M. AVRELIO . ANTONINO
PIO . FELICI . AVGVSTO
TIBICINES . ROMANI
QVI . SACRIS
PVBLIC. PRAEST. SVNT

Item,

DIANAE. LVCINAE . INVICTAE
CN. POMPEIVS. CN. LIB. BARBVS
PROCVRAT . TIBICIN. ROM
VOTO . SVSCEPTO . L. M.

Idem Panvinius Civis meus etiam *de Ludis Circensibus* lib. 2. apud Grevium To. IX. p. 349. „ post Satyricos, inquit, Choros, VII Pompam ducebant Tibicines, inflantes antiquo more breves Tibicinulas, quarum diu usus apud Romanos fuit, quum in Graecia exolevissent, Citharaedique, lyras septicordes ebur-

eburneas, quae etiam *barbita* dicuntur, plectentes. Hi in omnibus fere Sacrificiis, & praesertim antiquis, praesto erant. Tybias in Sacrificiis, Sacrisque peragendis, forte ad iratos Deorum animos demulcendos (ut loquitur Arnobius lib. VII. *adverſ. Gent.*) usurpatas fuisse, patet ex antiquis Nummis, & toreumatibus Sacrificia exhibentibus, nec non ex relatis Inscriptionibus apud Gruterum pag. 175, & 269; in quibus de Tibicinibus Romanis, eorumque, & Fidicinum Collegio, qui S. P. P. S., idest *qui Sacris Publicis praesto sunt*, mentio reperitur. Tybiae cantum in curatione morborum introductum fuisse, testantur multi Auctores: sic Democritus (apud Gellium in Lib. cui titulus est, *de pestibus*) refert, *plurimis hominum mortis medicinam fuisse incentiones Tibiarum*. Tibicinibus vesci in Capitolio permissum fuisse, jam diximus; idque declarat etiã Censorinus *de die Nat.* c. XII. ubi de Musica loquitur.

222. Opus anaglypticum, quod extat Romae in Arcu Septimii Severi prope Diaconiam S. Georgii in Velabro, ab Argentariis, & Negotiantibus Fori Boarii constructo anno Chr. 203, quo, ut constat ex Nummis ejusdem Imp., & Caracallae, utque Herodianus scribit lib. 3. cap. 10, Severus, filios jam puberes secum adducens, Romam triumphans invectus est, Parthis devictis. Arcum ingressis, a dextris sese offerunt Severus, & Julia, Sacra peragentes ad Tripodem. A sinistris, conspicitur Antoninus pariter sacrificans ad Tripodem, abraso (ut quidam putant) Geta fratre. In basibus, ex ordine sculpta sunt Sacrorum instrumenta; hinc lituus, praefericulum, patera, pileus flaminicus, aspergillum, cultri: inde acerra, securis, patera, calvaria victimae, praefericulum, malleus, amula: infra Victimarii, Popa taurum feriens, Tibicen, Camillus, Sacerdos. Occidentale Arcus latus, Parthos captivos, atque catenis vinctos exhibet; ut in iconismo nostrae Tab. hoc num. visitur. Orientale, muro Ecclesiae S. Georgii conclusum latet: sub captivis, spolia, atque infra bubulcus baculo boves agens, Boarii Fori index. Vide Inscriptionem hujus Arcus in nostro Indiculo Tabulae III. num. 186, & in *Topographia Urbis Romae* Bartholomaei Marliani, apud Graevium Tom. 3. pag. 581.

223. Inscriptio, quae extat Romae in Arcu Septimii Severi prope Diaconiam Sancti Georgii in Velabro. In Marmore, sex continuis versibus constat; licet non ita partita exhibeatur in nostro Indiculo hujus Tabulae num. 186. Dicata fuit ab *Argentariis* & *Negotiantibus* L. Septimio Severo, M. Aurelio Antonino Caracallae, & Juliae Matri ejusdem Augusti & Castrorum anno post Arcum erectum, nempe Aerae Chr. 204. quo Sept. Severus gerebat TRIBVNIC. POTEST. XII, & Caracalla VII. In postremo versu charactere ceteris minutiori sunt haec tria verba peregrinum in modum ibi disposita LOCI. QVI. INVEHENT. Nardinus suspicatur, aliquot ex iis Argentariis, & Negotiatoribus, qui anno praecedenti 203 Arcum erexerant, ad solvendas ejus impensas, conferre pecunias recusasse; ideoque ea verba ceteris addita post decretum illud jam factum; ne illi, qui recusaverant, ad vendendas illic merces suas ante conlatam pecuniam admitterentur. Vide Cl. Fontaninium *de Antiquitatibus Hortae* lib. I. cap. 3, & Gruterum pag. 265. numero 2.

224. Symbolum Tiberis fluvii, ex Marmore, quod extat Romae in Palatio Vaticano, in Atrio nuncupato *della Cleopatra*. Ita describitur a Cl. Montfauconio *Antiq. Expliq.* To. 3. Par. 1. p. 186. Tiberis, inquit, ut senex repraesentatus, cornu copiae tenet, & innititur lupae, juxta quam duo pueruli sunt, Remus, atque Romulus: in oris, repraesentantur scaphae remo utentes, & aliae a viris in terra incedentibus tractae. Heic etiam comparent oves, equus, & alia quaedam animalia. Augustus, ut scribit Suetonius in ejus Vita cap. 30, *ad coercendas inundationes, alveum Tiberis laxavit, ac repurgavit, completum olim ruderibus, & aedificiorum prolapsionibus coarctatum*. Trajanus, ut inundationum pericula amoliretur, stagnantem fossa in campos abduxit, teste Plinio Epist. VIII. 17. 2, exiguo tamen in subita inundatione emolumento. In Itinerario Anonymi per Urbem, & circa Urbem, cum Indicationibus observabilium Aedificiorum ibidem superstitum, circa octavum Christi Saeculum scripto, legitur Sect. 2. *Tiberis*. Quo loci Franciscus Blanchinus Patruus meus *in Prolegomenis ad Vitas Romanorum Pontificum* Tom. 2. pag. CXXI. haec adnotavit: „Statua insignis, fortasse Tiberinum Fluvium repraesentans (quae nunc in Capitolium translata est ex Corneliorum vico), sita circa S. Agathae in Suburra (supra Collem hodie dictum *Monte Bagnanapoli* ad Balnea Pauli Aemilii), uti Nardinus observat ex Rufo, & Victore lib. 4. cap. 6. p. 188. Simulacrum quoque aeneum, ex cu-

ex cujus uberibus pendent Romulus, ac Remus, fuit in Capitolii Porticu interiori, prope Aulam. Cicero Catil. III. 8: *tactus est*, inquit, *etiam ille, qui hanc Urbem condidit, Romulus; quem inauratum in Capitolio, parvum, & lactentem uberibus inhiantem fuisse, meministis*. Obsequens, *de Prodigiis* cap. 122. scribit: *inter alia relatum, biennio ante, lupam Remi & Romuli fulmine ictam*. Adhuc in Aedibus Capitolinis Excellentissimorum DD. Conservatorum, ab omni Veterum impuritate, ac superstitione purgatis, aeneum inauratum *Lupae* infantium nutricis spectatur Simulacrum, fulminis πληγῇ in crure hiulcam ostendens. Ego tamen affirmare non ausim, hoc illud ipsum esse, quod olim extabat in Templo Romuli ad Lupercal, in Octava Regione, ficui Ruminali vicino. De ficu Ruminali Livius lib. x. c. 23. scribit, *ad ficum Ruminalem Simulacra infantium Conditorum Urbis sub uberibus Lupae posuerunt*. De Templo vero Romuli Dionysius lib. 1. pag. 65, *Ostenditur*, inquit, *secundum Viam, qua itur ad Circum, Templum ei proximum, in quo est Lupa praebens pueris duobus ubera*.

225. Effigies S. Pii Papae ex picturis Leonianis in parietinis Basilicae S. Pauli Via Ostiensi, cum epigraphe, PIVS SED. ANN. VIII. M. III. D. III. Vide Chronicum ab anno Christi 143. ad 150. Cl. Marangonius *in Chronologia Romanorum Pontificum* iisdem picturis Leonianis subnexa, pag. 8. scribit: „ *Ancipitem hujus S. Pontificis Epocham Sedis tradunt antiqui Scriptores, & Catalogi plures; quod nonnulli Anicetum, alii Pium anteponant: ex qua transpositione factum est, ut Epocha Sedis unius, alteri fuerit assignata. Ita Anastasius Bibliothecarius Aniceto, quem Pio praeponit, annos Pii tribuit; Pio vero annos Aniceti, quamvis utrobique corrupte. Sed, quoad ordinem Chronologiae, Baronius probat ad an. 158, Pium esse anteponendum: quod etiam apparet in hac Serie Leoniana in parietibus S. Pauli, ubi residuae notae numerales distincte exhibent, eum sedisse* ANNOS VIII. M. III. D. III; *quamvis Catalogi Vaticani apud Vignolium, & alii Colbertini diversimode assignent. Nam Liber Pontificalis Damaso adscriptus, & Anastasius, Pio attribuunt* ANNOS XIX. M. IV. D. III. *Eusebius* ANNOS XV. „ Porro nonnulli vestigiis insistentes Eusebii, qui in *Hist. Eccl.* totum Pii tempus XV. annis definit, hujus Pontificis initium an. Chr. 146, finem vero an. 161. consignant, nempe a *Consulatu Clari & Severi, usque duobus Augustis*. Festivitas S. Pii die xi. Jul. celebratur. Ordo successionis deposcit, ut S. Pius Papa Aniceto praeponatur, prout praeponunt Irenaeus, & Hegesippus Synchroni testes, & Romae versati per illa tempora. Catalogus ergo, quo Optatus Milevitanus lib. 2. de Schismate Donatistarum cap. 3 usus est, heic mendosus reperitur; cum Hygino Anicetum, atque Aniceto Pium, Pio vero Soterem successisse tradat. Vulgatam Catalogi Optati lectionem (qui Opus suum circa annum Domini 370 perfecit) sequutus videtur S. Augustinus Epist. 53, alias 165, ubi eadem habet, quae Optatus, nempe *Hygino Anicetus, Aniceto Pius, Pio Soter*. Emin. Baronius ad an. 158. §. 3, hunc ordinem fulciri putavit etiam a S. Hieronymo in *Catalogo* cap. 22, ubi *decimus post Petrum Episcopus Anicetus vocatur*: qui numerus, *a Petro* ductus, *Pium* Aniceti non *decessorem*, sed *successorem* facit. Verum, ut animadvertit Cl. Praesul Justus Fontaninius *in Historia Literaria Aquilejensi* lib. 1. cap. 3, nihil vetat, quin Anicetus & *decimus* post Petrum, & etiam Pii *successor*, non *decessor* extiterit: nam Hieronymus non solum in Catalogo, sed etiam in Chronico Eusebiano a se Latine expresso, & aucto sub Olympiade ccxxx, *decimum* post Petrum Episcopum Anicetum constituit, ubi ei *Pium* praeponit, quem *Romae nonum Episcopum* vocat, excluso nempe *Anacleto*, vel cum *Cleto* confuso: non enim Hieronymus numerum iniit a Petro, sed ab ejus successore Lino, de quo ait in Chronico, *post Petrum primus Romanam Ecclesiam tenuit Linus*: unde Soter Aniceti successor ab eodem Hieronymo Pontifex *undecimus* appellatur: & in eodem Catalogo cap. 15 Clemens, qui post Linum Petri successorem, Cleto, vel Anacleto succedit, vocatur a Hieronymo *tertius post Petrum Romae Episcopus*, quod perinde est. Ut clarius res pateat, Auctores synchronos proferamus. Irenaeus lib. 3. cap. 4 Pontifices Romanos recensens, Hieronymianum Ordinem his verbis tuetur: *Valentinus enim venit Romam sub Hygino, increvit vero sub* PIO, *& prorogavit tempus usque ad Anicetum. Cerdon, qui ante Marcionem fuit, sub Hygino, qui fuit octavus Episcopus*. Et paulo post, *Marcion autem illi succedens, invaluit sub Aniceto, decimum locum Episcopatus tenente*. Ergo *nono* loco fuit Pius, & *decimo* Anicetus secundum Irenaeum, & Hieronymum. Eadem habet Eusebius *in Historia*

INDICULUS TAB.III.SAEC.II

lib. 4. cap. xi; ubi tamen Hyginum *nonum* Episcopum, non *octavum* appellat: ita pariter Cyprianus Epist.74; quia uterque non a Lino, ut Hieronymus, sed a Petro numerum iniit. Hunc posteriorem ordinem sequutus videtur Irenaeus lib. I. cap. 27, alias 28: sed Renatus Massuetus, qui Irenaeum ab se egregie illustratum vulgavit, Hyginum semper *octavum*, PIUM vero *nonum* ab Apostolico Patre dictos contendit. Sane in duplici Iudiculo Mabilloniano, utroque antiquissimo, in *Analectis* Tom. III. p. 426, si numerus ducatur a *Lino*, qui in altero *primus* occurrit, Anicetus *decimus* erit, Piique Successor; quia Anacletus, statim post Clementem poni solitus, omnino abest. Adstipulatur allatis Indiculis & alius, item vetustissimus, utpote ad S. Silvestrum usque perductus; qui extat inter Opera Sancti Athanasii Tom. s. pag. xc. His non animadversis, nonnulli Eusebium, tanquam sibi non constantem, arguunt; quasi in Historia Pio Anicetum; deinde Aniceto Pium praeposuisset in Chronico. Sed ipsi egregie falluntur. Hieronymianum vero ordinem testes Pii aequales confirmant. Hegesippus temporibus Apostolicis proximus, apud Eusebium lib. 4. cap. 22, de se ita loquitur: *Romae vero cum essem, successionem composui usque ad Anicetum, cujus Diaconus erat Eleutherus, & Aniceto successit Soter, post quem Eleutherus*, ut vertit Eusebii verba Pearsonius in Operibus posthumis pag. 25. Pius ergo praecessit, non successit Aniceto. Eusebius ipse eodem lib. 4. cap. x1, ex Irenaeo, haec de Valentino Haeretico protulerat, secundum interpretationem Rufini: *Valentinus venit Romam sub Hygino. Invaluit autem temporibus Pii, & ad Anicetum usque duravit*. Et post alia: *Pius vero in Urbe Roma quindecim annis in Sacerdotio expletis, Aniceto post tradidit Sedem. Cujus temporibus* (scilicet *Pii*) *Hegesippus refert, semetipsum Romam venisse, & permansisse inibi usque ad Eleutherum*. Rursus lib. v. cap. 6, *tum Hyginus, deinde* PIUS, *post Anicetus illo munere potiebatur*. Ex his, Hyginum inter & Anicetum, in Cathedra Pontificali sedisse Pium, conspicimus. Idem quoque satis constat ex subsequentibus verbis Irenaei lib. 3. c. 3: *deinceps Hyginus, post* PIUS, *post quem Anicetus*; atque etiam ex fine libri 3 Poematis in Marcionem, quod plerique non ambigunt, quin sit foetus Tertulliani. Hanc demum sententiam fulcit quoque auctoritas Epiphanii libro I, Haeresi 26. Quare PII, Aniceti, & Soteris successio, tot testium auctoritate firmata (quorum plerique eorundem Pontificum aequales sub Eleuthero scripserunt), certissima haberi debet. Vide laudatum Fontaninium loco superius allegato, ubi hunc laterculum exhibet, ut clarius pateat, *Sanctum Pium in Cathedra Romana sedisse statim ab Hygino, ante, & non post Anicetum*.

I. Pontificum Series ex Hieronymo.	II. Pontificum Series vulgata.
Petrus.	1 *Petrus*.
1 Linus.	2 Linus.
2 Cletus, *alias* Anacletus	3 Cletus.
3 Clemens.	4 Clemens.
4 Evaristus.	5 *Anacletus*.
5 Alexander.	6 Evaristus.
6 Sixtus.	7 Alexander.
7 Telespborus.	8 Sixtus.
8 Hyginus.	9 Telespborus.
9 Pius.	10 Hyginus.
10 Anicetus.	11 Pius.
11 Soter.	12 Anicetus.
	13 Soter.

Annos VIII. menses III. & dies totidem Pontificatus Romani Pio esse tribuendos post electionem, qua successor processit Hygini, comprobare nititur Franciscus Blanchinus Patruus meus in Notis Anastasianis ad ejus Vitam Tom. II. pag. 119, & sequentibus, ex Catalogis vetustioribus Romanorum Pontificum, in Italia praesertim exaratis, ex quibus illud consequi ait, ut octo paria Consulum, quae supersunt ex Severo & Priscino (anno 141 claudentibus *Hygini* Pontificatum), ad Consules Gallicanum & Veterem anno 150 aperientes Sedem Aniceti, pertineant ad Pium, cui propterea Pontificatus annos VIII. menses III. diesque totidem assignant memorati Catalogi, olim descripti ex picturis Basilicarum Urbis, praesertim Leonianis. Eusebius tamen, qui res Christianas, & praesertim Romanae Ecclesiae, centum & quinquaginta annis post Pium, literis consignavit, atque ob oculos habuit Scripta Hegesippi ejusdem Pontificis aequalis, de ipso ita scribit lib. 4. cap. x1 Historiae suae: *Romae cum Pius anno Episcopatus sui quintodecimo vitam cum morte commutasset, Anicetus Ecclesiae illius Antistes factus est*. Quem numerum servat Eusebii Interpres Rufinus, & exscriptor Joannes Zonaras *Annalium* lib. 12. cap. 1. pag. 594. Edit. Cangii. Item plerique omnes Eusebianae Historiae Codi-

ces

ces editi,& Mss. melioris notae, Chronicon etiam Eusebianum a Scaligero, & Auberto Miraeo vulgatum, sub Olympiade ccxxx, Nicephorus in Chronographia p. 411, Prosper in Chronico Labbeano pag.32,& Chronographus Saxo Leibnitii pag. 26. Beda in Chronico Tom. II. pag. 185. scribit, *sub Pio Romae Episcopo, Hermes scripsit librum, qui dicitur* PASTORIS, *in quo praeceptum Angeli continetur, ut Pascha die Dominico celebraretur*. Quatuor Pio adscribuntur Epistolae, quarum duae prodiisse dicuntur e Viennensis Ecclesiae Archivo. Sed cum de illarum veritate nobis non constet, eas P. Coustantius in Collectione *Epistolarum Romanorum Pontificum* in Appendicem Tomi rejecit col. 19, & 20. Ipsae Card. Baronio, Fontaninio, aliisque genuinae; nonnullis dubiae; pluribus supposititiae visae sunt. Suppositionis notas, quas praeferunt, videbis in Monito praevio apud eundem Coustantium col.17,& 18,quas velim,ut conferas cum Fontaninianis Vindiciis *in Hist. Liter. Aquil.* p. 82,& seqq.Duas alias quoque literas Isidorus Mercator supposuit Pio:quibus literis,in Editionibus Conciliorum novem subjiciuntur Decreta,e variis Canonum compilatoribus collecta. Singula eorum, vel auctoribus suis, vel suae saltem aetati heic restituere, supervacaneum duco; addita censurae ratione; quoniam id actum a Coustantio, Tillemontio, Pagio seniore, ac Fleuryo. PIUS ab Eutychio Alexandrino *Marcus*, & in pervetusto Codice Corbejensi *Osus* appellatur.

226. Effigies S. Aniceti Papae ex picturis Leonianis in parietinis Basilicae S. Pauli Via Ostiensi, cum epigraphe, ANICETVS SED. ANN. XI. M. IIII. D. XX. Vide *Chronicum* ab anno Christi 151. ad 161. Cl. Marangonius in suo Opere inscripto, *Chronologia Romanorum Pontificum &c.*p.8 haec de Sancto Aniceto literis consignavit: „ in Serie nostra Leoniana, seu S. Pauli, Epocha Sedis S.Aniceti clare conspiciebatur ANN.XI.M. IIII. D. XX. Catalogi plures Vaticani, apud Vignolium, assignant annos XI. M. IV. dies vero III. Totidem annos Aniceto tribuunt Damasus, & Beda: totidemque annos, & menses Catalogi a Blanchinio seniore relati; dies vero habent XX. Pagius autem junior annos X. Baronius ad an. 175 Sedi Aniceti annos assignat octo, minus mensibus tribus, ac diebus septem; licet (ait) *alii decem, & undecim alii, eidem tribuant annos; &, quam in multis sequimur, Cresconiana Series, octo annos & menses tres*,,. Haec Marangonius. Hegesippus, Irenaeus, Eusebius, Hieronymus,& alii, ut diximus num. 225, Pium proxime post Hyginum, ac deinde Anicetum Romanae Ecclesiae regimen suscepisse tradunt. Hic vero, nempe Anicetus, in pervetusto Catalogo Corbejensi apud Coustantium in Collectione *Epistolarum Romanorum Pontificum* annos XI. menses IV. dies III. sedisse dicitur. Cui (ut animadvertit Franciscus Blanchinus Patruus meus) concinit etiam Liber Pontificalis sub Damasi nomine vulgatus: sed is addit, *fuit temporibus Veri, & Marci, a Consulatu Gallicani & Veteris, usque Praesente & Rufino*, hoc est ab anno Chr. 150. usque ad 153. Qua autem ratione cum hoc calculo componi possint undecim anni, quos Liber Pontificalis, Picturae Leonianae, aliaque vetera monumenta attribuunt Aniceto, ostendere conatur in Notis ad *Anast. Bibliothecar.* laudatus Patruus meus Tom.II. pag.113. Eusebius lib. 4. *Hist. Eccl.* cap.22. scribit, Hegesippum ad Aniceti usque tempora in Urbe mansisse. Et Irenaeus apud eundem Eusebium lib. 5. cap. 24. ait, Romam Polycarpum quoque se contulisse: *Cum Beatissimus Polycarpus Aniceti temporibus Romam venisset, atque inter illos* cum de quaestione Paschae, tum *de quibusdam aliis modica esset controversia; statim, hac sedata, pacem ineunt; de hoc capite* (quod ad Paschae celebrationem attinet) *non magnopere inter se contendentes. Quae cum ita se haberent, communicarunt sibi invicem, & Anicetus in Ecclesia consecrandi munus honoris causa Polycarpo concessit: & cum pace a se invicem discesserunt*. Polycarpi in Urbem adventus non sine fructu fuit. Scribit enim idem Eusebius in Chronico: *Anicetus annis XI. Sub quo Polycarpus Romam veniens, multos ab haeretico errore correxit*. Non ambigendum tamen est, quin Anicetus ipse Polycarpo tam praeclaro in opere adjutor, & adhortator fuerit. Tunc autem contigit, ut Valentinus, quem Hygino Pontifice Romam venisse, ibique ad Aniceti tempora permansisse Irenaeus docet lib. 3. cap. 27, plurimis eorum, quos seduxerat, conversis, ex Urbe fugere compelleretur. Ex dictis autem (ut prosequitur fusiori calamo adnotare Cl. P.Coustantius) manifesta fit falsitas Synodi, quae, in Synodico libello apud Labbeum Tom. I. pag. 583, dicitur *Romae congregata*

INDICULUS TAB.III.SEC.II

ta a Beatissimo Aniceto ejusdem Urbis Papa, & Polycarpo Sancto Martyre Smyrnae Episcopo, aliisque Episcopis decem, contra eos, qui Judaico more Luna decima quarta Divinum celebrabant Pascha, aliisque ritibus & typis id ipsum perficiebant, in qua definitum sit, *tremendam & salutarem Domini nostri Jesu Christi & Dei Passionem, in Sancta Parasceve mystice celebrandam, Resurrectionem autem vitae auctricem, ipsa celebri & magna Dominica omni modo esse peragendum*. Ipsum enim Polycarpum ex iis fuisse, qui Pascha Luna XIV celebrandum esse contendebant; eumque, post modicam controversiam, in eadem sententia cum bona Aniceti venia, & pace perstitisse, ex Irenaei verbis palam fit. Isidorus Mercator Sancti Aniceti nomine confinxit Epistolam, in qua sancitur, *ut Clerici, juxta Apostolum, comam non nutriant; sed desuper caput in modum sphaerae radant*. Idem legitur in libro Pontificali in ejus Vita, ubi dicitur, *ut clericus comam non nutriret*: cui Decreto in aliquot Exemplaribus additur, *secundum praeceptum Apostoli*. Clericis quidem, ne comam nutriant, ab Apostolicis temporibus interdictum fuisse, fatendum est. Et S. Damasus Ep. 8, Ordinationes culpans cujusdam Maximi Cynici, qui comatus ordinatus fuerat, scribit: „ *Non legerant Apostolam scribentem*, Vir autem si comam nutriat, ignominia est illi „. Ubi generale ad omnes viros praeceptum, specialiter ad clericos videtur referre. Subinde idem Pontifex ibidem, hunc eorum, qui ordinarentur, capillos detondendi morem ita receptum fuisse indicat, ut Maximi Ordinatores, quia illum neglexissent, omnino ludibrio fuerint, atque id postmodum supplere coacti sint. Audiant verba hujus Sanctissimi Maximique Pontificis illi Ecclesiastici Viri, qui comam nutrire student moribus feminarum: *Notati*, inquit, *ab omnibus discesserant, errorem suum condemnantes, ut, amputatis ejus postea capillis, qui non recte sacros ordinatus, & jacturam capitis sustineret, & quod ambiebat, esse non posset*. Primus Romanorum Pontificum, (ut animadvertit Franciscus Blanchinus Patruus meus in Notis ad *Anast. Bibliotb.* Tomo II. pag. 115) in Coemeterio Callisti sepultus (quod paulo post ab amplificatore Callisto nomen accepit) legitur hic Anicetus. Inde autem extractas ejusdem Reliquias, Henschenius memorat in Appendice ad Tomum tertium Aprilis pag. 982, signatumque id publicis Tabulis anno 1590. Indict. 3. die XVI. Aprilis, Sixti Papae V. anno V. Caput S. Aniceti dono datum refert Serenifs. Duci Bavariae: Corpus autem ejusdem Pontificis ac Martyris a Clemente VIII. impetravit Dux Angelus ab Altaemps die 18. Octobris, an. 1604, ut memorat laudatus Henschenius Tom. 2. Aprilis pag. 478, idque a Rev. Praesule D. Angelo Rocca Episcopo Tagastensi, & Sacrarii Apostolici Praefecto illatum fuisse in Sacellum praefati Ducis, in Aedibus magnificenter extructum (ubi quotannis totius Urbis frequentia, ac veneratione colitur), declarat epigraphe insculpta, quam retulit piissimus Canonicus Boldetti *in Observationibus ad Coemeteria SS. Martyrum* lib. 3. cap. 14. pag. 715.

☧

MARTYRIS OSSA ANICETI PAPAE
AB ARENARIO QVOD POSTEA CALLISTI
COEMETERIVM APPELLATVM EST
AVCTORITATE CLEMENTIS VIII.
TRANSLATA.
IOANNES ANGELVS AB ALTAEMPS DVX
SACELLVM OBTVLIT.
CORPVS EIVSDEM MARTYRIS
IN LABRVM QVOD ALEXANDRI SEVERI IMP.
SEPVLCHRVM FVIT COLLOCAVIT
ANNO DOMINI MDCXVII.

227, & 230. Symbolum Occidentis, & Orientis, ex anaglyptico opere Arcus Trajani, in Arcum Constantini translato. Visitur hoc numero 227 mulier in bigis equorum stans, Genio vel Hespero praeeunte, qui occidit: occidunt item equi, quibus OCCIDENS significatur. Mulier bicornem Lunam capite gestat, amplumque velum extensum. Sic pingitur etiam Diana Luna, vel Luna simpliciter, quae heic bigis equorum vehitur, Sol vero (num. 230) quadrigis incedit. Nox in veteribus monumentis velo totum caput obnubit; sed in hac Imagine, quam illustramus, velum mulieris, similiterque Genii, vel Hesperi, retrorsum agitur; quia nox accedens, nondum advenisse dicitur. Solis ac Lunae currus, Imperium Romanum ab Ortu ad Occasum patens aeternumque designant. Aeternitatis enim symbolum, Sol & Luna est. Franciscus Blanchinus Patruus meus in Notis ad *Anast. Bibl.* Tom. 2. Sect. XIV. ad Vitam S. Eleutheri PP. pag. 140. scribit: „ Operae pretium me facturum judico, si occasione

sione prosequendi extensionem Christiani nominis in Britannicae Insulae partibus, Romanae Dominationi non omnimode subjectis (ita flagitante atque adnitente Lucio Rege, & Papa Eleuthero adlaborante, & annuente piis votis), delibem summa capita constitutionis illius Provinciae Britanniae, quae potiorem Insulae partem per tria priora Saecula complexa est; deinde sub Constantino in plures divisa fuit. Decerpam ergo nonnulla ex adversariis, quae aliquando seposueram, ad illustrandam Notitiam Provinciarum Ecclesiasticarum, huic Secundo Saeculo respondentem. Haec enim nonnihil lucis affundere fortasse poterunt universis Sectionibus Libri Pontificalis, ubi legimus fere per singulas earum, *Episcopos per diversa loca* ab eo Pontifice constitutos, & ordinatos. Observaveram igitur cum B. Leone Magno, Divinae Providentiae consilio suaviter ac fortiter singula disponente, paratam fuisse, quasi vehiculum Euangelio in Orbem Universum perferendo, magnitudinem atque unitatem Romani Imperii, & foedera cum remotissimis Terrarum tractibus a Romanis Principibus inita. *Disposito namque Divinitus operi* (ait S. Leo Serm. I. in Nat. Apostolorum) *maxime congruebat, ut cito pervios haberet Populos Praedicatio generalis, quos unius teneret regimen Civitatis*. Nascente Domino, juxta vaticinia Prophetarum, dum Terrarum Orbis esset in pace compositus, & per eos Augusti annos, quibus Edictum vulgatum fuerat ab eodem Caesare, *ut describeretur universus Orbis*, ordinatio Provinciarum sub uno Principe non modo facilem aditum parabat designatis Praeconibus Euangelii; verum etiam ordiebatur in Civili dispositione Regionum, nexuque oppidatim per eas contexto, quoddam specimen ordinati sanctiorisque Regiminis, paulo post contradendi a Pacis Principe CHRISTO DOMINO suis Apostolis, eorumque Successoribus in Episcopatus Christiani Hierarchia, quam erat proxime fundaturus. Hanc artem Divini consilii, cum, ante Leonem Magnum, probe cognosceret Princeps Apostolici Coetus, & primus Ecclesiae suae Hierarcha electus A CHRISTO DOMINO Simon Petrus; ORIENTIS, & OCCIDENTIS praecipuis Sedibus constitutis, adjecit tertiam in Aegypto; unde Meridionalium Regionum tractus amplissimi Legatos CHRISTI reciperent, ad Indos usque, ac Aethyopas potestatis suae terminos prolaturos: quibus tamen omnibus, ut intelligerent Cathedrae illius auctoritatem esse praelatam, quam ipse vivens, ac moriens donasset privilegio suae successionis in amplissima potestate, quanta fuerat sibi a REDEMPTORE Humani Generis collata supra universos Fidelium Coetus; hanc in Urbe Roma figere voluit, caput Orbis & Imperii pridem effecta, per Europam, Asiam, & Africam propagati: unde facilius possent tum ipse, tum Successores, in quaecumque Terrarum spatia suas Leges perinde, ac Legationes transmittere. Famulabantur consilio Divini operis non modo pax, & ordinatio Provinciarum, ac census Civium, & foedera Augusti cum remotissimis Regibus; verum etiam bella, & victoriae, itinera, & partitiones Provinciarum, militares expeditiones, Coloniarum deductio, Legionum transvectio, Praesidum sortitio, ac universa propemodum gesta Reipublicae, & Caesarum consequentium. Sive in Britanniam moverent Cajus Caligula, & Claudius; sive in Armeniam Nero; sive in Judaeam Vespasianus; sive Trajanus in Daciam, Parthiam, & Mesopotamiam; sive Hadrianus Barbaris restitueret ea, quae Trajanus ademerat; sive lustraret ipse, ejusque exemplo Antoninus Provincias, & crebris itineribus totum Imperium redderet pervium; sive Romanis Legionibus communiret; sive etiam Maria, & Insulas continenti conjungeret, instructis in Italia Classibus superi Maris & inferi, Ravennati, ac Misenati; sive limites Imperii firmaret, collocatis Exercitibus Britaunico, Cappadocico, Dacico, Germanico, Hispanico, Illyrico, Mauretanico, Moesiaco, Rhetico, Sarmatico, Syriaco, spectandis in Nummis Hadriani; universa haec, Euangelii perferendi apparatus, & comitatus erant, & adjumenta; non hominum vano consilio, ad temporariae tantum vitae usus haec dirigente, comparata; sed Sapientiae Divinae nutu, ac potestate disposita, & ministrata Christi gloriae, & Electorum saluti: cui omnem praesto esse creaturam, & servire nec cogitantem, atque etiam contra stimulum calcitrantem, jubet. Quantum enim facilitatis conciliaret Missionibus Apostolicis, ex Urbe dirigendis a Summo Ecclesiae Hierarcha in dissitas quascumque Regiones fre-

INDICULUS TAB.III.SEC.II

frequens Legionum transvectio, Magistratuum majorum minorumque profectio ferme quotidiana ad Provincias & Copias regendas, satis attigit idem Franciscus Blanchinus Patruus meus p.11,& 13.ejusdem Tomi II. *Anastasii Bibliothecarii* ad Sectionem primam Vitae Sancti Petri; cum perpenderet Divinae Providentiae vim plane admirabilem, quae, infirma Mundi eligens, ut fortia quaeque confundat, exigit Sapientiae suae consiliis servitium praestari, & compendia, etiam ab Insanis & ludicris hominum cogitationibus: quemadmodum observatum fuit in Cajo Caligula, quando Legiones undique accitas ad Britannicam expeditionem eduxit, *& directa acie in Littore Oceani* (ut scribit Suetonius cap.46.illius Vitae),*ac balistis, machinisque dispositis,nemine gnaro, ac opinante quid coepturus esset, repente, ut conchas legerent, galeasque, & sinus replerent, imperavit: Spolia Oceani vocans, Capitolio, Palatioque debita*. Insani Principis vanitatem, *& Cajanarum expeditionum ludibrium*, ut appellat Tacitus *Hist.* lib.4. cap.15, ita serio sibi famulari adegit Dei Sapientia, ut hoc uno levitatis humanae joco adduxerit e Syria ad Britannos complura Romanorum Civium millia, adscripta Legionibus Quartae, Sextae, ac Decimae, inde transvectis ad hanc expeditionem: quorum militum plerique veterani ante annos quatuordecim interfuerant CHRISTI DOMINI Praedicationi, & Miraculis, Morti, ac Resurrectioni, vel ejusdem Discipulorum gestis adesse potuerant multo recentius, testes oculati mirabilium, ac magnalium DEI. Sive cum Cornelio Centurione Cohortis Italicae meruissent; sive cum alio Centurione Euangelico, cujus Fidei parem se in Israhele non invenisse Salvator dixit; sive cum militibus in morte Domini conversis, & exclamantibus *vere Filius Dei erat iste*; sive cum Paulo ex Persecutore in Apostolum repente converso; sive cum Equitibus Caesarianis memoratis a Clemente Alexandrino, alioque Scriptore; aut cum iis, qui de Domo Caesaris erant, & in fine Epistolae S. Pauli ad Philippenses ab Urbe datae recensentur, Roma profecti sint in Britanniam; poterant tum annunciare de CHRISTO DOMINO, ejusque Ecclesia, quae viderant: tum Discipulos Domini, aut Apostolorum secum transvehere in easdem Provincias. Verum de Britannia Euangelii luce illustrata paulo post agam distinctius. Nunc generatim prosequor facilitatem perferendae Christianae Fidei in quaslibet Provincias Romanas, & in Regiones Romanis limitibus proximas, earumque Regionum, ac Provinciarum Ecclesias nectendi cum Capite universarum, constituto in Sede Romana a Principe Apostolorum. Nam ubi semel CHRISTO nomen dedissent Romani Cives, praesertim eo loco nati Equestris, aut Patriciae nobilitatis, quorum de numero Praetores, Proconsules, Legati ab Urbe in Provincias mittendi forent, vel quotannis, vel per triennia, & quinquennia; Romanus quoque Pontifex uti poterat parata occasione, & comitem illis dare Presbyterum, aut etiam Episcopum a se ordinatum; ut ejusdem Provinciae, Praefecturae, ac vicinarum Gentium oppidanis, & incolis Sacra administraret; vetustos errores, ac novos, eorumque Sectas detegeret, atque expurgaret; Fidem, ac disciplinam Catholicam ibidem constabiliret, ac promoveret; &, ut verbo universa complectar, par illi copia dabatur cognoscendi per triennia singula Ecclesiarum illarum statum, & Religionis incrementa, ac hodie detur per triennales Visitationes Sacrorum Liminum Apostolicorum, Episcopis indictas in eorumdem Consecratione; dum student Romanum Pontificem,Pastorem universi Gregis Dominici, certiorem reddere de Fidelium progressu; eundemque consulere de rebus ad Divinum cultum pertinentibus, & ad aeternam salutem Populi eadem in Provincia sibi concrediti. Hac vero opportunitate usos fuisse Petri Successores, comprobari potest ex primis Episcoporum Sedibus, ibi plerumque constitutis, ubi Coloniae Civium Romanorum splendide fuerant deductae, aut Romanorum Exercituum sedes, & castra Praesidiorum posita ab Hadriano, & Antonino, sive etiam a superioribus Principibus, aut Successoribus. Hadrianum tamen, & Antoninum praecipue nomino; quod hi compleverint hoc Secundo, de quo nunc agimus, Saeculo Provinciarum Romanarum ordinationem primam ab Augusto editam, eamque perfecerint post accessiones sub Claudio, Nerone, Vespasiano, ac Trajano celebratas. I. De Frasse Canonicus Carnotensis Auctor Opusculi de Origine Ecclesiarum Galliae cap.v. decernit, Treviros,

viros, Lugdunum, Viennam, inter Galliarum Civitates haberi primas, quae Episcopos obtinuerint. In Tabula Chronologica, quam construxit, cap. 10 ad annum Christi 68. refert, Sanctum Eucharium Trevirensibus datum fuisse Episcopum eodem anno, quo etiam putat Apostolorum Principem Martyrio coronatum. Anno autem proximo censet, Sanctum Crescentem Moguntinis Episcopum a Beato Lino constitutum. Anno 140. figit Epocham Episcopatus Lugdunensis, tunc erecti per Thelesphorum, qui & ablegavit Pothinum Episcopum Sancti Polycarpi Discipulum. Anno 167 Viennensibus infert Beatum Severum Episcopum, qui ex Perside vocatur ad annunciandum in Galliis Euangelium. In his autem illustribus, qua Coloniis, qua Legionum hybernis castris, quae Metropoles plerumque fuerunt Provinciarum, aut Emporia, solebant Romani Pontifices constituere Episcopos, qui Vicarii quoque Apostolici auctoritate pollerent, ex causa, quam attulit Caelestinus I Epistola 13. inter Holstenianas, a Schelestrate producta in Differtat. de Auctorit. Patriarchali cap. 3. pag. 41: *Sunt culpae aliquantae non leves, quae illis innatae Provinciis* (per Illyricum), *ad nos, eum simus longius, non possunt pervenire; aut jam semotis omnibus, non ita, ut sunt acta, interposito temporis spatio perferuntur: quas omnes nos intercessione Fratris ac Coepiscopi nostri Rufi* (is erat Thessalonicensium Episcopus), *cujus experimentum comprobatum esse in causis omnibus, & vitae actibus liquet, volumus reservari. Cui vicem nostram per vestram Provinciam noveritis esse commissam; itaut ad eum Fratres charissimi, quidquid de causis agitur, referatur; sine ejus consilio nullus ordinetur; nullus usurpet eodem inscio commissam illi Provinciam; colligere nisi cum ejus voluntate Episcopos non praesumat: per eum etiam ad nos, si quid est, referatur.* Neque id primum Caelestinus constituit; sed ante illum Damasus jam perfecerat, ea de causa, quam idem Schelestratius refert pag. 49, ut obsisteret Episcopi Constantinopolitani usurpationibus, & Romae Veteris ea esset praerogativa, quae ex prisca Apostolica disciplina (ut verbis Theodosii probat Schelestratius pagina 53.) semper effecit, ut omnibus Ecclesiis praeesset, *utque per hos Provinciarum Episcopos in majoribus Urbibus constitutos, ad Petri Sedem universalis Ecclesiae cura confluere, & nihil usquam a suo capite dissideret*; quemadmodum & Leo Magnus affirmat Epistola 54. ad Anastasium Thessalonicensem. Vide Schelestratii laudatam Dissertationem pagina 55. Has igitur ad Colonias illustres, aut Metropoles Provinciarum, vel Emporia, & Oppida constituta prope Castra stativa Legionum, & Civium Romanorum, licet facilis esset accessus praeconibus Euangelii illuc directis; non tamen eisdem assignabantur facile Sedes Episcopales, nisi constaret de ordinatione Provinciae temporibus ita pacatis, ut mutatio repentina timeri minime posset, quae statum Provinciae subverteret. Quare in Provincias nondum liberas ab excursibus Barbarorum, aut ab intestinis indigenarum motibus, ante pacata Hadriani tempora, & Antoninorum, Episcopi saepe mittebantur Vicariorum Apostolicorum more ad eam Nationem directi, in qua possent excurrere, quocumque necessitas advocaret. Ubi autem pax Regionis videbatur spondere durabilem Provinciae constitutionem, & opportunitas daretur ultro citroque commeandi Romam ex Provincia, & ad Provinciam ex Urbe, &, quod inde consequebatur, conferendi de statu illarum Ecclesiarum cum Romano Pontifice; ibi Episcopos Romanus Pontifex constituebat; ut Sedis certae, ac successionis ordine in Coloniis, Metropolibus, Emporiis concreditum sibi Populum regerent ac docerent. Quocirca Innocentius I. Epistola I. ad Decentium per Occidentalem Imperii tractum Regiones enumerans Romanis subditas, ratum id, & manifestum asseruit: *Cum sit manifestum*, inquit, *in omnem Italiam, Gallias, Hispanias, Africam, Siciliam, Insulasque interjacentes nullum hominum instituisse Ecclesias, nisi eos, quos venerabilis Petrus Apostolus, aut ejus Successores constituerunt Sacerdotes.* Quod si tractus Regionis, Euangelica Doctrina excolendae, partim Romanis pareret, partim amicis, aut foederatis Romanorum Regibus, aut Populis; pertinebat ad providentiam Romani Pontificis, antequam certam Episcopatus Sedem in ea designaret, curare, ut ex utrisque fiduciam caperet paratae facilitatis conservandae communicationis, & obedientiae earumdem Ecclesiarum, & Sedium erga communem omnium Matrem Romanam: itaut inconcussum maneret in discretis etiam temporalium Principum Romano-

INDICULUS TAB.III.SEC.II

manorum, & Exterorum Ditionibus Irenaei axioma: *ut scilicet ad hanc Romanam Ecclesiam propter ejus principalitatem oporteret* OMNEM ECCLESIAM (& consequenter illam, seu illas, quae ibi fundarentur) *convenire*. Mirandum propterea non est, si, Evangelii luce, Orbem Universum satis celeriter pervadente, non tamen illico inveniantur Sedes Episcopales primo Saeculo ubique constitutae. Ubi opportunitas data nondum erat, certam Sedem Episcopatus deligendi; hanc disciplinam viguisse ordinandi Episcopum Gentis illius, cujus saluti prospiciebatur, notavit ex Photii Bibliotheca Cod. 48 Thomassinus de Vet. & Nov. Eccl. Disciplina Parte I. lib. 1. cap. 54. num. VIII. „ *Refert* (inquit) *in Bibliotheca Photias, Cajum doctissimum clarissimamque Romanae Ecclesiae Presbyterum, Pontificibus Victore, & Zephyrino, Gentium Episcopum ordinatum esse*, χειροτονηθῆναι [illegible]: *& veluti Regem inunctum, & coronatum esse ei Regno, quod vi, & consilio esset adepturus. Eo fere modo Pontifices Romani consecravere Episcoporum partem longe maximam, quot deinde immitterent ad debellandas, fideique jugo subjiciendas Provincias illas, quas in Epistola sua enumerat Innocentius Primus*. Et pag. 11. ejusdem Tom. II. *Anast. Biblioth.* laudatus Blanchinus Patruus meus scribit: „ Constat ex Actibus Apostolorum, Divina visione praemonitum Petrum, ut Gentes reciperet, inchoasse a Cornelio Centurione Cohortis Italicae, unius scilicet ex quatuor Legionibus, quae tum temporis in Syria erant collocatae. Ex Tacito, ac Dione easdem numerat Panvinius noster, Legionem IIII, Scythicam: Leg. VI, Victricem: Leg. X, Geminam, Piam, Fidelem: & Leg. XII, Fulminatricem. Legionem VI prope Laodiceam in Syria sub Tiberio hyberna habuisse, Tacitus refert Annal. II. num. 79. Sextam Ferratam in Judaea sitam, Dio nominat lib. 55; & in Hispania Galbam Imperatorem Panvinius observavit ab eadem Legione creatum &c. Expeditio illa subitanea, ad quam *Legiones* undique *accivit Cajus*, in Britanniam dirigebatur: unde Admininm Cinobellini Britannorum Regis filium a patre pulsum in deditionem recepit; licet ad legenda conchilia in Oceani littore se converterit. Promovit attamen illud bellum Claudius Imperii initio: a quo etiam Legiones tum II. & XX. ex Germania, tum IIII. & VI. ac X. ex Syria in Occidentem, aliquae etiam in Britanniam translatae leguntur; quarum Nummi aliquot, & Inscriptiones in Britannia repertae, legi possunt apud Thomam Gale Comment. ad Iter Britannicum Antonini: prout *Sextam* quoque *Victricem* (quae erat ex quatuor ab Augusto relictis in Syria) paulo post in Italiam, & Germaniam concessisse, Panvinius colligit; eandemque Britanniae praesidio additam, docent Inscriptinnes a Gale memoratae. Sive igitur rapido accitu Caji, sive Claudio Imperium assumente, excita Legio fuerit, in qua Cornelius Centurio, & Cohors Italica militabat; sive ipse Cornelius, confectis justis stipendiis Honestam Missionem obtinuerit, aut gradum militarem in alia Legione, Occidentales tractus Imperii tuente (ut saepe evenit, & in antiquis Inscriptionibus observatur); ostium magnum aperiebatur Apostolorum Principi, & parata facilitas cum Fideli Centurione in Italiam navigandi, & apud ipsius Agnatos e Cornelia Gente, vel amicos hospitandi &c. Expeditiones vero Claudii, ac Neronis in Britanniam, quibus effectum est, ut eaedem Legiones, quae militaverant in Syria, transferrentur in Britanniam, aeque facilem accessum Evangelii praeconibus in eamdem Insulam aperiebant; cum semel perducto ad Fidem CHRISTI Centurione, vel aliquo ex militibus Legionariis praestantiore, sive etiam ad alterius Legionis honores gradatim promoto, vel Honestam Missionem consecuto post legitima stipendia, posset expedite se comitem illi dare tum Petrus, tum quisquis ad Apostolicum munus inferendi illuc Evangelium deligebatur. An Cohors Italica Cornelii, cum sua Legione, in Britanniam transmittere jussa sit a Cajo, vel a Claudio, affirmare non ausim. Scio tamen visum a me Londini fragmentum Inscriptionis antiquae, plures Centurias militum, eorumque nomina, ac Patriam, uti assolet, indicantis, *in Cimeliarchio D. Kemps* prope Viam Palle Mall: ubi quotquot expressa sunt nomina Civitatum, jura Coloniae iisdem militibus tribuentium, ad stipendia in Legione facienda, totidem ostendunt, eosdem milites Italos fuisse. En Lapidis fragmentum, in quo Coloniae Italicae Legionariorum Patriae recensentur:

HYPSIA.

			7	SEMPRON	I
		NEC	A	FVLCINI	S
		MAXIMV	S	MANTV	A
		NIGE	R	FLORENTI	A
	S	IVSTV	S	TICIN	O
	S	FLORV	S	PETAV	I
	S	IVSTV	S	CLVSI	O
	II.			CO	S
HYPSIACV	S	FERO	X	ATRI	A
ALBVTIV	S	MAXIMV	S	TICIN	O
VENNONIV	S	SVPE	R	LEPIDRE	G
APRONIV	S	FESTV	S	ATEST	E
RINARIV	S	EXORATV	S	EPOREDI	A
FAIFONIV	S	SABINV	S	PAVSVLI	S
RCIV	S	OPTATV	S	BENEVEN	T N
RIV	S	SVPS	R	CREMO	N
V	S	RESTITVTV	S	IADER	A
V	S	PEREGRINV	S	VERON	A
		7		SABINI	
	III.			COS	
	S	IVSTV	S	AQVIN	O
	S	CASIANV	S	VLPIN	A
		VIBIANV	S	BRVN	D
		MARCELLINV	S	VRV	
		FELI	X	PR	
		VERV	S		
		FIRIV	S		

Fulcinium, Mantua, Florentia, Ticinum, Patavium, Clusium, Adria, Lepidi Regium, Ateste, Eporedia, Pausulae, Beneventum, Cremona, Verona, Aquinum, Brundusium, istorum Militum patriae, Coloniae Romanae sunt intra Italiam constitutae. Dolendum est, non superesse reliquas partes Epigraphis huic Lapidi incisae, unde instruamur, an ad Titum, seu ad Vespasianum referantur Consulatus II. & III. heic memorati, quibus Honesta Missio emeritis hisce militibus fortasse concessa est; & an Centurio ille *Sabinus*, commune quidpiam habeat cum cognomine per Suetonium indicato in Vita Titi cap. 1. Accederet propius conjectura nostra ad decernendum, num Sextae Legionis Milites habendi forent, aut Decimae; quarum utraque meruit sub Augusto, ac Tiberio in Syria, & in Armenia, ex Tacito Annal. II. 79. & XIII. 40. deinde in Britanniam translata est, ex documentis a Gale productis: nec longe distaret a proponendo, num Cohorti Italicae utraque ista Centuria, ex nostrae Nationis viris collecta, accenseri posset. Verum sistamus in limine, contenti indicasse Divinae Providentiae consilio, suaviter universa disponente, & sexennio ante adventum Petri in Urbem caelesti visione advocante Italicae Cohortis Centurionem ad Baptisma, & Apostolorum Principem ad salutem Gentibus annunciandam, tam Corneliae Gentis hospitium in Urbe, quam facilem viam ad toto divisos Orbe Britannos aperiri potuisse, unius per Cornelii conversionem, & per unius Cohortis, seu Ducis, evocationem in Italiam; sive Cajus Caligula undique acciret Legiones; sive Claudius Britannicae expeditioni eas destinaret, quae militabant in Syria, & proximis Provinciis, ac testes fuerant mirabilium operum, & virtutum nascentis Ecclesiae CHRISTI. Neque aliter sentiendum est de expeditione Euangelica B. Marci in Aegyptum, ad annum alterum Claudii Principatus in Eusebii Chronico revocata. Legatio Philonis ad Urbem sub extrema Caji tempora, tum Herodis Agrippae adventus ei ferme suppar, tum apud Claudium aucta benevolentia, Nationi Judaeorum aequiores reddebat Principes, facilitatem conciliabat in Urbe ipsa necessitudinis contrahendae inter Marcum, & Philonem, occasione frequentandae Sinagogae, ac itineris socium se adjungendi, dum Philo rediret Alexandriam, ubi *disertissimus ille Judaeorum* (ut verbis Hieronymi utar) *videns Alexandriae primam Ecclesiam adhuc Judaizantem, quasi in laudem Gentis suae librum de eorum conversatione scripsit*. Commentarii loco adhibendum est integrum Philonis elogium, a B. Hieronymo ita perscriptum in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis. *Philo Judaeus, Natione Alexandrinus, de genere Sacerdotum, idcirco a nobis inter Scriptores Ecclesiasticos ponitur, quia librum de prima Marci Euangelistae apud Alexandriam scribens Ecclesia, in nostrorum laude versatus est; non solum eos ibi, sed in multis quoque Provinciis esse memorans, & habitacula eorum dicens Monasteria. Ex quo apparet, talem primum* CHRISTO *credentium fuisse Ecclesiam, quales nunc Monachi esse nituntur, & cupiunt; ut nihil cujusquam proprium sit; nullus inter eos dives, nullus pauper; patrimonia egentibus dividantur; orationi vacetur, & psalmis; doctrinae quoque, & continentiae, quales & Lucas refert primum Hierosolymae fuisse credentes. Ajunt, hunc sub Cajo Caligula Romae periclitatum, quod Legatus Gentis suae missus fuerat: cum secunda vice venisset ad Claudium, in eadem Urbe locutum esse cum Apostolo Petro, ejusque habuisse amicitias; & ob hanc causam etiam Marci. Discipuli Petri apud Alexandriam*

INDICULUS TAB. III. SEC. II

sectatores ornasse laudibus. His ita perspectis, cum cognoscamus Legiones integras ex Syria in Italiam, Germaniam, Britanniam translatas per eosdem ferme annos, quibus ex Palaestina Herodi Antipae, seu Tetrarchan, & Herodi Agrippae Regi, tum etiam ex Aegypto Philoni Judaeorum Legato ultro citroque navigandum in Italiam fuit, ac redeundum in Patriam; mirari subit quorumdam ingeniorum difficultatem, quae Petro Apostolo, nullo apparatu, & commeatu indigenti, sed sine calceis, sine pera, ad impulsum Divini Spiritus expedito, verentur Italici itineris repetendi facultatem largiri: quem tamen constat, suam primam Epistolam dedisse Roma, Marco nondum directo in Aegyptum: quod Eusebius, & Hieronymus, alibique passim ad annum primum, aut alterum referunt imperantis Claudii. Liberalius agant necesse est cum CHRISTI Nunciis, quorum pedibus cum Discipuli palam sisterent pretia fundorum, & paternam gazam, ac patrimonia; multo facilius poterant cum Centurionis Cornelii Familia transvectionem in Italiam, & in Occidentis fines ultimos exhibere. In Notis, quas infra dat Patruus meus in Clemente, P. Philippus Labbe Tom. I. Conciliorum pag. 190. profert ex Vendelino Graecum Codicem Scriptoris Anonymi de certaminibus, peregrinationibus, vita, & morte Petri, & Pauli Apostolorum, quem Arundelliae Comitis Sacellanus e Graecia secum advexit in Angliam; unde Patricius Junius illustrem hunc locum Græce produxit, ita Latine redditum a Vendelino: *Moratus Petrus in Britannia dies aliquot, cum multos illuminasset verbo gratiae, Ecclesiasque constituisset, postquam Episcopos quoque, Presbyteros, & Diaconos ordinasset impositis manibus, duodecimo Neronis anno iterum Romam rediit*. Subdit Vendelinus: *profectionem hanc Petri in Britanniam, aliunde vidit etiam Baronius: & est luculenter adstructa non ita pridem &c.*

228. Effigies S. Soteris Papae ex picturis Leonianis in parietinis Basilicae Sancti Pauli Via Ostiensi, cum Inscriptione SOTER SED. ANN. VIIII. M. III. D. XXI. Vide Chronicum ab anno Chr. 162. ad 171. *Epigraphes* (inquit P. Joannes Marangonius in sua *Chronol. Romanor. Pontif. &c.* pag. 9.) *una cum Imagine S. Soteris ita detrita apparuit Blanchinio* (in Basilica S. Pauli), *ut ex ea nihil percipere potuerit: sed ex alia, a Nicolao Papa III. renovata in epistylio subjectae columnae, illam supplevit. Nos vero, ulteriori adhibita diligentia, perspicue deteximus, Epocham Sedis in Ann. VIIII. M. III. ac D. XXI. Cum ipsa, quoad annos, & menses, concordat Anastasius Bibliothecarius, nullo addito die. Damasus vero discordat in Mensibus VIII, necnon in diebus XXII. supra novennium. Catalogi Vaticani apud Vignolium primus, secundus, & septimus, eosdem referunt annos; quorum ultimus addit dies XXI. Tresdecim apud Blanchinium eosdem indicant annos; novem vero, Menses III; & quinque, dies XXI. Catalogi a Schelestratio adducti in lib.* de Antiquit. Eccl. *in omnibus consentiunt. Pagius vero* in Breviario *habet annos IX, & aliquos menses, ac dies*. Quidam antiquus Catalogus Corbejensis, Soterem sedisse ait, *annos IX. menses II. dies XXI.* Bucherianus vero, *annos IX. menses III. dies II.* Tum subjicit: *fuit temporibus Antonini & Commodi, a Consulatu Veri* (lege *Severi*) *& Erenniani, usque Paterno & Bradua*. Ubi est librarius lapsus: praeteritis enim Notis Chronicis, quibus Soteris Pontificatus designabatur, ea, quae Successori ejus competebant, ipsi adscripsit. Unde contigit, ut deinde nullam Eleutheri mentionem faceret. Cl. Patri Coustantio videtur, Soterem an. 168 Romanae Urbis Episcopatum adeptum, nono Pontificatus sui anno, Marci Aurelii Imp. 17, Christi vero 177, ad caelestem vitam migrasse; & quidem, ut Martyrologia docent, die 21, aut 22 Aprilis. Soter, Clementem imitatus, ad Corinthios Epistolam scripsit; quam ipsi tanti fecerunt, ut eam cum priore ejusdem Clementis perpetuo legendam esse suis in Conventibus constituerint; quo tanti Magistri praeceptis, ac documentis saluberrimis enutrirentur. Verum tempus edax nobis pretiosum hoc monumentum detrivit, atque consumpsit. Ejus tantum Epistolae, quam Dionysius Corinthiorum Episcopus Soteri rescripsit, hodie fragmenta supersunt apud Eusebium lib. 4. c. 23, qui de illis sic præloquitur: *Extat etiam Epistola ejusdem Dionysii ad Romanos, Soteri tunc temporis Episcopo nuncupata; ex qua pauca quaedam heic inserere non absurdum fuerit*. Vide Indiculum Tab. II. Saec. II. num. 48. Soteris adversus Cataphrygas, & Tertulliani adversus Soterem libros, quorum meminit *Praedestinatus* (assertor & aliarum fabularum) lib. 1. heresi 26, commentitios esse, ostendit laudatus

Coustantius in Collect. *Epistolar. Romanor. Poutif.* col.79,& seq. idque præsertim ex Hieronymi *de Scrips. Eccl.* libro c.53. confirmat: ibi namque docet Hieronymus, Tertullianum, cum *usque ad mediam aetatem Presbyter Ecclesiae permansisset*, in Montani dogma dilapsum esse. Unde hunc aliquot annos post Soteris obitum ab Ecclesia deficere primum coepisse, adeoque ejus Aevo de Cataphrygibus defendendis nihil cogitasse conficitur. Deinde librorum, quos ille dogmati huic addictus composuit, Catalogum texens idem S. Doctor, nullum contra Soterem memorat. Eo autem majoris momenti est Hieronymi silentium, quo illi Operum Tertulliani lectio familiarior fuit. Duae circumferuntur Soteris Epistolae in Isidori Mercatoris officina cusae: quatuor vero Decreta, a Conciliorum Editoribus pariter evulgata nomine ejusdem Pontificis Summi; sed quae tamen certos septimi, ac noni Saeculi auctores habent. Idem dictum esto de illo Decreto, quod in Libro Pontificali habetur, *Hic* (Soter) *constituit, ut nulla Monacha pallam sacratam contingeret, nec incensum poneret intra Sanctam Ecclesiam*. In Epistola Pii Papæ I, directa Justo Episcopo Viennensi (quam, ut diximus supra in Indiculo hujus Tabulae num. 225, Viri Docti supposititiam vocant) legitur, *Salutant te Soter & Eleutherus digni Presbyteri*: quibus verbis a rerum veritate Auctor aberrat, cum Justo salutem dicit Soteris, & Eleutheri nomine, quos *dignos Presbyteros* praedicat. Nemo enim non videt, non alium heic Soterem, aut Eleutherum designari, nisi qui post Pium, & Anicetum Romanae Ecclesiae praefuerunt. Atqui is Eleutherus etiam temporibus Aniceti, qui Pio successit, ab Hegesippo teste oculato, apud Eusebium lib.4. cap. 22, ipsius *Aniceti Diaconus* nuncupatur. Nondum igitur Presbyteri dignitate temporibus Pii erat insignitus. Neque improbabilis conjectura est, opificem hujus Epistolae, Soteri & Eleuthero salutantibus ideo non adjunxisse Anicetum; quia hunc, secundum corruptos Catalogos Summorum Pontificum ab Optato, & Augustino adhibitos (in quibus Pius Aniceti Successor, non Decessor ponitur), jam vita functum crediderit, ut adnotat laudatus Coustantius in Monito pag. 18. Utinam ergo Cl. Fontaninius *in Hist. Literaria Aquilejensi* lib. I. cap. 4. num. 2. pag. 86, ubi allegatam Epistolam *ad Justum Episcopum Viennensem* vindicat Pio I. Pontifici Summo, hunc nodum solvere studuisset, qui, ut verum fatear, inextricabilis mihi videtur.

229. Effigies S. Eleutheri Papae, ex picturis Leonianis in parietinis Basilicae Sancti Pauli Via Ostiensi, cum epigraphe, ELEVTHERVS SED. ANN. XV. M. IIII. D. V. Vide *Chronicum* ab anno Chr. 172. ad 185. Cl. P. Marangonius *in Chronologia Romanorum Pontificum &c.* pag. 9. de hac pictura sic habet: „ Praeter nomen ELEVTHERVS, & M. IIII. D. V, nihil aliud apparebat in nostra epigraphe: quare supplenda fuit, sedit An. XV, ut antea fecit Blanchinus, & in quem annorum numerum concordant Anastasius Bibliothecarius, & Liber Pontificalis; quamvis primus addat M. III, ac D. II, alibi vero M. VI. D. V. Baronius ad an. 194 tradit, sedisse Annos XV. D. XXIII. *De cujus Sedis annis*, ait, *cum omnes consentiant tam Latini, quam Graeci; quod apud Eusebium* in Hist. *tredecim tantum ei assignantur, aut errore numeri accidit, aut eo quod obiisse putat ante biennium*. Pagius in Breviario attribuit Ann. XV. & D. XXIV. Catalogi Vaticani a Vignolio relati, in annis omnes consentiunt; quamvis in mensibus, ac diebus discordent: sicut etiam alii adducti a Blanchino, ex quibus unus reddit M. IIII, & novem Dies V„. Huc usque Marangonius. Diaconus Aniceti erat S. Eleutherus, cum Hegesippus Romam venit. Exscriptor Catalogi Bucheriani, Soteris tempus describens, ubi ad istud pervenit *fuit temporibus*, saltu quodam ad tempus, quod Eleuthero competebat, transiit, ut diximus numero praecedenti. Unde contigit, ut nullam nominis Eleutheri mentionem faceret. Eusebius in Prooemio lib. 5. *Hist. Eccl.* Eleutherum anno 17 Imperii Antonini Veri, hoc est Marci Aurelii, qui in annum Chr. 177 incidebat, ad Romanae Ecclesiae Pontificatum assumptum docet; es indeque Lugdunensium, & Viennensium insigne Martyrium narrat. Et in Hist. ejusdem libri 5. cap. 22, administrationem ejusdem Ecclesiae Eleuthero 13. annis definit. Sed in Chronico quindecim annos eum in Petri Cathedra sedisse scribit; mortemque ejus, seu Successoris initium, post Commodi necem refert. Unde sequitur in ejus sententia, ut Eleutheri obitus an. Chr. 193 illigandus sit: siquidem Commodus ultimo anni 192 die strangulatus fuit. Tertullianus in lib. *de Praescript.* cap. 30 scribit, Valentinum,

INDICULUS TAB. III. SAEC. II

num, & Marcionem *in Catholicae primo doctrinam credidisse apud Ecclesiam Romanensem sub Episcopatu Eleutheri benedicti*. At, si Valentinus Aniceto Pontifice vivere desiit, ut Cl. Tillemontius pluribus probat Tom. 2. *Hist. Eccl.* pag. 603, Tertulliani narratio admitti prorsus nequit. Anno 17 Imperii Antonini Veri, Christi 177, Viennensis, & Lugdunensis Ecclesiae Martyres, pro pace Ecclesiarum Legatione fungentes, literas ad Eleutherum scripserunt, ut narrat Eusebius lib. 5. *Histor.* cap. 3; quoniam pii illi Martyres consultum volebant paci Ecclesiarum Asiae, & Phrygiae, quae propter novas Montani Alcibiadis, ac Theodoti Prophetias turbabantur. Tunc Eleutherus (ut legitur apud eundem Eusebium loc. cit.) *literis, atque exortationibus Lugdunensium Martyrum impulsus ad Ecclesias Asiae, atque Phrygiae Epistolam scripsit, de recipiendis in Ecclesiam Montanistis: sed statim admonitus a Praxea quodam Asiano* (qui Romam venerat, ipsique Pont. Montanistarum fraudes aperuerat) *pacificas, quas emiserat, literas revocavit.* De qua re vide Doctissimum Coustantium in Collectione *Epistolarum Romanorum Pontificum* col. 87. & 88. ubi num. 3. de Martyribus Lugdunensibus haec addit: „ Certum est Gallicanos Fratres, una cum relatione eorum, quae Martyres Lugduni passi fuerant, privatum de Montano, Alcibiade, ac Theodoto judicium suum, *religiosum*, inquit Eusebius, *& cum orthodoxa Fide accuratissime consentiens*, ad Asiae, & Phrygiae Ecclesias misisse. Idem judicium simul eos Eleuthero notum fecisse, valde probabile est. Hoc certe, Eusebio ipso teste, confirmabant, *prolatis interfectorum apud se Martyrum variis Epistolis, quas illi, dum in vinculis adhuc essent, partim ad Fratres in Phrygia degentes, partim ad Eleutherum Romanae Urbis Episcopum scripserant*. Nec ambigendum videtur, quin literas illas conscripserint Martyres, postquam Alcibiadem, cujus austera vivendi ratio Montanistis favere videbatur, *non recte, neque ordine facere* Attalo revelatum fuit. Addit Eusebius cap. 4, eosdem Martyres, eo anno, quo passi sunt, Irenaeum, qui tunc temporis adhuc Presbyter Lugdunensis erat Ecclesiae, Eleuthero Papae commendasse per literas, e quibus insigne fragmentum nobis transmisit. Unicam tantum Eleuthero largitus est Isidorus Mercator Epistolam. Beda vero in Chronico ad annum Mundi 4145 quoddam etiam Decretum eidem attribuit de Paschate die Dominico post Lunam XV primi Mensis celebrando: & aliud Liber Pontificalis, quo constituisse dicitur, *ut nullus cibus repudiaretur a Christianis, maxime Fidelibus, quem Deus creavit, qui tamen rationabilis sit*.

230, & 227. Symbolum Orientis, & Occidentis, ex anaglyptico Opere Arcus Trajani, in Arcu Constantini translato. Cl. Montfaucon. *Antiq. Expliq.* Tom. 3. Par. I. p. 183. Tab. 105. hoc ORIENTIS Marmor illustrans, ait: In Arcu Constantini inter anaglypha, ad Trajani Victorias spectantia, symbola videmus Orientis, & Occidentis. Oriens ibi repraesentatur per mulierem, in equorum quadriga incedentem, manuque tenentem Globum, cui insistit Genius, utraque manu facem gestans, & velo caput obtegens, ita tamen, ut extra velum, caput paululum efferatur. Equi currentes, conscendere videntur: Mulier, quae altera manu palmam tenet, Aurora esse putatur: Genius, qui facem tenet, ἑῷος, seu Matutinus vocatur in Codice quodam Regio; significatque, ut puto, luciferum, sive matutinam stellam: velum, tenebras significat: extra velum, caput exoritur; quia lux oritur. Vir barbatus decumbens, Euphratem, aut Tigrim significat, ubi Trajanus Imperii fines propagavit. Extant Trajani Nummi, cum epigraphe EVFRATES, in quibus Pons Amni impositus, ad deducendas in Assyriam, Mesopotamiamque copias. Vide Occonem pag. 215, & Xiphilinum. De Euphrate multa Plinius lib. v. sect. 20. Extant item alii ejusdem Imperatoris Nummi apud laudatum Occonem pag. 205, in quibus legitur, NILVS. Lustravit enim, vicitque Assyriam, quam Tigris alluit, Trajanus. De Tigri quoque agit prolixe laudatus Plinius lib. VI. sect. 31. Vide sup. n. 227.

231. Effigies S. Victoris Papae, ex picturis Leonianis in parietinis Basilicae S. Pauli Via Ostiensi, cum epigraphe VICTOR SED. ANN. X. M. II. D. X. Vide *Chronicum* ab anno Christi 186. ad 197. P. Marangonius in sua *Chronologia Romanorum Pontificum &c.* pag. 10. *In nostra*, inquit, *epigraphe, praeter nomen, ac notas mensium, ac dierum, quibus sedit, nihil prorsus cernebatur: quare Annos X. oportuit supplere ex Libro Pontificali, & Anastasio, qui & menses, ac dies eosdem assignant: idque praestant Catalogi primus, ac tertius Vaticani a Vignolio relati, atque unicus Colbertinus apud* Blan-

Blanchinium seniorem, necnon duo Vallicellani penes Blanchinium juniorem, Tom. v. Anastasii. Baronius vero ad an. 203 habet, annos IX. M. I. D. XXVIII. Codex Reginae Sueciae corrupte tradit, Annos XI.M.II.D.X. Franciscus Pagius in Breviario habet, Annos XII. M. I. D.XVI. Placuit tamen sequi Epocham ex supradictis melioris notae Codicibus. Victor, in sententia Francisci Blanchini Patrui mei, electus fuit die Dominica, 18.Julii, an. Chr. 185,& Martyrio coronatus an.Ch.197;cum sedisset an.XII,& dies X. Ab Anonymo apud Eusebium *Hist. Eccl.* lib. 5. c.28. *tertius decimus a Petro Romanae Urbis Episcopus* nuncupatur, omisso Anacleto, per nos a Cleto distincto. Et in Chronico idem Eusebius eum in Petri Cathedra sedisse memorat, proxime post quam Pertinaci Imperium a Senatu delatum enarravit,& antequam Imperatoris hujus necem recenseret. Atqui Pertinax an.Ch.193 Imperator renunciatus est, & eundem locum ipso anno 193, die 2. Junii, Severus occupavit: quare videtur, Victoris Pontificis initium ab eodem an.193 juxta Eusebium repetendum. Ejus autem finis, si Scriptori eidem credamus, in an. 202 definet. Ille enim Historiae loco citato, Victori, cum ipse annis X Pontificatum Maximum administrasset, *anno Principatus Severi circiter nono* Zephyrinum substitutum tradit: & in Chronico suo eundem Zephyrinum ut Victoris Successorem simpliciter anno Severi nono, qui Christi 202 fuit, collocat, ut animadvertit Doctissimus Coustantius in Collect. *Epistolarum Romanorum Pontificum* col.91, ubi & fuso calamo scribit de Controversia circa Pascha, quo die celebrandum esset, ac de Literis ea occasione ad Victorem Pont. datis. Vide Epistolam Polycratis Ephesiorum Episc.,& Irenaei ad eundem Victorem (de quibus egimus supra in Indiculo hujus Tabulae num. 192.), Eusebium *Hist. Eccl.* lib. 5. cap. 23, 24, & 25, Bedam in Tractatu *de Aequinoctio Vernali*, Labbeum Tom. I. *Concil.* pag. 597, & Baluzium *Novae Collect. Concil.* pag. 13.

232. Effigies S. Zephyrini Papae, ex picturis Leonianis in parietinis Basilicae Sancti Pauli Via Ostiensi, cum epigraphe ZEPHYRINVS SED. ANN.XVII. M.II. D.X. Vide *Chronicum* ad annum Christi 198. Cl. Marangonius in suo Opere inscripto *Chronologia Romanor. Pontif. &c.* pag.10 ad hanc Zephyrini Imaginem sic habet: *Integram Sedis epigraphem reperimus in Serie Basilicae S. Pauli, cui in totum consonant Anastasius Bibliothecarius, ac Liber Pontificalis, qui tantum differt in Mensibus, quos VII. apponit. Nostrae quoque respondens Catalogus primus a Vignolio relatus, ac duo alii apud Blanchinium seniorem, nempe Bergomensis, & Farfensis, necnon primus Vallicellanus apud Blanchinium juniorem*. Baronius ad an. 221 Zephyrinum sedisse, ait, ann. XVIII. totidemque dies. Eusebius vero lib.5. *Hist. Eccl.* c.28 S. Zephyrinum *Severi Imperatoris anno circiter nono*, hoc est Christi circiter 202, ordinatum scribit: tum lib. 6. cap. 21. eundem, *cum per annos octodecim Sacerdotium obtinuisset, primo Antonini Heliogabali Imp. anno* vita functum tradit. Unde sequitur in sententia Eusebii, ut mors Zephyrini anno Christi 219. aut 220, quo anno re ipsa idem Eusebius in Chronico Callistum ei successisse notat, illiganda sit. Sed in eodem Chronico primus Heliogabali Imp. annus ad annum Christi 218 refertur: & eum quidem 7. die Junii praedicti anni 218 Imperatorem renunciatum fuisse, aliunde notum est. Denique Zephyrini mors in Hieronymianis, aliisque antiquioribus Martyrologiis, Decembris 20 die, in ceteris 26 Augusti, quo nunc celebratur ipsius Festivitas, recolitur. Si igitur ipsum cum Eusebio Antonini Heliogabali Imp. primo anno, & cum vetustioribus Martyrologiis 20 Decembris die, obiisse ponamus, sub exitum anni 218 mors ejus consignanda erit. Nos ejus Electionem consignavimus anno Chr.197.die Dominica,25. Sept., qua ordinatus sedit annos XVIII. mens. X. usque ad diem 26 Junii anni 217, quo Martyrium consumavit. Vide Notas Francisci Blanchini Patrui mei ad ejus Vitam Tom. II. Anastasii Biblioth. pag. 112, 120, 157, & 169.

233. Symbolum Nili ex marmore, quod extat in Atrio Palatii Vaticani, nuncupato *della Cleopatra*. Cl. Montfauconius *Antiq. Expliq.* Tom. 3. par. 1. pag. 185 hoc anaglypticum opus ita describit: „ Nilus senex est lauro coronatus, recumbens, & cubito nixus; cornu copiae tenens humeris: femori & tibiis insistentes & undique positos habet puerulos nudos sexdecim numero, qui sexdecim cubitos incrementi Niliaci significant; quae altitudinis mensura erat, cum Aegyptus aquis Nili admodum irrigabatur, fertilisque erat. Sub sene, aquae Niliacae, quae ex illo egre-

7 V di

di videntur: in ora circumquaque visuntur Crocodili, Hippopotami multi, & Trogloditae piscatores scaphis vecti „. Famianus Nardinus lib. III. *Rom. Vet.* apud Graevium To. IV. p. 1032. „ Erat, *inquit*, in Templo Pacis ingens (*haec*) Nili statua, e marmore Aethiopico, coloris ferruginei, Basalte dicto, cum sexdecim pueruls circa eum ludentibus. Plinius l. 36. c. 7. scribit: *Invenit eadem Aegyptus, quem vocant Basaltem ferrei coloris, atque duritiei. Numquam hic major repertus est, quam in Templo Pacis, ab Imperatore Vespasiano Augusto dicatus, argumento Nili, sexdecim Liberis circa ludentibus, per quos totidem cubiti summi incrementi augentis se Amnis ejus intelliguntur* „. Visitur quoque in Nummis Trajani, Hadriani, & M. Aurelii Impp. Nili fluminis typus, cum Crocodilo, & Hippopotamo, de quibus consulatur Philostratus Lib. I. Iconum. Item cum cornu copiae, ob ubertatem, qua fecundat Aegyptum. Plura lege in Indiculo hujus Tab. num. 185.



LAUS DEO ET S. PHILIPPO NERIO.

EXPLICIT

INDICULUS RERUM

QUAE CONTINENTUR IN TRIBUS TABULIS

SECUNDI SAECULI

DEMONSTRATIONIS

HISTORIAE ECCLESIASTICAE QUADRIPARTITAE

COMPROBATAE MONUMENTIS PERTINENTIBUS

AD FIDEM TEMPORUM ET GESTORUM.

ROMAE EXCUDEBANT
HAEREDES IO. LAURENTII BARBIELLINI
BIBLIOPOLAE ET TYPOGRAPHI ROMANI
REGNANTE SUMMO PONTIFICE
BENEDICTO XIV.
ANNO PONTIFICATUS EIUS XIV.
REPARATAE VERO SALUTIS CIↃ IↃ CC LIV.

					ERRATA.	CORRIGE.
Pag. 452	col.	1.	lin.	29.	Interfeci :	interfici .
454	col.	2.	lin.	19.	Pontificium :	Pontificum .
457	col.	2.	lin.	50.	NRRVAE :	NERVAE .
458	col.	1.	lin.	ult.	Enscaptum :	exsculptum .
460	col.	2.	lin.	24.	Saec. III.	Saec. II.
461	col.	2.	lin.	55.	ignarane :	Igeorare .
462	col.	2.	lin.	43.	*Oriaetis* :	*Orientis* .
466	col.	2.	lin.	4.	rerrin :	restiu .
470	col.	2.	lin.	19.	Nualem Alexindrum :	Nuslem Alexandrum .
478	col.	2.	lin.	16.	honore hospitum :	honore . Mos hospites .
			lin.	17.	pridem receptro) . & :	pridem receptes fuit,&.
			lin.	18.	a Christianis adhibita :	a Christianis adhibitus .
493	col.	1.	lin.	36.	Frasta :	Frustra .
495	col.	2.	lin.	8.	marmaribus :	marmoribus
497	col.	2.	lin.	47.	confurem :	confuerant .
489	col.	2.	lin.	51.	Dodmatis :	Dogmatis .
496	col.	2.	lin.	6.	S. Cypiriaeum :	S. Cyprianum .
503	col.	1.	lin.	38.	ad nnquem :	ad unguem .
506	col.	2.	lin.	41.	Usrius id confirmat :	Huetius id confirmat .
513	col.	1.	lin.	29.	*divinitalis* :	*divinitatis* .
515	col.	2.	lin.	45.	Ahcillis :	Achillis .
538	col.	2.	lin.	34.	facrisicium :	facrificium .
			lin.	35.	Poefia :	Poesis .
542	col.	2.	lin.	44.	Savero :	Severo .
			lin.	46.	Tania :	Tabula .
542	col.	2.	lin.	54.	loquum :	loquuntur .
547	col.	1.	lin.	50.	Lampridian :	Lampridium .
549	col.	2.	lin.	22.	*Traiano* :	*Troiano* .
			lin.	51.	nnec vero pinea :	; Nun vero pinea .
550	col.	1.	lin.	10.	quemadmodum :	quemadmodum .
554	col.	1.	lin.	23.	tradidis :	tradidit .
557	col.	2.	lin.	30.	*circuldatam* :	*circumdatam* .
	col.	2.	lin.	24.	Subeeter :	lubenter .
564	col.	2.	lin.	54.	*Strom.* VI :	*Strom.* VI.
565	col.	1.	lin.	18.	Olympidem :	Olympiadem .
567	col.	2.	lin.	12.	praerat :	praeerat .
568	col.	1.	lin.	25.	*acerfitus* :	*accersitus* .
570	col.	2.	lin.	19.	Cimarliarchin :	Cimeliarchio .
572	col.	2.	lin.	5.	cogitationem :	agitationem :
			lin.	8.	numerati :	memorati .
			lin.	16.	inferam Terrae :	infernam Terrae .
595	col.	1.	lin.	50.	Sacrae Pagina :	Sacrae Paginae .
596	col.	1.	lin.	54.	Galeflnum :	Galafinum .
597	col.	1.	lin.	42.	Domparriis :	Domopatri .
608	col.	1.	lin.	50	Seneuti :	Saeculi
601	col.	2.	lin.	9.	*notat* :	*notat* .
	col.	2.	lin.	54.	in omnibus latere :	in latere .
			lin.	55.	ut ab facilius :	ut ab omnibus facilius .
612	col.	2.	lin.	50.	*Antiquitabat* :	*Antiquitatibus* .
619	col.	2.	lin.	32.	Elenchum :	Indiculum .
621	col.	2.	lin.	8.	dictur infra num :	dicitur infra iisdem num
622	col.	2.	lin.	45.	Adumatione :	Admonitione .
627	col.	2.	lin.	16.	dicitur :	dale .
628	col.	2.	lin.	1.	quos ergo :	quos ego .
633	col.	1.	lin.	29.	manimus :	manibus .
637	col.	2.	lin.	ult.	colabrabatur :	celebrabatur .
639	col.	2.	lin.	52.	Barberintrum :	Barberinorum .
641	col.	2.	lin.	51.	editum— :	editumque .
643	col.	2.	lin.	20.	CASRTOR :	CASTROR .
646	col.	2.	lin.	40.	*cgreffa* :	*egreffa* .
648	col.	2.	lin.	31.	*Vifpania* :	*Vipfanio* .
649	col.	2.	lin.	53.	atrrocibusque :	atrocibusque .
	col.	2.	lin.	52.	205. Nummus :	105.BABBA.Nummus .
650	col.	2.	lin.	46.	ab Lacum :	ad Lacum .
654	col.	2.	lin.	50.	In partas duas :	in partes duas .
656	col.	2.	lin.	2.	plurari numero :	plurali numero .
663	col.	1.	lin.	1.	Eustechin.Martyrologium :	Eustachio Martyrologium .
668	col.	1.	lin.	44.	Pafcenii :	Pefcennii .
671	col.	2.	lin.	48.	*Nummif.* :	*Numif.*
680	col.	2.	lin.	13.	de qen :	de quo .
682	col.	1.	lin.	23.	At quod :	At quod .
656	col.	1.	lin.	12.	& pag. 107. cap :	pag. 107. & cap.
	col.	2.	lin.	40.	TR. POT. :	TRIB. POT.
			lin.	46.	PECVN. :	PECVNIA .
691	col.	2.	lin.	48.	Poraffe III. :	Poteftate III.
697	col.	1.	lin.	9.	Intelligerent :	intelligerent .
708	col.	2.	lin.	36.	lin. 2. :	lib. 2.
718	col.	2.	lin.	55.	praeunte :	praeeunte .

IN Aedibus Domini Antonii Josephi Barbazzae Pictoris & Chalcographi Romani, cujus industria & labore Tabulae hujus *Demonstrationis Historiae Ecclesiasticae Quadripartitae Primi & Secundi Saeculi*, *comprobatae monumentis pertinentibus ad fidem Temporum & Gestorum*, ære sculpto quamdiligentissime expressae sunt, veneunt Opera quae sequuntur:

ISTORIA UNIVERSALE *provata con Monumenti*, *e figurata con Simboli degli Antichi*. Opera di Monsig. Francesco Bianchini Veronese, Prelato Domestico di Sua Santità, e Patrizio Romano, dedicata alla Sacra Real Maestà Cristianissima di Lodovico XV Re di Francia e di Navarra &c. da Antonio Giuseppe Barbazza, il quale l' ha ristampata, e di nuovo incisa,

Venit scutis Romanis tribus.

Insignis Corniola D. Joannis Philippi Abbatis a Turre Romani, *quam Sotrates scalpsit*, *& Antonius Joseph Barbazza Romanus delineavit*, *& incidit*. Exhibet Pegasum volitantem in Helicona, qui ungula saxum ferit, & latices aperit Hippocrenaeos Apollini, ac Musis sacros,

Venit obulis Romanis quindecim.

Quinque Tabulae a Bloemartio æri incisae, *quae totidem insignes Tabulas repraesentant*, *pictas a Raphaele Sanctio Urbinate in Palatio Pontificio Vaticano*,

Veneunt juliis Romanis quatuor.

